

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK

Signatur: Leibn. Marg. 90;Leibn. Marg. 90, Stück 1, [1] - -

PUBLIC DOMAIN

[Leibn. 60] Leibn. Marg. 90
1864, 1924

NLB Hannover/ZB
032 894 023
35

Niedersächsische
Landesbibliothek
Hannover

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK

Signatur: Leibn. Marg. 90;Leibn. Marg. 90, Stück 1, [2] - -

PUBLIC DOMAIN



GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK

Signatur: Leibn. Marg. 90;Leibn. Marg. 90, Stück 1, [3] - -

PUBLIC DOMAIN

Tom. 1. p. 291

Aliud chronicon Manuscriptum Anonymi Saxonis, quod desinat in A.D. 1180 habuit Alexander Wilthemius, et excerptum inde de fundatione Magdeb. Ecclesiae et synodo Ravennate, ad editores Conciliorum misit. vid. Tom. IX. Concil. p. 678. inquirendum.

Chronicon MS. Franco-Saxonicum in Spiritanum Herrensium collegio reconditum citat Chifletius Luminum p. 430. ubi genealogia finit in Carolo M. agitur ibi de Ferreolo, Errores ibi notat Bondelly prof. Apol. LXXV.

Ea hic non invenio

GODEFRIDI GVILIELMI
LEIBNITII

ACCESSIONES HISTORICÆ;

quibus

UTILIA SUPERIORUM TEMPORUM
HISTORIIS ILLUSTRANDIS SCRIPTA
MONUMENTAQUE
NONDUM HACTENUS EDITA
INQUE IIS SCRIPTORES DIU DESIDERATI
CONTINENTUR.



BIBLIOTHECA
REGIA
HANNOVERANA

LIPSIÆ,
Sumpt. NICOLAI FÖRSTERI, Bibliop. Hannov.
ANNO M DC XCIIX.

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 90;Leibn. Marg. 90, Stück 1, [5] - -
PUBLIC DOMAIN

Nunc prodeunt

I. Chronographus Saxo.
II. Johannis Vito Durani Chronicon.
III. Gesta Trevirorum.
IV. Vetus Chronicon Holsatiæ sub titulo continuationis Helmoldi.

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK

Signatur: Leibn. Marg. 90;Leibn. Marg. 90, Stück 1, [6] - -

PUBLIC DOMAIN

Benevolo Lectori

Godefridus Gvilielmus Leibnitius

S. P. D.

TRia ſunt quæ expetimus in Hiſtoria: primum voluptatem noſcendi res ſingulares, deinde utilia inprimis vitæ præcepta; ac denique originis præſentium à præteritis repetitas, cum omnia optime ex cauſis noſcantur. Accedit, quòd ſpes poſteritatis homines ad præclara gerenda inflammat, ut quemadmodum legunt veteres, ita ipſi viciſſim ſecuturis legantur. Porro delectationem & fabulæ præſtant; egregia verò documenta, præſertim quibus diſcamus aliquid quod ratio ipſa non facile dictaſſet, rara invenio, etiam apud bonos Scriptores; quanto magis apud illos inceptos & barbaros, quos ſecula ignorantiæ damnata produxerunt. Sed his quoque nunc

& gratias habere, & pretium ponere oportet, originum cauſa, quando meliores deſiderantur, neque aliunde geſtorum ſeriem ſupplere licet. Porro Græcos & Latinos veteres & Orientales etiam Hiſtoricos (ſi cognoſcendi omnia dulcedinem & exemplorum utilitatem ſeponas) maximè ſacris originibus, & Religioni, divinis Chriſtianorum libris comprehenſæ, Legibusque inſervire cenſeo; tum ut ſcripturis genuinitas autoritasque ſua aſſeratur, tum ut interpretatio vera, cognito temporum genio, collatisque antiquorum ſententiis eruatur. Sed poſteriores Scriptores, quanquam Semibarbari, quatenus tamen origines docent rerum noſtrarum civilium, eo ipſo magis quàm elegantiores illi proſunt, Res Principum & publica negotia tractantibus ac ſcire aventibus. Nam ex Imperii Romani veteris ruinis, poſtquam Germanicorum & Scythicorum populorum inundatione ſubverſum eſt, nata eſt alia facies rerum: unde paulatim prodiere regna & prin-

principatus & respublicæ, quæ nunc quoque florent. Itaque ut horum ortus, translationes, concertationes, limites, incrementa vel decrementa, familiæ denique regnatrices cognoscantur; ad medii ævi Scriptores recurrere necesse est, quorum qui supersunt pro maxima parte editi habentur, non pauci tamen latent adhuc, atque indies in lucem proferuntur.

Equidem olim vel negligebantur vel supprimebantur genuina Historiarum monumenta: & scriptores complures, superioris præsertim seculi, imo nonnulli & nostri, concinnantes Historias de remotis temporibus, elegantes magis quam fidas, id quærebant, ut ipsi soli legerentur, & auctoritatem nacti apud posteros regnarent. Sed paulatim apparuit, quantum interfit inter simplicem veritatem, rudis quidem, sed tamen rebus gestis vicini scriptoris, & fucatas atque calamistratas narrationes autoris omnia vel seculi sui moribus æstimantis, vel affectibus insi-

cientis. Et compertum est, etiam judicio & veritatis amore præditos, & à monumentis instructos autores recentiores; quales fatendum est nobis Aventinum, Gallis Paulum Æmilium, Hispanis Marianam, Italis Sigonium, Anglis Polydorum Virgilium extitisse; tamen persæpe graviter labi. Itaque Viri doctissimi ac judiciosissimi optimum facturu censuêre, fontes ipsos aperiri, ut unusquisque inde haurire, & puros latices à rivis subinde turbidioribus discernere possit. Et quidem sparsim multi fuere editi Scriptores medii, sed tandem tamen exorti sunt qui plures sunt complexi, ut apud nos Pistorius, Schardius, Urstisius, Freherus, Goldastus, Meibomii; apud Gallos Pithœi, Quercetani, Dacherius, Mabillonius, Baluzius aliique; ut nunc de Italis, Anglis, Belgis, Hispanis non dicam: neque enim recensionem talium instituere hujus est loci.

Mihi occasiones itinerum & commercia amicorum, & Bibliothecæ Tabulariaque Principum, complura obtulêre Historiæ mediæ monumenta & scriptores, quorum aliquos

quos virorum doctorum hortatu, ACCESSIONUM HISTORICARUM titulo in lucem proferre constitui. Sequentur plura hujus generis, Deo volente; nunc quatuor autores exhibentur, omnes à Viris doctis jam memorati, plerique jam & promissi aliquoties, & multum expetiti. Primus hîc comparet, qui à me appellatur CHRONOGRAPHUS SAXO. Sane in Saxonia scripsisse manifestum est, & sunt nonnulla quæ faciunt, ut suspicer vixisse in cœnobio Magdeburgensi S. Johannis, cujus Abbatum acta alicubi curiosiùs attingit. Archi-Episcopatûs certè Magdeburgici res crebro exponit, atque etiam cùm de fundatione ejus tractat, diplomata adjungit, ac de cætero Saxonica præ cæteris diligentius tradit. Chronographum vocavi, quia per annorum seriem non malè decurrit, & temporum examen sibi curæ fuisse ostendit, ut patet ad ann. CCLIV. Equidem fatendum est, tametsi à Christo nato incipiat, in antiquis tamen rebus, Romanaque & Ecclesiastica anteriorum seculorum Historia

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 90;Leibn. Marg. 90, Stück 1, [11] - -
PUBLIC DOMAIN

ſtoria tales Scriptores non magni uſus eſſe; nihilominus habent etiam in his aliqua nonnunquam, quæ apud meliores non leguntur. Exemplum dabo in re inter doctos controverſa illuſtranda, *Veronica* ſcilicet; quam vulgo fœminam eſſe credunt & inter ſanctas referunt, nunc vero viri aliquot doctrina inſignes nihil aliud eſſe veriſimillimum reddiderunt, quàm *veram icona* Servatoris, Lucas ſcilicet Holſtenius, & Domnus Joh. Mabillonius ordinis Benedictini, & noviſſimè R. P. Papebrochius ex Societate Jeſu in Apologia anno ſuperiore edita; locis pluribus vetuſtiorum productis, quibus ipſa imago Domini Veronica appellatur, tametſi Clariſſimus Reiskius Epiſtola contra Mabillonium, & R. P. Sebaſtianus à S. Paulo Carmelita ſcripto contra Papebrochium edito, ſententiam eorum vel dubitationem impugnârint. Equidem fortaſſe non præter rationem ſuſpicari videbimur, quod in hoc Chronographo ad ann. DCII legitur *Unica Domini*, ſcriptum fuiſſe Unica, lineola indice contractionis ſu-

frustra hæc dicuntur. Vid. meam not. ad an. 602.

perpo-

perpoſita, id eſt *Veronica Domini*. Quòd ſi hæc conjectura admittitur, jam hinc diſcemus, quod alibi (quantum ſciam) non extat, qua ratione illa imago fuerit inventa; utiin ipſo autore noſtro legi poteſt. Cæterum Codex fuit olim R. P. Chriſtophori Broweri, de Germanicis antiquitatibus præclarè meriti, præſertim in Fuldenſibus & Trevirenſibus; qui & ſubinde noſtri verba citat: R. P. Papebrochii beneficio idem Codex mecum fuit communicatus. Finit autem noſter Chronographus Annales ſuos anno æræ vulgaris MCLXXXVIII, atque adeo illo ipſo tempore vixiſſe credi poteſt.

GESTA TREVIRORUM jam olim cum paralipomenis & continuatione ſua edere voluit Caſpar Bruſchius Egranus, quemadmodum Voſſius in Hiſtoricis Latinis Lib. 3 Cap. 7 annotavit. Eundem Scriptorem Goldaſtus habuit, & Frehero edendum dedit, & perſvaſiſſimum ſibi eſſe ait, Golſchedrum fuiſſe dictum, Monachum S. Mathiæ apud Treviros. Sed cum nulla ſententiæ

 ſuæ

ſuæ argumenta promat, & aliis anonymus autor habeatur, titulum mutare viſum non eſt. Cæterum habet hæc Goldaſtus in Apologia pro Henrico IV, diſſertatione præmiſſa Autoribus illic inſertis, agens tum de Engilberto Archi-Epiſcopo Trevirenſi p. 41. tum de Theoderico Virdunenſi Epiſcopo p. 43. Eundem poſtea Scriptorem nobis promiſerat Petrus Lambecius indice edito eorum quæ dederat parabatque. Cum vero nec ipſe nec priores ipſo Bruſchius & Freherus ſpem de ſe factam impleverint, viſum eſt operæ pretium, tandem aliquando deſideratum diu Scriptorem luci donare. Tribus Codicibus ad editionem uſi ſumus, eosque ex ſe mutuo ſupplevimus correximusque, variationibus aut ſupplementis inter uncinos concluſis. Unum *Bibliotheca Auguſta* præbuit, alium ipſe habui, tertium ſuppeditavit CL. Migius Heidelbergenſis, tunc Rintelenſis, nunc Marpurgenſis Profeſſor atque Eccleſiaſtes, cujus doctrina facit, ut non contemnenda ab ipſo expectari poſſint. Scriverius

unum

unum ex his Codicibus habuit, annotavitque videri initia libri non esse saporis monachalis, stylo altiùs assurgente. Et suspicatur fabulosa illa de remotissimis Trevirensium antiquitatibus sumta esse ex antiquiore quodam, ipsoque fortasse Licinio nescio quo Sophista, qui memoratur pag. 31. quanquam ibi non Licinius, sed Galba Viator ad Licinium scripsisse dicatur. Cæterum in posterioribus habet autor nonnulla non inutilia præsertim circa res Seculi XI & initia XII, quo vixit. Quædam mutata vel interpolata fuisse diversitas Codicum ostendit. Videatur pag. 99.

JOHANNES VITO DURANUS Helvetius sequitur. De hoc Vossius jam refert lib. 3 de Histor. latin. Cap. 9, fuisse Monachum ordinis Minorum, & Ludovici Bavari ac Caroli IV ætate vixisse, & Historiam produxisse ad annum MCCCXLVIII, quæ manuscripta extet in monasterio S. Galli. Sed quæ habemus eo usque non producuntur; & cum apud Sangallenses inquisiviissem, responsum est non reperiri. Exemplar quod secutus sum Gol-

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 90;Leibn. Marg. 90, Stück 1, [15] - -
PUBLIC DOMAIN

Goldasti fuit, suppeditatum mihi ab insigni apud Bremenses Theologo Gerhardo Meiero, qui (ut hoc obiter dicam) hortatu meo præclarum opus aggressus est *Glossarii Saxonici* titulo, in quo origines Germanicarum vocum multas eruet illustrabitque, nec pauca non pervulgata proferet in lucem. Itaque optandum est, ut Viri docti & patriæ literaturæ amantes certatim symbolam conferant, & vocabula inprimis provincialia suppeditent, aliave observata conferant sua. Sed redeo in viam atque hoc adhuc noto, Vito Durani Exemplari quædam fuisse adjecta, ex quibus recensio adolescentium illustrium, qui tempore Lotharii Saxonis Leodii studiis operam dedisse dicuntur, haud dubiè fabulosa est, potest tamen inesse aliquid boni.

Postremo damus CHRONICON VETUS HOLSATIÆ titulo *Continuationis Chronici Slavorum Helmoldi* (nempe quod Wagria cum vicinia olim ad Slaviam referretur, vid. pag. 29.) inscriptum in Codice Lambecii, unde beneficio celeberrimi Viri Danielis à Nessel,

Con-

Consiliarii & Bibliothecarii Cæsarei, ad me pervenit. Multa de hoc libello habet Johannes Mollerus Flensburgensis, Vir doctissimus, in Isagoga ad Historiam Chersonesi Cimbricæ; qui notat, quod & nos observavimus, ab Huitfeldio, Danckwerthio, Bangerto & aliis citari subinde, & Th. Bartholinum juniorem (quem præmatura morte nobis ereptum dolemus) Lib. 3 de causis mortis à Danis gentilibus contemtæ c. 3 gravissimè in eum tanquam incultum & maledicum invehi, & in Danorum gentem injurium. Et sane fatendum est, satis ineptè atque incohærenter scribere autorem, & odio in Danos flagrasse videri, nec fidem mereri cum effutit in ipsos contumeliosa. Cum tamen aliàs non pauca doceat, interest libellum non perire, tanquam habendum inter antiquitatis monumenta, in quibus venenum malignitatis tempus extinxit. Certè Joh. Adam. Cypræus primum, deinde Petrus Lambecius edere voluere, atque hic etiam notas promiserat. Danorum gentis virtus jam ab antiquo certissimis

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 90;Leibn. Marg. 90, Stück 1, [17] - -
PUBLIC DOMAIN

simis rerum documentis testatior est, quàm ut illi deteri quicquam hominis ut apparet simplicis & affectibus indulgentis qualicunque judicio possit. Stantibus adhuc Romanorum rebus *Danos* sub *Saxonum* nomine comprehensos arbitror, qui, ut postea Normanni, Britanniam & litus Aremoricum (quod tunc Saxonicum ab ipsis dicebatur) infestum habebant. Nam non planè ignotos nec incelebratos fuisse Romanis Danos, (etsi vix memorentur apud eos qui extant Scriptores) indicat vox hæc militaris honorificentissima: *Laudabatur Persès Marco, cum non noverat Gothum, sed ô ubi est Danus?* Nempe illas Saxonum laudes, quorum agilitatem, audaciam, robur, & nauticæ artis peritiam passim extollunt Sidonius aliique, puto & ad Danos pertinuisse. Quæ volui obiter annotare hac occasione, quia video non satis alibi observata. Et multo post tempore Adamus Bremensis locuples est testis neque suspectus, quàm illi, etiam quo ipse vixit ævo, recepto jam utcunque

cunque Christianismo, infracto animo, nullisque editis lamentis tulerint adversa.

Cæterum neque occupationes meæ, neque Typographi absentia permisere, ut in postrema recensione aspergerentur adhuc aliqua lucis nonnihil fortasse fœneratura, vel ut menda nonnulla residua vitarentur; cùm pars instantibus nundinis ne ad oculos quidem meos redierit, ubi typis exivit. Satis tamen emendatè edita, ex iis judico, quæ vidi. Et quanquam notæ, quæ potuissent dari multiplices, absint, atque eruditionis ornamenta nulla accesserint; puto tamen gratum intelligentibus fore, utcunque demum lucem videre Scriptores toties promissos, & fortasse non aliam ob causam tamdiu dilatos, quam quòd Viri docti qui editionem animo complexi erant, nonnisi ornatos in publicum prodire volebant. Scribendi morem ipsis usitatum, etsi subinde minus orthographicum, retinendum in plerisque judicavimus; nam eum quoque nosse, partem hujus Critices facit: interdum

terdum & subsunt Archaismi non inelegantes. Nec dictio ipsa semper contemnenda est, cum passim excerpta vetustiorum exhiberi videantur.

Supersunt errores nonnulli ex mendosis ferè Codicibus, quorum alii nostram vel attentionem vel industriam effugêre, alii, qui adhuc corrigi potuissent, (verbi gratia cum in Gestis Trevirorum pro continuare vel communicare pag. 98. 99 legendum, concinnare; pro Savorum [Suecorum] p. 70. legendum videtur Slavorum) lectores intelligentes non valde morabuntur. Quodsi aliquid novæ lucis affulgebit, poterit imposterum annotari, cum Accessiones Historicæ nostræ, DEO juvante, continuabuntur.

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 90;Leibn. Marg. 90, Stück 1, [20] - -
PUBLIC DOMAIN

CHRONOGRAPHUS SAXO
A CHRISTO NATO
AD ANN.
M C LXXXVIII.

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 90;Leibn. Marg. 90, Stück 1, [21] - -
PUBLIC DOMAIN

Olimpias CXCIII. SEXTA ÆTAS.

ANNUS DOMINICÆ Incarnationis I.

OVi qvoniam eſt ſalutis noſtræ principium, ſcribendi annalia hinc ordiamur initium. Hic eſt enim miſticus jubeleus, hic eſt veræ remiſſionis annus, in quo venit plenitudo temporis, hic & medius annorum, de quo propheta ait: In medio annorum notum facies, & in ira miſericordiæ memor eris.

Gabriel Archangelus virginem ſalutat & futurum ejus partum annuntiat. Veruntamen de Angeli & virginis colloquio plurima ſcribere non oportet, quoniam hoc nemini ignorare licet. Qui enim ignorat ignorabitur.

Octavianus Auguſtus poſt mortem avunculi ſui Julii Cæſaris XLII^{um} agit annum imperii ſui, & ſolus Monarchiam regit Anno XXIIX. poſt bellum Acciacum & pulſum Antonium cum Cleopatra, quando Ægyptus Romanis in provinciam ceſſit, quæ pridem antiquum & immane regnum fuit, cui primus ex Romanis Cornelius Gallus præficitur, qvi in Buccolicis Virgilii ſcribitur.

Auguſtus Cæſar habitatoribus Romanæ Urbis per *facies* dinumeratis invenit CXXXI milia & XXXVI.

Auguſtus Cæſar pace firmiſſima per mundi ambitum compoſita, Jani portas tertio ipſe clauſit, quas ex tunc per XII fere annos quietiſſimo ſemper obſeratas otio ipſa etiam rubigo ſignavit. Auguſtus autem Rempublicam quam bello adquiſierat, pace nutriebat. Leges multas ſtatuit, ipſe vero Domini appellationem ut homo declinavit. Nam eodem ludos ſpectante cum quidam mimus pronuntiaret: O Dominum æquum & bonum, & hoc univerſi exultantes approbâſſent, ipſe ſtatim manu vultuque indecoras adulationes repreſſit, & die

die ſequenti graviſſimo edicto omnes corripuit, neque ſe poſthæc Dominum appellari ab aliquo ullatenus conſenſit.

JESUS CHRISTUS DEI FILIUS in Bethleem Judæ naſcitur Olimpiade CXCIII. Hunc annum Domini acceptum Daniel eximius Prophetarum non ſolum cum cæteris futurum prædixit, ve etiam extra cæteros certum ei conſummationis terminum præfixit, dicente ſibi angelo. Septuaginta ebdomadæ adbreviatæ ſunt ſuper populum tuum & ſuper urbem ſanctam tuam, ut conſummetur prævaricatio, & finem accipiat peccatum, & deleatur iniquitas, & adducatur juſtitia ſempiterna, & impleatur viſio & prophetia, & ungatur Sanctus Sanctorum. De his hebdomadibus latius aliquid ſcribere, nemini ut putatur nocet, & fortaſſis alicui placet. Has quippe angelus iterum repetit dicens: Scito ergo & animadverte ab exitu ſermonis, id eſt, quando egreſſus eſt ſermo, & data eſt licentia, ut iterum ædificetur Jheruſalem, usque ad Chriſtum ducem, Ebdomadæ ſeptem & Ebdomadæ ſexaginta duæ erunt; Et paulo poſt: Confirmabit autem pactum multis ebdomada unâ. Hæ ſimul computatæ LXX erunt. Legimus in libro Esdræ ſcribæ, quod Neemias, qui erat Pincerna Regis ARTAXERXIS viceſimo ejusdem Regis anno impetraverit licentiam reædificandi muros Jheruſalem, cui operi ipſe præfuit, Nam à Cyri Regis Imperio usque ad illud tempus manſerat imperfectum opus propter vicinarum gentium incurſus, Dicit ergo Angelus: Ab exitu ſermonis, id eſt à data licentia usque ad Chriſtum Ducem LXX ebdomadas adbreviatas eſſe, quod ſic probabimus: Si unicuique Ebdomadæ ſeptem annos tribuis, quadringentos & nonaginta annos ex LXX ebdomadibus conficis, juxta lunarem hæbreorum ſupputationem, qui XII menſes non juxta Solis ſed juxta Lunæ curſum numerant. Illam a centeſimo & quinto decimo anno Regni Perſarum, quando Artaxerxes Rex ejusdem Imperii viceſimum regni ſui habebat annum & erat octogeſimæ & tertiæ Olimpiadis annus quartus usque ad ducenteſimæ ſecundæ Olimpiadis annum ſecundum, qui eſt quintus decimus Imperii Tiberii Cæſaris, colliguntur anni ſolares quadringenti

ti ſeptuaginta quinque, qui faciunt annos hebraicos quadringentos & nonaginta, juxta lunares ut diximus menſes. Olimpiadem autem per quadriennium ſupputamus. Itaque anno quinto decimo Imperii Tiberii Cæſaris confirmavit pactum multis ebdomada una, id eſt a LXX, quando factum eſt verbum ſuper Johannem Zachariæ filium & Jeſus XXX habens annos venit ad Baptiſmum, & deinceps per tres annos conditum eſt evangelium, nam per tria paſchata in Johanne legimus aſcendit Jeſus Jeroſolimam, tertio quidem paſſurus. Pactum enim nihil aliud intelligimus quam quod dictum eſt: Qui crediderit & baptizatus fuerit ſalvus erit. Hic vero diverſi diverſa ſentiunt, & multi multa loquuntur.

Annus Dni. II. Auguſti XLIII.

Magi veniunt ab oriente cum muneribus adorare Dominum. Auguſtus Cæſar cum Parthis amicitiam facit.

Annus Dni. III. Auguſti Cæſ. XLIV.

Herodes videns quam illuſus eſſet à Magis, occidit infantes a bimatu & infra, ſecundum tempus quod exquiſierat à Magis. Auguſtus Tiberium Liviæ filium privignum ſuum & Agrippam in filios adoptat.

Annus Dni. IV. Auguſti Cæſ. XLV.

Judas Galilæus ad rebellandum Judæos hortatur.

Annus Dni. V. Auguſti Cæſ. XLVI.

Aſinius Pollio orator & conſularis, qui de Dalmatis triumphavit, in Tuſculana villa moritur anno ætatis ſuæ LXXX.

Annus Dni. VI. Auguſti Cæſ. XLVII.

Herodes magno cruciatu moritur Anno XXXIV, poſtquam Antigonum interemit, ex quo autem regnum a Romanis acceperat XXXVII, pro quo filius ejus Archelaus regnavit annis IX. Hic natus ei fuerat ex Marthace Samaritide. Hic Herodes filius erat Antipatri Aſcalonitæ & Cypridis Arabicæ, qui primus alienigena & ignobilis Judæorum ſuſcepit principatum & exinde ablatum eſt ſceptrum ex Juda, & defecit Criſma & ſacerdotium ſecundum Danielis vaticinium.

Multos autem filios Herodes habuit, eo quod plures uxores haberet. Antipatrum ex Doſide quam ante regnum duxerat, Ariſtobulum &

& Alexandrum ex Mariamne filia Alexandri filii Ariſtiboli fratris Hircani Regis & Sacerdotis, quam ſibi ex regio genere ſociaverat; Doſidem autem cum filio Antipatro abjecerat. Item Antipam & Archelaum & Olimpiadem filiam ex Marthace Samaritide, Herodem ex filia Simonis Pontificis. Item Herodem & Philippum ex Cleopatra Jheroſolimitide, Phaſelum ex Pallade. Ariſtobolus vero quem pater interfecit cum Mariamne matre & Alexandro fratre tres habebat filios: Agrippam qui cognominatus eſt Herodes, item alium Herodem & Ariſtobulum & Herodiadem filiam, quam duxit Herodes filius filiæ Symonis Pontificis. Hanc poſtea tulit huic alter Herodes filius Cleopatræ Jheroſolimitidis frater Philippi, tetrarcha galilææ. Dicit enim Joſephus Herodiadem filiam fuiſſe Ariſtoboli filii Herodis primi à patre interfecti & hanc raptam fuiſſe ab Herode, non Philippo, ſed alteri Herodi. Porro quinque erant Herodes. I. erat filius Antipatri & Cypridis, qui occiſis III filiis cum uxore & multis cognatis ſemet pene exparentaverat, ſub quo naſcitur Chriſtus, poſt cujus nativitatem verò deinceps V annis regnavit, hic infantes occidit. II. hujus filius erat ex filia Symonis Pontificis. Hic duxerat Herodiadem filiam Ariſtoboli fratris ſui interfecti à patre cum Alexandro fratre, ex qua genuerat filiam Salome. III. frater hujus erat, ſed non ex una matre, filius quippe hic erat Cleopatræ tetrarcha Galilææ. Hic Herodiadem fratri tulit & Joannem Baptiſtam decollavit, & Jeſum illuſum ad Pilatum remiſit, poſt hæc exiliatus à Gajo cum Herodiade apud Lugdunum periit. IV. Binomius erat, Agrippa namque & Herodes appellabatur, & erat filius Ariſtoboli filii Herodis primi & frater Herodiadis, Hic Gajo Cæſare Regnum Judæorum ſuſcepit, Jacobum occidit, Petrum in vincula miſit, percuſſus tandem ab Angelo exſpiravit. V. frater erat hujus, de quo nihil dignum memoria legimus.

Annus Dni. VII. Aug. Cæſ. XLVIII.

Romæ facta eſt fames adeò dira, ut omnes peregrinos & ſervorum maximas copias exceptis medicis & præceptoribus ex urbe pelleret Auguſtus.

An-

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 90;Leibn. Marg. 90, Stück 1, [26] - 6
PUBLIC DOMAIN

Annus Dni. VIII. Aug. Cæſ. IL.

Tiberius jam Cæſar appellatur, Dalmatas & Sarmatas in Romanam ſubegit poteſtatem.

Annus Dni. IX. Aug. Cæſ. L.

Vicos Romanæ urbis incertum unde conſurgens flamma conſumpſit.

Annus Dni. X. Aug. Cæſ. LI.

Athenienſes, novas res molientes contra Romanos, opprimuntur.

Annus XI. Auguſti Cæſ. LII.

Meſſala Corvinus Orator biennio antequam moreretur ita memoriam ac ſenſum amiſit, ut vix pauca verba conjungeret.

Annus Dni. XII. Aug. Cæſ. LIII.

Jani portæ per XII. annos jam clauſæ ab Auguſto aperiuntur.

Annus Dni. XIII. Aug. Cæſ. LIV.

Satio Philoſophus & Præceptor Senecæ claruit.

Annus Dni. XIV. Aug. Cæſ. LV.

Auguſtus cum Tiberio cenſum Romæ agitans invenit nonagies tercentena & LXX milia hominum.

Annus Dni. XV. Aug. Cæſ. LVI.

Archelaus Rex Judeæ accuſatus ob inſolentiam nono regni ſui anno in Vienna ab Auguſto exiliatur, & regnum quatuor tetrarchis dividitur. Eodem anno Auguſtus Nolam ingreſſus morbo capitur & in Athelle oppido Campaniæ moritur anno ætatis ſuæ LXXV. Imperii vero LVI. poſt victum Antonium & Lepidum XLIII. & ſepultus eſt Romæ in Martio Campo, quem Senatus multis modis cenſuit honorandum, dicens, utinam non naſceretur aut natus non moreretur. Hujus Pater Octavius Senator erat, mater vero Accia ſoror Julii Cæſaris, quem Cæſar adoptaverat in filium, cum non haberet proprium, de cujus familia genus duxit à Venere & Ænea.

Annus Dni. XVI. Tyberii Cæſaris I.

Tyberius Libiæ filius, Auguſti privignus, mox gener, poſtremo adopti-

adoptione filius, Imperium Romanum adeptus eſt ab Aug. II & regnavitannis XXIII. Hic quoque Claudius Tiberius Nero dicebatur, eleganter à joculatoribus Caldius Biberius mero ob vinolentiam nominabatur. Satis prudens, in armis ſatis fortunatus, ante ſumptum Imperium ſic ſub Auguſto fuit, ut non immerito Reipublicæ dominatus ei committeretur. Habens ſcientiam literarum, multo præclarus eloquio, ſed ingenio peſſimo, repentinis reſponſionibus melior quam præmeditatis. Multo tempore cum magna & gravi moleſtia Reipublicæ præfuit, ſed paulatim in pejus mutatur. Principatum cuilibet ſemel datum non facile abſtulit, quantumlibet reprehenſibilis fuerit, hanc proponens fabulam. Dicebat quendam vulneratum ſeminecem jacere, cujus vulneribus muſcæ plurimæ inſidentes, ſanguinem lambentes gravi dolore hominem cruciabant. Tranſivit alius miſeransque hujus muſcas abigere volebat, ſed hoc à vulnerato reſponſum audiebat: Parce quæſo, ô homo, quoniam ſi depuleris muſcas ſaturas, famelicis acceſſum præparas, quæ multo dirius me laniabunt.

Annus Dni. XVII. Tiberii II.

Aſinius Gallus Aſinii Pollionis filius diris à Tyberio ſuppliciis enecatur.

Annus Dni. XIIX. Tiberii III.

Ovidius Poëta in exilio moritur.

Annus Dñi. XIX. Tiberii IV.

Germanicus Cæſar Druſi filius Gaji Pater de Germanis ad quos ab Auguſto jam ſene miſſus fuerat [triumphavit.]

Annus Dni. XX. Tiberii V.

Germanicus Cæſar à patruo ſuo Tyberio veneno interficitur.

Annus Dni. XXI. Tiberii VI.

Feneſtella Hiſtoriographus ſeptuagenarius moritur.

Annus Dni. XXII.

Tiberius Cæſar multos Reges per blanditias evocatos nunquam remiſit.

Annus

Annus Dni. XXIII. Tiberii VIII.

Pompeji theatrum incenditur.

Annus Dni. XXIV. Tiberii IX.

Tiberius Druſum fratris ſui filium conſortem regni facit, quem mox veneno interfecit.

Annus Dni. XXV. Tiberii X.

Servius Plautus corrupti filii reus ſemet in judicio interficit.

Annus Dni. XXVI. Tiberii XI.

Philippus tetrarcha Paneadem, in qua plurimas ædes conſtruxit, Cæſaream Philippi appellavit, & Juliadem aliam civitatem.

Annus Dni. XXVII. Tiberii XII.

Pilatus à Tiberio præſes mittitur Judææ.

Annus Dni. XXIIX. Tiberii XIII.

Votienus Narbonenſis orator moritur.

Annus Dni. XXIX. Tiberii XIV.

Herodes frater Philippi Tiberiadem condidit.

Annus Dni. XXX. Tiberii XV.

Jeſus à Johanne in Jordane baptizatur, deinde XL diebus jejunavit & temptatore ſuperato in virtute Spiritus Galilæam ingreditur, Apoſtolos vocat, regnum Dei annunciat, miracula facit.

Annus Dni. XXXI. Tiberii XVI.

Johannes Bapt. ab Herode decollatur.

Annus Dni. XXXII. Tiberii XVII.

Jeſus diſcipulos ſuos in ſingulas civitates binos miſit, ut prædicarent, baptizarent & ſigna facerent.

Annus Dni. XXXIII. Tiberii XIIX.

Chriſtus à Judæis patitur & LXX Ebdomades in Daniele ſcriptæ complentur. Inter plurima autem quæ tunc ibi acciderunt miracula, Sacerdotes locorum commotiones & ſonitus audierunt, dein ex adito templi vocem erupiſſe: Tranſeamus ex hiſce ſedibus: Hæc autem Joſephus ſcribit, qui etiam de Chriſto ſic ait: Fuit isdem Jeſus vir ſapiens, ſi tamen virum eum nominare fas eſt, fuit enim mirabilium operum effe-

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 90;Leibn. Marg. 90, Stück 1, [29] - 9
PUBLIC DOMAIN

effector, & doctor hominum eorum, qui libenter ea, quæ vera ſunt, audivit, & multos quidem judæorum, multos etiam ex gentibus ſibi adjunxit, Chriſtus hic erat. Hunc accuſatione primorum noſtræ gentis virorum, cum Pilatus in crucem agendum decreviſſet, non deſeruerunt hi, qui ab initio eum dilexerant. Apparuit enim eis tertia die iterum vivus, ſecundum quod divinitus inſpirati Prophetæ vel hæc vel alia de eo innumera miracula futura eſſe prædixerant, Sed & in hodiernum diem Chriſtianorum qui ab eo nuncupati ſunt & nomen perſeverat & genus. Eodem anno Stephanus lapidatur. De hoc anno in quo Jeſus patitur etiam FLEGO Gentilium ſcriptor ſic ait: Quarto autem anno Olimpiadis CCII. magna & excellens ſuper omnes quæ ante eam fuerant defectio Solis facta eſt hora diei ſexta, ut ſtellæ in cœlo viſæ ſint, terræque motus in Babilonia Nicenæ urbis multas ædes ſubvertit.

Annus Dni. XXXIV. Tiberii XIX.

Paulus de cœlo vocatus. Jacobus frater Domini Jeroſolimis Epiſcopus ordinatur ab Apoſtolis, ſeditque annis XXX.

Annus Dni. XXXV. Tiberii XX.

Pilatus imaginem Cæſaris in templo ſtatuere volens, ſeditiones in Judæis excitavit, & ſacrum theſaurum, qui Corbanan dicitur, abſtulit.

Annus Dni. XXXVI. Tiberii XXI.

Sejanus Præfectus Tiberium hortatur, ut Judæos deleat.

Annus Dni. XXXVII. Tiberii XXII.

Pilatus ad Tiberium ſcripſit de paſſione & reſurrectione Domini & de virtutibus ejus, per quas creſcente plurimorum fide Deus crederetur. Tiberius verò cum magno favore retulit ad Senatum, volens ut inter cætera ſacra reciperetur. Senatus verò indignatione commotus, cur non ſibi primò delatum fuiſſet, ut de ſuscipiendo cultu ipſe prius decerneret, religionem Chriſti recuſavit & Chriſtianos urbe pellendos cenſuit, Tiberius verò accuſatoribus Chriſti edicto mortem comminatus eſt, & ob hanc cauſam plurimos ſenatores proſcripſit & in mortem coëgit. Pilatus decimum agens annum à Judæis accuſatur.

An-

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 90;Leibn. Marg. 90, Stück 1, [30] - 10
PUBLIC DOMAIN

Annus Dni. XXXVIII. Tiberii XXIII.

Tiberius in Capua veneno periit, insidiis Gaji Caligulæ anno Imperii XXIII, ætatis LXXVIII.

Annus Dni. IXL. Gaji I.

Gajus Caligula III ab Augusto Imperium susceptit, & regnavit annis III. menses X. dies VIII. Hic filius erat Germanici, qui filius erat Drusi fratris Tiberii Cæsaris. Augustus namque Drusum & Tiberium privignos suos adoptaverat in filios, Drusus autem genuit Germanicum, Germanicus Gajum, hic quia in exercitu natus fuit, ex calciamento militari caligula nomen accepit, Tiberius autem Cæsar moriturus patriis Diis supplicabat, ut successorem regni sibi prænonstrarent, Responsum ergo accepit, Hunc esse regnaturum, qui sibi primus summo diluculo præ foribus astaret. Mandat ergò nepotis sui Tiberii (hic Tiberius erat filius Drusi, filii Tiberii Cæsaris, quem Caligula veneno interfecerat) pædagogo, ut sibi primo mane puerum adduceret, quo tardante ciborum perceptione Gajus primo affuit, Quem videns Tiberius semetipsum arguebat, quod ullum à Diis augurium quæsierat. Commisit itaque huic imperium, multum sibi commendans Tiberium parvulum. Gajus verò pro tempore benigne respondit, sed omnia mentitus puerum interfecit. Suscepto namque Imperio talis fuit, ut omnium antecessorum omnia crimina suis criminibus purgaverit. Nam ut breviter crudelitatem & nequitiam ejus depromam, sæpe exclamâsse fertur: Utinam populus Romanus unam cervicem haberet. Gajus Agrippam Herodem Judææ præfecit, & Judæos calamitatibus pressit, semet in Deos transtulit.

Annus Dni. XL. Gaji II.

Philo pro judæis apud Gajum interpellans nichil proficit.

Annus Dni. XLI. Gaji III.

Pilatus a Gajo multis calamitatibus pressus se ipsum interfecit.

Annus Dni. XLIII. Gaji IV.

Matthæus Evangelium hæbraicè scribit. Herodes cum Herodiade apud Lugdunum exiliatur, hic est qui Johannem Bapt. decollavit & passioni

paſſioni Salvatoris interfuit, Hunc Aretha Rex Arabum prioribus annis bello vicerat, cujus filiam propter Herodiadem repudiaverat, de quo Joſephus ſic ſcribit: Juſtè ultio divina in Herodem commota fuit pro vindicta Johannis qui vocabatur Baptiſta. Hic enim Herodes occidit virum valdè bonum, qui præcipiebat Judæis virtuti operam dare, juſtitiam colere, pietatem in DEUM ſervare & per baptiſmum in unum coire. Eodem anno Gajus à protectoribus ſuis occiditur, quem Cereas tribunus primus gladio adpetiit, in cujus Secretario inventa eſt archa ingens variorum venenorum, quibus Claudio Cæſare jubente dimerſis maria dicuntur infecta, in tantum ut multitudo piſcium, quos idem exitium enecaverat, per littora invenirentur ejecta. Periit autem anno ætatis ſuæ XXXVIII. Regni IV.

Annus Dni. XLIV. Claudii I.

Claudius Cæſar quartus ab Aug. Imperium adeptus eſt & regnavit annis XIII menſes VIII dies XXVIII.

Hic patruus erat Gaji frater Germanici filius Druſi, qui Auguſtam Vindelicam civitatem in Rhetia provincia condidit, & apud Mogontinum habet monumentum. Claudius verò Cæſar, ventri, vino, libidini fædæ obediens, vecors ac pavidus libertorum & conjugis ſubjacebat imperiis.

Annus Dni. XLIV. Claudii II.

Duodecim Apoſtoli XII ut Beda ſcribit anno per orbem ſunt diviſi. Ex quibus Petrus fundata primum Antiocena Eccleſia Romam tetendit, ubi cathedram Epiſcopalem per XXV annos tenuit.

Annus Dni. XLV. Claudii III.

Primus poſt Petrum Antiochiæ Evodius ordinatur Epiſcopus. Herodes Agrippa, filius Ariſtoboli, anno regni ſui VII percutitur ab angelo.

Annus Dni. XLVI. Claudii IV.

Claudius Cæſar de Britannis triumphat: Eodem anno orta eſt fames per Siriam, quam Agabus Propheta prædixerat. Hoc anno Paulus & Barnabas aſcenderunt Jeroſolimam.

Annus

Annus Dni. XLVII. Claudii V.

Descriptione facta sub Claudio inventa sunt civium Romanorum LXIX centena & XLIV milia.

Annus Dni. XLVIII. Claudii VI.

Tracia hactenus regnata Romanis in provinciam cessit.

Annus Dni. IL. Claudii VII.

In diebus azymorum prostrata sunt XXX milia Judæorum ob impudentiam unius militis Romani.

Annus Dni. L. Claudii VIII.

Paulus apud Athenas aram ignoto DEO superscriptam reperit.

Annus Dni. LI. Claudii IX.

Claudius Judæos urbe Roma expulit.

Annus Dni. LII. Claudii X.

Fenix in Ægypto visa est. Hæc avis est arabiæ sui generis tantum una quingentos annos vivens. Quibus finitis ipsa senescens herbas aromaticas plurimas colligit, quibus superfedens verbere alarum eas incendit & semetipsam exurit. De cujus pulvere alia dicitur reviviscere.

Annus Dni. LIII. Claudii XI.

Claudius Felicem Judææ procuratorem mittit, apud quem Paulus accusatus in defensionem sui perorat.

Annus Dni. LIV. Claudii XII.

Symon Magus auctor Simoniacæ hæresis extitit.

Annus Dni. LV. Claudii XIII.

Ex Ægipto quidam veniens dicebat se esse Prophetam, & multos Judæorum seduxit, promittens, si conscenderent secum montem olivarum, ipsis regredientibus muros Jerusalem esse ruituros. Quo comperto Felix missis militibus multos (cccc) ex his peremit, quosdam vivos (cc) cepit. Ægiptius fuga lapsus effugit.

Annus Dni. LVI. Claudii XIV.

Claudius ab Agrippina uxore sua interemptus est, anno vitæ suæ LXIV. Annus

Annus Dni. LVII. Neronis I.

Prima perſecutio in Chriſtianos.

Domitius Nero V ab Auguſto ſumpſit imperium & regnavit annis VIII menſibus VII diebus XXVIII. Hic filius erat Domitii Romanorum Nobiliſſimi & Agrippinæ ſororis Gaji & filiæ Germanici fratris Claudii. Hanc quippe mortuo Domitio Claudius Cæſar duxerat occisà Meſſalina uxore ſuâ, de qua filium nomine Britannicum ſuſceperat, & filiam Octaviam. Domitium autem filium Agrippinæ Claudius adoptaverat, & vocans eum Neronem dedit ei Octaviam, quam ex priore uxore genuerat, Agrippina verò metuens, ne Britannico creſcente regnum Neroni ſurriperetur, maritum veneno peremit, & ſuis machinamentis filio ſuo Neroni Imperium adquiſivit. Suſcepto itaque imperio per quinquennium bonus apparuit, in tantum ut diceret Trajanus, cunctos Principes à quinquennio Neronis longè diſtare : Dehinc matrem, fratrem, uxorem & ſororem cum cæteris conſanguineis peremit, & reliquum tempus magnis & multis nequitiis polluit. Urbem Romam per VI dies incendit ex hac ſimilitudine videre volens, quale incendium antiquæ Trojæ fuerit. In re militari nichil auſus, Britanniam pene amiſit, & primus in Chriſtianos perſecutionem movit, & multos nobilium Romæ interfecit, & per omnia Gajo Caligulæ avunculo ſuo ſimilis, imo deterior fuit.

Annus Dni. LVIII. Neronis II.

Nero Britannicum Claudii filium occulte veneno interfecit. Paulus appellans Cæſarem à Feſto Romam mittitur. Petrus Apoſtolus defuncto Lino, Cletum in locum ejus ſubrogavit. Nam idem Apoſtolus Romanam ſedem primo adeptus, Linum ſuo loco cathedram tenere juſſit, ipſe verò prædicationem deſervivit.

Annus Dni. LIX. Neronis III.

Probus Beritius Grammaticus agnoſcitur.

Annus Dni. LX. Neronis IV.

Statius Surſulus Poëta claruit.

Annus

Annus Dni. LXI. Neronis V.

Terræ motus Romæ & eclipſis Solis facta eſt.

Annus Dni. LXII. Neronis VI.

Nero Romæ in Citharistarum & Cantorum agone contendens cunctos ſuperavit.

Annus Dni. LXIII. Neronis VII.

Jacobus frater Domini à Judæis lapidatur, & Symeon frater ejus Jheroſolimorum Epiſcopus ordinatur.

Annus Dni. LXIV. Neronis IIX.

Marcus Evangeliſta Alexandriæ paſſus eſt, pro quo Anianus Epiſcopus ordinatur.

Annus Dni. LXV. Neronis IX.

Proceſſus & Martinianus Romæ ſub Nerone coronantur & alii XLVII, qvos Petrus Apoſtolus baptizaverat. Ante menſam Neronis fulmen cecidit.

Annus Dni. LXVI. Neronis X.

Lucanus Poëta in Piſoniana conjuratione deprehenſus brachium ad ſecandas venas præbuit.

Annus Dni. LXVII. Neronis XI.

Thermæ à Nerone ædificantur, quas Neronianas appellavit.

Annus Dni. LXIIX. Neronis XII.

Seneca Cordubenſis & Præceptor Neronis juſſus ab eo genus mortis eligere, inciſione venarum & hauſtu veneni interiit.

Annus Dni. LXIX. Neronis XIII.

Judæi non ferentes Flori ſucceſſoris Albini avaritiam Romanis rebellant. Veſpaſianus igitur dux exercitus ad excidium Jheroſolimorum à Nerone dirigitur.

Annus Dni. LXX. Neronis XIV.

Petrus Apoſtolus peracto prædicationis ſuæ tempore iterum Romam venit & defuncto Cleto, Clementi Cathedram Romanam tradidit, dans ei poteſtatem ligandi atque ſolvendi, qualem ipſe à Domino acceperat. Eodem anno à Nerone Petrus crucifigitur, Paulus

lus decollatur III Kal. Julii. Sedit autem Clemens annos XIX Menſes V, patitur verò ſub Domitiano, licet quidam ſub Trajano paſſum contendant. Interea Galba Hiſpaniæ prætor & Gallus Julius imperium arripuere. Nero autem polluto multis ſceleribus ſuo tempore, hoſtis à ſenatu judicatus eſt. Decretum eſt autem, ut furca collo ejus inſerta, & virgis uſque ad mortem cæſus de ſaxo præcipitaretur. Quod ille audiens, ſimulque Galbæ adventum comperiens, fugit de palatio & urbem egreditur noctis medio. Sequuntur autem eum Phaon apafroditus, Nefitus & Spado Neſpero, quem quondam exſectum formare in mulierem formaverat. Cumque veniſſet inter ſalariam & numentanam viam, ad quartum urbis miliarium ictu gladii ſe percutere voluit, ſed trepidante manu perficere non potuit. Tunc exclamâſſe fertur. Ita nec amicum nec inimicum habeo, quod videns Neſpero adjuvit manum ejus ſicque interiit anno vitæ ſuæ XXXI, Imperii autem XIV. Omnis verò familia Cæſaris Auguſti in eo conſumpta eſt. Quidam autem ajunt Neronem errantem in ſilvis à lupis devoratum. Hunc Perſæ in tantum dilexerant, ut miſſis nuntiis Romam, corpus ejus poſtularent, volentes ei fabricare ſepulcrum. Cæterum provinciæ & omnis populus Romanus in ejus interitu ſignum triumphi & libertatis celebraverunt. Antiochiæ Ignatius Evodio ſuccedit.

Annus Dni. LXXI. Galba, Otto, Vitellius.

Hoc anno regnavit unus poſt alium.

Galba nobiliſſimæ antiquitatis Senator utpote de Sulpitiorum genere electus in Hiſpania ab exercitu Romam venit & VI ab Auguſto VII menſibus regnavit. Hic in re militari tam ſtrenuus & inſignis fuit, ut intrante eo in caſtra diceret, alter ad alterum. Diſce militare, ecce Galba venit, non ille Getulicus. Hic quendam Piſonem nobilem in filium regnumque adoptaverat, ipſe autem menſe VII in medio urbis foro decollatur, inſidiis cujusdam Ottonis, qui poſt eum regnum arripuit. Eodem anno Lucius Otto occiſis Galba & Piſone imperium corripuit. Eligitur autem & Vitellius à Germanicis exercitibus;

citibus; contra hunc Otto ſuſcepto prælio ter victor extitit, qvarto victus ſe ipſum peremit. Hic ſuis militibus tam fuit amabilis, ut viſo ejus corpore multi ſe interficerent. Ortus autem fuit ex Ferentino oppido, materno genere nobiliore quam paterno, neutro tamen obſcuro. Regnavit dies XCV.

Vitellius victor Romam ingreſſus, vi Romano potitur imperio, ortus familia nobilitata magis qvam nobili. Nam pater ejus Lucius Vitellius non tam clare natus, tres tamen geſſerat ordinarios conſulatus.

Hic cum multo dedecore & magna ſævitia imperavit, omnibus vitiis notabilis, maximè ingluvie, quippe qvi in die quater aut quinquies fertur epulatus, Notiſſima certè hujus cæna memoriæ mandata eſt, in qua ſuper cæteros ſumtus, II milia piſcium, & ſeptem *avicellorum* appoſita ſunt. Interim Veſpaſianus in Judæa audita Neronis morte ab exercitu Imperator creatus eſt, quod audiens Vitellius fratrem Veſpaſiani Sabinum cum aliis multis in Capitolio incenſum peremit, unde à militibus Veſpaſiani comprehenſus ictibus eſt carnificatus, & unco pertractus in Tiberim dimergitur Anno ætatis LVII, Imperii menſe IIX. Hi tres poſt Neronem rapuerunt imperium; Galba in Hiſpania, Otto Romæ, Vitellius in Germania, regnaverunt Anno I menſibus VI.

Annus Dni. LXXII. Veſpaſiani I.

Veſpaſianus in Judæa ab exercitu Imperator creatus, regnavit annis IX. Hic dimiſſo Tito filio ſuo in Judæa Romam profectus eſt per Alexandriam, obſcure quidem natus, ſed militari virtute præcipuus & optimis comparandus, utpote qui à Claudio in Germaniam, deinde in Britanniam [miſſus] tricies & bis cum hoſtibus conflixit, multum Romano Imperio adjiciens. Hic inter cætera bona hanc gratiam habuit, ut inimicitias in corde non retineret, in tantum ut filiam prædicti Vitellii inimici ſui multis ditatam divitiis nobiliſſimo traderet marito. Hic cum moneretur, ut caveret à Themetio, de quo ſermo vulgabatur, quod regnaturus eſſet, mox Conſulem illum

 fecit,

fecit, tali alludens cavillo. Quando regnum acceperit, talis beneficii memor erit. Jheruſalem à Tito capitur, in cujus excidio ſcribit Joſephus undecies centena milia fame periſſe & gladio, & centum milia publice fuiſſe venundata. Omnes autem totius ſeculi miſeriæ cum Judæorum miſeriis non ſunt comparandæ, quas ſunt paſſi in hac ſubverſione ut Joſephus ait: Denique omnium poſt condita ſecula res adverſæ ſi cum Judæorum calamitatibus conferantur, ſuperatum iri non ambigo. Capta eſt autem Jheruſalem die VIII menſis Septembr. qvinqvies qvidem prius capta, tunc iterum vaſtata eſt, Ægiptiorum Rex Aſocheus & poſt eum Antiochus, deinde Pompejus, poſt hos cum Herodes & Soſius captum oppidum ſervaverunt, ante verò Rex Babiloniorum eo potitus excidit: poſt annos ex quo ædificatum eſt mille trecentos & XL & menſes VIII dies VI. Primus autem conditor ejus fuerat Cananæorum potentiſſimus, qui patria lingua juſtus Rex appellatus eſt, erat quippe talis, ideoque primus Deo ſacrificium obtulit.

Annus Dni. LXXIII. Veſpaſiani II.
Veſpaſianus Capitolium cæpit ædificare.

Annus Dni. LXXIV. Veſpaſiani III.
Sedſtio in Alexandria orta eſt.

Annus Dni. LXXV. Veſpaſiani IV.
Coloſſus Romæ erectus eſt altitudine pedum C & VII.

Annus Dni. LXXVI. Veſpaſiani V.
Joſephus antiquitatum ſcriptor clarus habetur.

Annus Dni. LXXVII. Veſpaſiani VI.
Tres civitates Cypri terræ motu corruerunt.

Annus Dni. LXXVIII. Veſpaſiani VII.
Romæ peſtilentia facta eſt, ut intra paucos dies X ferè milia hominum morerentur.

Annus Dni. LXXIX. Veſpaſiani VIII.
Veſpaſianus profluvio ventris moritur.

Annus

Annus Dni. LXXX. Titi I.

Titus Veſpaſiani & Domitillæ filius VIII ab Auguſto imperium adeptus eſt & regnavit annis II menſibus totidem. Hic vir moderatiſſimus & omnium genere virtutum mirabilis, adeo ut amor & deliciæ generis humani vocaretur. Tantæ quippe largitatis erat, ut nulli à ſe petenti negaret, dicens nullum debere ab Imperatore triſtem exire. Quadam itaque die dum recordaretur in cæna, quod nichil ipſa die cuiquam præſtitiſſet, fertur dixiſſe: Amici, hodie diem perdidi. Moritur autem anno ætatis ſuæ XLII, Imperii III. In cujus obitu planctus Romæ quaſi relinquerentur orphani à patre. Primo imperii ſui anno amphitheatrum ædificavit, in cujus dedicatione ferarum quinque milia occidit.

Annus Dni. LXXXI. Titi II.

Repentinum incendium Romæ per triduum fuit.

Annus Dni. LXXXII. Domitiani I.

Domitianus filius Veſpaſiani frater Titi junior, VIIII ab Auguſto, Imperium accepit & XV annis & menſibus VI regnavit. Hic primum ſe finxit miſericordem & modeſtum, deinde ad omnia vitiorum genera progreſſus Caligulæ & Neroni ſimilior extitit, quam patri aut fratri. Hic Dominum ac Deum ſe appellari ſcribique juſſit, & ſecundam in Chriſtianos perſecutionem movit. In tantam verò deinde ſegnitiem devenit, ut ſolus in palatio muſcarum perſequeretur agmina. Nam cum interrogaretur ab aliquo, ſi aliquis eſſet in palatio, ait, ne muſca quidem. Hic in arte ſagittandi tam doctus fuit, ut inter expanſos digitos hominis à longè ſtantis ſagittam transmitteret.

Annus Dni. LXXXIII. Domitiani II.

Titus decreto Senatus inter Deos refertur.

Annus Dni. LXXXIV. Domitiani III.

Domitianus multos Senatorum exiliat.

Annus Dni. LXXXV. Domitiani IV.

Alexandriæ Abililius Epiſcopus ſuccedit Aniano.

Annus Dni. LXXXVI. Domitiani V.
Tres virgines Veſtæ Romæ ob ſtuprum damnantur.

Annus Dni. LXXXVII. Domitiani VI.
Domitianus Mathematicos & Philoſophos urbe pepulit.

Annus Dni. LXXXVIII. Domitiani VII.
Domitianus forum & multa ædificia fecit.

Annus Dni. IXC. Domitiani VIII.
Hæreſis Menandri exoritur.

Annus Dni. XCI. Domitiani IX.
Domitianus de Dacis & Germanis triumphat.

Annus Dni. XCII. Domitiani X.
Maxima virginum Veſtalium Cornelia ſtupri rea viva humi defoſſa eſt juxta ipſarum legem.

Annus Dni. XCIII. Domitiani XI.
Domitianus aureas & argenteas ſtatuas ſibi in Capitolio poni juſſit.

Annus Dni. XCIV. Domitiani XII.
Domitianus *ſecundam* in Chriſtianos *perſecutionem* movit. Hic Johannem Evangeliſtam in ferventis olei dolium miſit, quem ſine læſione egreſſum in Patmos inſulam exiliavit, propter inſuperabilem Evangelizandi conſtantiam, ubi divinæ viſionis & allocutionis meruit crebra conſolatione relevari.

Annus Dni. XCV. Domitiani XIII.
Domitianus multos nobilium perdidit.

Annus Dni. XCVI. Domitiani XIV.
Dioniſius Ariopagita primus Athenienſium Epiſcopus à Paulo conſtitutus ſed poſtea in Gallias à Clemente directus apud Pariſium decollatur cum Ruſtico & Eleuterio anno à paſſione Domini LXIV.

Annus Dni. XCVII. Domitiani XV.
Domitianus omnes qui erant de genere David juſſit interfici, ne ullus Judæorum regni reliquus foret.

Annus

Annus Dni. XCVIII. Domitiani XVI.

Domitianus omnibus odiosus, insidiis suorum in palatio interficitur & cum ignominia detractus turpiter sepelitur anno ætatis suæ XXXV.

Annus Dni. IC. Nervæ I.

Nerva oppido Narniensi genitus mediæ nobilitatis, X ab Augusto susceptit Imperium & regnavit anno I menses IV dies IIX. Hic in privata vita moderatus & strenuus, in Imperio civilissimum se & æquissimum præbuit. Hic decreto Senatus irritum fieri jussit, quicquid Domitianus decreverat, & edicto suo omnes exules revocavit. Unde & Johannes Ephesum rediens invenit Ecclesiam hæresibus turbatam, quapropter rogatu fratrum Evangelium scribens fidem rectam confirmavit. Nerva quidem adoptato in filium regnumque Trajano morbo confectus obiit. Imperii verò mense anni secundi, ætatis anno LXXII.

Annus Dni. C. Trajani I.

Ulpius Trajanus Crinitus XI ab Augusto apud Agrippinam Galliæ nobilem civitatem Imperator efficitur & regnavit annis XIX menses VI dies XV. Hic *ex urbe Tudertina genitus*, genere Hispanus, ex familia antiqua magis quam clara, rempublicam ita administravit, ut omnibus merito principibus præponeretur. Duo quippe sunt, quæ ab egregiis Principibus expetuntur, sanctitas domi, fortitudo in prælio, prudentia utrobique. Talis autem in his fuerat Trajanus, ut quasi temperamentum virtutes miscuisse crederetur. Laboris patiens, multa imperio adjiciebat, multa beneficia quibusque per totum orbem præstabat. Siquidem dum culparetur, quod nimius esset erga omnes, ait: Imperatorem talem esse debere erga cæteros, qualem Imperatorem ipse erga se optaret privatus. Hujus imperium creditur divinitus datum in remedium perditi & prostrati senatus. Hujus memoriæ tantum delatum est, ut *usq; ad nostram ætatem* à Senatu Principibus acclamaretur: Felicior Augusto, melior Trajano. Johannes Apostolus in pace quievit Ephesi.

Annus Dni. CI. Trajani II.

Tertius Alexandriæ cerdo præſedit Epiſcopus.

Annus Dni. CII. Trajani III.

Nerva juſſu Senatus inter Deos refertur.

Annus Dni. CIII. Trajani IV.

Evariſtus quartus ordinatur Papa ſeditque annos VIII, patitur ſub Trajano.

Annus Dni. CIV. Trajani V.

Trajanus Romano Imperio multa adjecit.

Annus Dni. CV. Trajani VI.

Romæ aurea domus conflagravit incendio.

Annus Dni. CVI. Trajani VII.

Trajanus de Dacis & Scytis triumphat.

Annus Dni. CVII. Trajani IIX.

Terræ motu quatuor urbes Aſiæ ſubverſæ ſunt.

Annus Dni. CIIX. Trajani IX.

Alexandriæ IV ordinatur Epiſcopi nomine Primus.

Annus Dni. CIX. Trajani X.

Trajanus quorundam conſilio *tertiam* in Chriſtianos *perſecutionem* movit.

Annus Dni. CX. Trajani XI.

Ignatius ſecundus Antiochiæ Epiſcopus Roma adductus beſtiis traditur. Simeon Epiſcopus Jeroſolimorum crucifigitur, pro quo Juſtus ordinatur.

Annus Dni. CXI. Trajani XII.

Alexander V. Romæ Epiſcopus ſedit annis X.

Annus Dni. CXII. Trajani XIII.

Plinius qui inter cæteros Judices perſecutor datus fuerat Chriſtianis, ſcripſit Trajano, eos homines nihil dignum morte gerere, niſi quod Diis non immolarent, & Chriſtum quaſi Deum ante lucem ſurgentes laudarent, ab omnibus verò malis abſtinerent, reſcripſit Trajanus Chriſtianos pro fide nullatenus eſſe inquirendos, ſicque perſecutio ceſſavit.

Annus

Annus Dni. CXIII. Trajani XIV.

Tres civitates Galatiæ terræ motu corruerunt.

Annus Dni. CXIV. Trajani XV.

Jheroſolimis IV ordinatur Epiſcopus Zachæus.

Annus Dni. CXV. Trajani XVI.

Trajanus Armeniam, Siriam & Meſopotamiam facit eſſe provincias.

Annus Dni. CXVI. Trajani XVII.

Terræ motus in Antiochia pene totam ſubruit civitatem.

Annus Dni. CXVII. Trajani XIIX.

Salaminam Cipri urbem ſubvertêre Judæi.

Annus Dni. CXIIX. Trajani XIX.

Trajanus poſt ingentem gloriam domi belloque quæſitam rediens de Perſide apud Seleuciam Iſauriæ urbem profluvio ventris moritur, anno vitæ ſuæ LXIII: Imperii verò menſe VII viceſimi anni, cujus exuſti cineres in urna aurea Romam relati in foro Trajani humati ſolusque intra urbem ſepulcrum habet. Hic eſt pro quo Beatum Gregorium fleviſſe legimus. Nam in ejus foro, ubi cuncta Trajani inſignia facta expreſſa ſunt, inter cætera hoc quoque mira cælatura depictum eſt, quod properanti ſibi ad prælium occurrit quædam vidua pro morte filii implorans ab Imperatore judicium. Quo reſpondente, cum reverſus fuero audiam te, mulier autem ait: Quid verò ſi non reverſus fueris, ait Imperator, ſucceſſor imperii cauſam tuam aget. Ad hæc mulier: Quid inquit tibi prodeſt, ô princeps, ſi alius bene fecerit: Miſericordia igitur motus Trajanus, deſcendens equo viduam audivit, juſtitiam ei faciens. Hæc itaque gentilis hominis miſericordia in tantum memoratum Doctorem movit, cum hanc ſculpturam præteriens adſpiceret, ut multas pro Trajani damnatione lacrimas fuderit. Accepit autem reſponſum ſe pro Trajano exauditum eſſe, monitus ne pro pagano deinceps deberet orare. Per hanc verò exauditionem non affirmamus ei plenam ſalvationem, ſed accepiſſe pro lacrimis Gregorii pœnam mitiorem.

Annus

Annus Dni. CXIX. Adriani I.

Ælius Adrianus genere Italicus, XII ab Augusto Imperator efficitur, regnavitque annis XVI. Hic licet fuerit filius consobrini Trajani, tamen adoptare eum noluit, sed machinante Plotina Trajani uxore imperium accepit, quin & gloriæ ejus invidens tres provincias, qvas ille imperio adjecerat, reliquit. Hic eruditissimus & facundissimus fuit græco latinoque sermone, acutus nimis ad interrogandum & respondendum, ordinata ordinatis, jocosa jocosis, maledica melidicis, cantilenam cantilenis, ita ut præmeditatum eum crederes contra omnia. Nam in omnibus studiis Athenienſium perfectissimus fuit, & in omnibus artibus, etiam ut pictorum & figulorum scientiam haberet, & rara esset res illi non experta. Hic ut bonum se ostenderet, vitia quæ habebat callide dissimulabat.

Annus Dni. CXX. Adriani II.

Senatus inter Deos refert Trajanum.

Annus Dni. CXXI. Adriani III.

Alexander Papa coronatur, pro quo Sixtus ordinatur.

Annus Dni. CXXII. Adriani IV.

Justus Alexandriæ V ordinatur Episcopus.

Annus Dni. CXXIII. Adriani V.

Judæi secundo rebellantes ab Adriano opprimuntur.

Annus Dni. CXXIV. Adriani VI.

Adrianus Athenienſibus leges dedit.

Annus Dni. CXXV. Adriani VII.

Adrianus *quartam* in Christianos *persecutionem* movet, dehinc per quadratum Apostolorum discipulum divinos legens libros mitior Christianis efficitur.

Annus Dni. CXXVI. Adriani VIII.

Saturnides & alii duo hæresin condiderunt.

Annus Dni. CXXVII. Adriani IX.

Adrianus Pater patriæ appellatur & uxor ejus Augusta.

Annus

Annus Dni. CXXIIX. Adriani X.

Sixtus Papa coronatur, pro quo Teleſphorus ordinatur, hic conſtituit in ſancta nativitate Domini nocte miſſas celebrari.

Annus Dni. CXXIX. Adriani XI.

Quadratus Apoſtolorum diſcipulus & Ariſtides Athenienſis libros de fide compoſuerunt.

Annus Dni. CXXX. Adriani XII.

Antiochiæ IV Cornelius ordinatur Epiſcopus.

Annus Dni. CXXXI. Adriani XIII.

Nicopolis & Cæſarea terræ motu corruerunt.

Annus Dni. CXXXII. Adriani XIV.

Eumenes Alexandriæ ordinatur VI Epiſcopus.

Annus Dni. CXXXIII. Adriani XV.

Antinous puer egregius & eximiæ pulchritudinis in Ægipto moritur, quem Adrianus in Deos refert.

Annus Dni. CXXXIV. Adriani XVI.

Templum Veneris Romæ erectum eſt.

Annus Dni. CXXXV. Adriani XVII.

Adrianus Athenis bibliothecam miri operis exſtruxit.

Annus Dni. CXXXVI. Adriani XIIX.

Judæi in arma verſi Palæſtinam depopulantur.

Annus Dni. CXXXVII. Adriani XIX.

Marcus Jeroſolimis præſedit Epiſcopus primus ex gentibus.

Annus Dni. CXXXVIII. Adriani XX.

Helius Adrianus Jeruſalem in eo loco, ubi dominus extra portam paſſus eſt, rurſus reædificavit, vocans eam ex nomine ſuo Eliam. Nam antea eam exterminari juſſerat, & arari, ut non relinqueretur lapis ſuper lapidem, Judæos ultima cæde perdomuit, & introeundi Jeruſalem licentiam eis abſtulit. Ipſo regnante Aquila Ponticus ſcripturas ſacras de Hebræo in Græcum tranſtulit.

Annus Dni. CIXL. Adriani XXI.

Adrianus in Campania morbo ſubcutaneo moritur, anno ætatis LXII, Imperii XXI. An-

Annus Dni. CXL. Antonini Pii I.

Antoninus Fulvius cognomento Pius XIII ab Auguſto ſumpſit imperium & regnavit annis XXII menſes III. Hunc Adrianus in filium adoptaverat, cujus & gener fuerat. Hic adæquatus fuerat Numæ Pompilio, ſicut Trajanus Romulo. Vixit ingenti honeſtate, nulli acerbus, cunctis benignus, in re militari gloriæ moderatior, defendere magis ſtudens provincias quam ampliare. Viros bonos ad magiſtratus quæſivit. Et cum per annos XXII nulla per orbem bella moviſſet, ſola auctoritate imperium rexit, adeo ut tremerent eum ac amarent cuncti Reges & nationes & populi. Hujus anno IIginus Papa VII ordinatur, ſedit annos IV.

Annus Dni. CXLI. Antonini Pii II.

Iginus Papa clerum conſtituit & gradus diſtribuit.

Annus Dni. CXLII. Antonini Pii III.

Valentinus & Cerdo Eccleſiam hæreſi impugnant.

Annus Dni. CXLIII. Antonini IV.

Iidem Hæreſiarchæ Romam veniunt.

Annus Dni. CXLIV. Antonini V.

Pius Papa Nonus ſedit annos XV.

Annus Dni. CXLV. Antonini VI.

Antiochiæ V ordinatur Epiſcopus Heros.

Annus Dni. CXLVI. Antonini VII.

Alexandriæ VII ordinatur Marcus.

Annus Dni. CXLVII. Antonini IIX.

Antoninus Pater patriæ appellatur.

Annus Dni. CXLVIII. Antonini IX.

Juſtinus Philoſophus librum de Chriſtiana Religione compoſitum Antonino obtulit, & benevolum Chriſtianis fecit.

Annus Dni. CIL. Antonini X.

Meſomides Muſicus Poëta citharicorum carminum agnoſcitur.

Annus Dni. CL. Antonini XI.

Apollonius Stoicus Calcidonius claruit.

Annus

Annus Dni. CLI. Antonini XII.

Taurus Beritius Platonicus claruit.

Annus Dni. CLII. Antonini XIII.

Antoninus Imperii pater magis qvam Dominus appellatur.

Annus Dni. CLIII. Antonini XIV.

Creſcens quidam Cinicus Philoſophus in Juſtinum noſtri dogmatis perſecutionem movit, eumque guloſum & prævaricatorem Philoſophiæ redarguit, in qua perſecutione Juſtinus pro Chriſto ſanguinem fudit.

Annus Dni. CLIV. Antonini XV.

Antoninus commotus hæreſi Creſcentis univerſis Aſiæ plebibus ſcripſit Epiſtolam pro Chriſtianis.

Annus Dni. CLV. Antonini XVI.

Alexandriæ Celadion VIII præſedit Epiſcopus.

Annus Dni. CLVI. Antonini XVII.

Arrius Philoſophus Nicomedenſis agnoſcitur.

Annus Dni. CLVII. Antonini XIIX.

Maximus Thirius Philoſophus claret.

Annus Dni CLVIII. Antonini XIX.

Apollonius & Baſilides præceptores Veri Cæſaris claruerunt.

Annus Dni. CLIX. Antonini XX.

Anicetus X Romæ præſedit annis X, ſub quo Policarpus Romam veniens correxit multos, quos error Valentini & Cerdonis ſubverterat. Hic conſtituit, ut clerus comam non nutriat.

Annus Dni. CLX. Antonini XXI.

Hieroſolimis poſt Marcum XVII præſedit Caſſianus.

Anns Dni. CLXI. Antonini XXII.

Antoninus Pius Cæſar moritur anno vitæ LXXVII, Imperii XXIII.

Annus Dni. CLXII. Marci Antonini I.

Quarta perſecutio.

Marcus Aurelianus Antoninus Verus XIV ab Auguſto ſuſcepit impe-

imperium & regnavit annis XIX. Hic procul dubio clariſſimæ nobilitatis fuit, quippe cujus origo paterna à Numa Pompilio, materna à Seleutino rege pendebat. Hic omnes virtutes, & cæleſte habebat ingenium qui in calamitatibus publicis factus eſt defenſor, & ſi in illo tempore Antoninus Verus non fuiſſet, ſine dubio Reſpublica & gloria Romana periſſet. Hic propinquum ſuum Lucium Annium Antoninum Severum, qui fuit gener Antonini Pii nova benivolentia conſortem imperii facit, tumque primum Romana Respublica duobus æquo jure imperium adminiſtrantibus paruit, cum uſque ad illos ſemper ſingulos habuiſſet Auguſtos. Parthi Romanis rebellant, contra hos Lucius Annius mittitur & triumphat.

Annus Dni. CLXIII. Marci Antonini II.

Lucio Cæſari Athenis ſacrificanti, ignis in cœlo ab occidente in orientem ferri viſus eſt.

Annus Dni. CLXIV. Marci Anton. III.

Fronto orator inſignis habetur, qui Marcum Antoninum latinas literas docuit.

Annus Dni. CLXV. Marci Anton. IV.

Seleutia urbs Aſſiriæ cum CCC milibus hominum à Romanis capta eſt.

Annus Dni. CLXVI. Marci Anton. V.

Apud Piſas Peregrinus Philoſophus incenſo rogo ſemetipſum ſuperjecit.

Annus Dni. CLXVII. Marci Anton. VI.

Orta *perſecutione quarta* poſt Neronem Policarpus coronatur, & alii multi.

Annus Dni. CLXIIX. Marci Anton. VII.

Lucius Cæſar de Parthis cum fratre triumphavit.

Annus Dni. CLXIX. Marci Anton. VIII.

Sother Papa XI ordinatur. Agrippinus Alexandriæ præſedit nonus.

Annus Dni. CLXX. Marci Anton. IX.

Theophilus vir ſapiens VI Antiochiæ ſedit.

Annus

Annus Dni. CLXXI. Marci Anton. X.

Dionisius Corinthiorum Episcopus clarus habetur.

Annus Dni. CLXXII. Marci Anton. XI.

Lucius Cæsar victor rediens de Parthia moritur in Venetia, & Antoninus Verus iterum Monarchiam solus obtinens, Lucium Commodum filium suum consortem imperii fecit.

Annus Dni. CLXXIII. Antonini XII.

Melito Sardensis Episcopus Apologeticum Antonino Imperatori pro Christianis dedit.

Annus Dni. CLXXIV. Antonini XIII.

Antoninus multis adversus se nascentibus bellis sæpe ipse intererat, sæpe duces nobilissimos destinabat.

Annus Dni. CLXXV. M. Anton. XIV.

Antonini exercitibus siti oppressis in Germania pluvia divinitus missa est, cum è contra Germanos fulmina persequerentur, & multos interficerent. Extant literæ Antonini Veri, quibus testatur Christianorum militum precibus impetrato imbre discussam fore sitim exercitus.

Annus Dni. CLXXVI. Antonini XV.

Tanta per orbem pestilentia fuit, ut pene usque ad internecionem Romanorum deletus sit exercitus. Atticus Platonicæ sectæ Philosophus claruit.

Annus Dni. CLXXVII. Antonini XVI.

Antiochiæ VII ordinatur Maximinus.

Annus Dni. CLXXIIX. Antonini XVII.

Eleutherius Papa XII sedit annis XIII. Ad hunc Lucius Britanniæ Rex literas misit, rogans ut baptizaretur, quod & impetravit.

Annus Dni. CLXXIX. Antonini XIIX.

Antoninus multa multis largitus est, & pecuniam, quæ fisco debebatur, provinciis concedens, tabulas debitorum in medio urbis foro incendi jussit, & ne aliquid bonitati ejus deesset, leges multas mitigavit.

Annus Dni. CLXXX. Antonini XIX.

Antoninus in Pannonia moritur.

Annus Dni. CLXXXI. Lucii Commodi I.

Lucius Aurelius Commodus Annius XV ab Auguſto ſuſcepit imperium, & annis XII ac menſibus VIII regnavit. Hic cum eſſet filius Marci Antonini Veri, nichil tamen paternum habuit, niſi quod & ipſe de Parthis triumphavit. In luxuriis & omni ſorde vixit: Senatores multos interfecit, maxime quos nobilitate & ſapientia præcellere vidit. Huic Marcia libertini generis uxor fuit forma & artibus meretriciis pollens, quæ cum animum ejus devinxiſſet egreſſo de balneo veneni poculum obtulit, immiſſoque ei fortiſſimo paleſtrita eum ſtrangulari juſſit.

Julianus Alexandriæ X Epiſcopus præſedit.

Annus Dni. CLXXXII. Lucii Commodi II.

Commodus de Germanis victor redit.

Annus Dni. CLXXXIII. Lucii Commodi III.

Panthenus & Clemens Alexandrinus claruerunt.

Annus Dni. CLXXXIV. Luc. Commodi IV.

Jeroſolimis ordinatur Maximus Epiſcopus.

Annus Dni. CLXXXV. Luc. Commodi V.

Commodus Septembres de ſuo nomine appellavit.

Annus Dni. CLXXXVI. Luc. Commodi VI.

Thermæ Commodianæ Romæ factæ.

Annus Dni. CLXXXVII. Luc. Commodi VII.

In Capitolio fulmen ruit, & magna inflammatione facta bibliothecæ &, vicinæ ædes concremantur.

Annus Dni. CIIXC. Luc. Commodi VIII.

Alexandriæ Origenes naſcitur.

Annus Dni. CIXC. Luc. Commodi IX.

Commodus Coloſſi capite ſublato ſuæ imaginis juſſit caput imponi.

Annus

Annus Dni. CXC. Luc. Commodi X.

Commodus multos nobilium peremit.

Annus Dni. CXCI. Luc. Commodi XI.

Victor Papa XIII ordinatur, ſedit annis X. Alexandriæ XI ordinatur Demetrius.

Annus Dni. CXCII. Luc. Commodi XII.

Antiochiæ IIX Serapion Epiſcopus.

Annus Dni. CXCIII. Luc. Commodi XIII.

Aurelius Commodus omnibus incommodus ſtrangulatur. Hic in tanta execratione fuit omnibus, ut hoſtis humani generis etiam poſt mortem judicaretur.

Annus Dni. CXCIV. Helvii I.

Helvius Pertinax XVI ab Auguſto imperium accepit & VI menſibus regnavit. Hic ex libertino patre natus, cum præfecturam urbis ageret jam ſeptuagenarius, à Senatu Imperator eligitur coactus & repugnans, unde & Pertinax dictus eſt. Hic per multos labores ad ſummos provectus eſt honores, qui in tantum certavit, ut fortunæ pila vocaretur. Hic cum à Senatu cogeretur, ut uxorem ſuam Auguſtam & filium appellaret Cæſarem ſufficere, inquit, debet, quod ego ipſe invitus regnavi cum non mererer.

Didius Salvius Julianus jurisperitus occiſo Helvio Pertinace Imperium invaſit & VII menſibus regnavit. Hic erat Mediolanenſis Vir nobilis, ſed factioſus, præceps, regni avidus. Inter-ea Niger Piſcennius in Antiochia, & Severus in Sabaria Pannoniæ elevantur Imperatores. Ab hoc Severo Julianus bello victus more dampnatorum decollatur.

Annus Dni. CXCV. Severi I.

Quinta perſecutio.

Severus ab Auguſto XVII adeptus eſt imperium & regnavit annis XVII menſ. III. Iſte ex Africa oriundus fuit, ſolusque memoria omnium ex Africa Imperator efficitur. Primum fiſci advocatus, poſtea militaris tribunus, per multa deinde & varia officia usque ad adminiſtratio-

ſtrationem totius Reipublicæ pervenit, & quia Helvium Pertinacem ultus eſt in Juliano, Pertinax vocari voluit. Bella multa feliciter egit, ex quibus maximum in Britannia, ubi ut receptas provincias in ſecuritate teneret, vallum firmiſſimum crebris turribus ſuperpoſitis per CXXII milia paſſuum à mari usque ad mare perduxit, ibique moritur anno vitæ ſuæ LXV, Imperii XIIX. Duos filios reliquit : Baſſianum & Getam, ſed Geta hoſtis publicus eſt judicatus, Baſſianus verò Imperii ſucceſſor relictus, quem pater Antoninum vocari voluit. Hujus tempore *quinta perſecutione* in Chriſtianos facta coronati ſunt multi, inter quos & Leonides pater Origenis martyr efficitur.

Annus Dni. CXCVI. Severi II.

Clemens Alexandrinæ Eccleſiæ presbyter & Panthenus Stoicus Philoſophus dogmatis noſtri diſertisſimi clarent.

Annus Dni. CXCVII. Severi III.

Narciſſus Jeroſolimitanus Epiſcopus, & Theophilus Cæſarienſis & Bachilus Policarpus quoque Aſianæ provinciæ inſignes habentur.

Annus Dni. CXCIIC. Severi IV.

Orta quæſtione in Aſia inter Epiſcopos, an ſecundum legem Moyſi XIV die menſis primi paſcha celebrari deberet, Victor Papa datis late libellis conſtituit Die Dominica Paſcha celebrari, ſicut & prædeceſſor ejus Eleuterius à XIV luna primi menſis usque XXI.

Cujus decretis favens Theophilus Cæſarea Paleſtinæ Epiſcopus cum cæteris Epiſcopis, qui in eodem aderant concilio, Sinodicam ſcripſit Epiſtolam utilem valde adverſus eos qui cum Judæis Paſcha celebrabant.

Annus Dni. CXCIC. Severi V.

Simmachus Samarites Judæorum factus proſelitus, ſcripturas divinas ex Hebræo tranſtulit in græcum, ſuamque editionem condidit. Hic ut in Eccleſiaſtica legitur hiſtoria hebioneus fuit, quæ eſt hæreſis aſſerens Chriſtum de Joſeph & Maria natum purum hominem fuiſſe, & legem ritu Judæorum ſervandam eſſe.

Annus

Annus Dni. CC. Severi VI.

Severus Parthos & Arabas ſuperat.

Annus Dni. CCI. Severi VII.

Severus Arabiam jubet eſſe provinciam.

Annus Dni. CCII. Severi IIX.

Severus Parthicus Arabicus cognominatur.

Annus Dni. CCIII. Severi IX.

Zepherinus Romæ ſucceſſit Victori.

Annus Dni. CCIV. Severi X.

Quinta in Chriſtianos *perſecutione* mota Pater Origenis Leonides martirio coronatur. Origenes verò XVIII agens annum Grammaticam etiam gentiles docuit, & multos ad fidem convertit, inter quos etiam Plutarchum baptizavit, qui mox martirio coronatus eſt, & fratrem ejus Heraclem, qui poſt Demetrium Alexandriæ prælatus eſt.

Annus Dni. CCV. Severi XI.

Alexander ob confeſsionem Chriſti clarus habetur.

Annus Dni. CCVI. Severi XII.

Clemens multa & varia ſcripſit.

Annus Dni. CCVII. Severi XIII.

Perpetua & Felicitas beſtiis traduntur Kartagini.

Annus Dni. CCVIII. Severi XIV.

Clodius Albinus, qui ſe in Gallia Cæſarem fecerat, apud Lugdunum interficitur.

Annus Dni. CCIX. Severi XV.

Severus bellum in Britanniam transfert.

Annus Dni. CCX. Severi XVI.

Tertullianus ore omnium celebratur.

Annus Dni. CCXI. Severi XVII.

Origenes Alexandriæ ſtudet, & toto orbi clarus habetur.

Annus Dni. CCXII. Severi XIIX.

Severus in Britannia Eboraci obiit.

Annus Dni. CCXIII. Antonini Caracallæ Primus.

Marcus Antoninus Baſſianus Caracalla XVIII ab Auguſto ſuſcepit imperium, regnavitque annis VI menſibus II. Hic erat Severi filius & Baſſianus à nomine avi materni dictus, rogatu patris à Senatu Antoninus nominatur, & quia plurimas veſtes è Gallia deferens, talares caracallas ex his fecit, populumque his veſtibus indutum ad ſalutandum ſemet ingredi præcepit, Caracalla exinde cognomen accepit. Hic conſpecto Alexandri Magni corpore Alexandrum ſe nuncupari juſſit & magnum; adulantium fallaciis eò perductus, ut truci fronte & ad lævum humerum converſa cervice incederet, quod in ore Alexandri notaverat. Aſclepiades IX Antioch. Epiſcopus ordinatur.

Annus Dni. CCXIV. Antonini Caracallæ II.

Alexander Jeroſolimis ordinatur Epiſcopus vivente adhuc Narciſſo ejusdem urbis Epiſcopo. Hic Narciſſus miræ ſanctitatis vir fuit, qui inter cætera virtutum inſignia in vigiliis Paſchæ, cum oleum luminaribus deeſſet, aquam infundi juſſit, quam benedicens oleum fecit, poſtea à quibusdam male ſibi conſciis cum judicium ejus formidâſſent noxio quodam crimine infamatus, quorum unus ita ut non igne conſumeretur vera ſe dicere teſtatus eſt, alius ne regio morbo corrumperetur, tertius ne luminibus privaretur, & quamvis nemo qui vitam ejus noverant, illis licet hæc jurantibus crederet, ille tamen moleſtiam non ferens & quietam vitam diligens ſubterfugit & in ſecretioribus locis per annos aliquot delituit. Primus autem ille teſtis ex parva ſcintilla domo ejus incenſa ipſe cum omni familia conſumptus eſt, alius regio morbo à pede usque ad verticem corruptus eſt; tertius, horum videns exitum, tandem confeſſus eſt reatum ſuum & eousque perſtitit in fletibus, quousque orbaretur luminibus. Narciſſus vero cum non inveniretur, pro eo ordinatur Divus cui ſucceſſit Germanio, & huic Gordius. Cum ecce quaſi redivivus apparet, Narciſſus rurſusque rogatu fratrum ſuo loco eſt reſtitutus. Cui cum jam centum & ſedecim eſſet annorum, Alexander divino monitu vivo ſucceſſit, qui cum eſſet Cappadociæ Epiſcopus Jeroſolimam veniens orationis

cauſa

causa & locorum sacrorum divina revelatione Narcisso accedens magisque succedens strenue cum eo Ecclesiam rexit.

Annus Dni. CCXV. Antonini Carac. III.

Antoninus Caracalla cognominatur propter genus vestis quod Romæ erogaverat, & è contrario Caracallæ ex ejus nomine Antoninæ sunt dictæ.

Annus Dni. CCXVI. Anton. Carac. IV.

Antoninus Romæ thermas sui nominis ædificat.

Annus Dni. CCXVII. Anton. Carac. V.

Antoninus novercam suam Juliam duxit uxorem.

Annus Dni. CCXIIX. Anton. Carac. VI.

Quinta editio Jerosolimis invenitur cujus auctor ignoratur.

Annus Dni. CCXIX. Anton. Carac. VII.

Antoninus adversum Parthos moliens expeditionem apud Edessam secedens ad officia naturalia à quodam milite, qui quasi ad custodiam sequebatur, interfectus est anno ætatis suæ XLIV, imperii VII anni, mense II.

Annus Dni. CCXX. Macrini I.

Opilius Macrinus præfectus Prætorii XIX ab Augusto ab exercitu Imperator efficitur cum Diadumeo filio suo, regnansque anno uno & mensibus II ab eodem exercitu apud Archelaidem tumultuante occiditur cum filio.

Antiochiæ Episcopus X Philetus.

Annus Dni. CCXXI. Aurelii I.

Marcus Aurelius Antoninus Varus XX ab Augusto Imperator factus regnavit annis IV. Hic filius putabatur Antonini Caracallæ ex consobrina sua occultè stuprata : Hujus matris avus Bassianus sacerdos solis fuit, quem Fenices Heliogabalum vocant, unde & iste Heliogabalus dictus, sacerdos & ipse in templo Heliogabali. Is cum Romam ingenti militum & Senatus exspectatione venisset, omnibus se probris contaminavit, impudicissimeque vivens nullum obscænitatis genus omisit, unde & cupiditatem stupri, quam ex natura assequi nondum poterat,

poterat, duodennis enim fuerat, in ſe transferens mulieris nomine Baſſianam ſe pro Baſſiano juſſit appellari, Virginem Veſtalem quaſi in matrimonio jungens ſibi præciſisque genitalibus matri Magnæ Veſtæ ſe conſecravit. Ypolitus multorum conditor opuſculorum canonem temporum quem ſcripſit huc usque perduxit, qui etiam ſedecennalem cyclum Paſchæ reperiens, Euſebio, qui decennovennalem poſtea compoſuit, occaſionem dedit.

Romæ Epiſcopatum ſuſcepit Caliſtus Papa XV.

Annus Dni. CCXXII. Aurelii II.

Aurelius Marcellum conſobrinum ſuum, qui poſtea Alexander dictus eſt, Cæſarem fecit.

Annus Dni. CCXXIII. Aurelii III.

Nicopolis, quæ prius Emaus dicebatur, condita eſt.

Annus Dni. CCXXIV. Aurelii IV.

Aurelius tumultu militari cum matre occiditur anno ætatis XVI, Imperii IV, corpusque ejus per urbis vias tractum eſt more canini cadaveris, militibus tali cavillo eum irridentibus, ô indomitæ libidinis catula.

Annus Dni. CCXXV. Alexandri I.

Aurelius Severus Alexander ignobilis fortunæ Imperator factus eſt juvenis admodum & regnavit annis XIII. Hic primo imperii ſui anno de Perſis gloriosè triumphavit.

Annus Dni. CCXXVI. Alexandri II.

Caliſtus Papa martirio coronatur, pro quo Urbanus ordinatur, ſedit annis VIII.

Annus Dni. CCXXVII. Alexandri III.

Ulpianus Jurisconſultus aſſeſſor Alexandri inſignis habetur.

Annus Dni. CCXXIIX. Alexandri IV.

Thermæ Alexandrinæ Romæ ædificantur.

Annus Dni. CCXXIX. Alexandri V.

Geminius Presbyter Antiochenus & Ypolitus & Berillus ſcriptores clari habentur,

Annus

Annus Dni. CCXXX. Alexandri VI.

Origenes toto orbe clarus habetur. Hic ut Hieronimus teſtatur mille & amplius commentarios ſcripſit, & inſuper innumerabiles tractatus, quos ipſe Thomos nominat, compoſuit, denique tanta edidit, quanta vix aliquis legere potuit, ubi enim bene, nemo melius, ubi malè, nemo pejus.

Annus Dni. CCXXXI. Alexandri VII.

Antiochiæ Zebennus ordinatur Epiſcopus XI.

Annus Dni. CCXXXII. Alexandri VIII.

Alexander Mammæam matrem unicè & pie dilexit, pro quo omnibus placuit: Illa verò ei multum dominata, eo usque illum coëgit, ut ſi qua menſæ ſupereſſent, quamvis permodica & ſimieſa alteri convivio reſervarentur.

Annus Dni. CCXXXIII. Alexandri IX.

Mammæa Alexandri mater Origenis doctrinam audiens Chriſtiana efficitur.

Annus Dni CCXXXIV. Alexandri X.

Urbanus Papa Martirio coronatur, pro quo Pontianus ordinatur, ſedit annis VI.

Annus Dni. CCXXXV. Alexandri XI.

Alexandriæ Heraclas ordinatur Epiſcopus.

Annus Dni. CCXXXVI. Alexandri XII.

Sexta editio in Nicopoli invenitur.

Annus Dni. CCXXXVII. Alexandri XIII.

Alexander apud Mogontiacum poſitus cum videret ſe ab exercitu deſeri, optavit, ut aliquis eum occideret, cumque ei unus cum gladio occurriſſet, obvoluto capite cervicem præbuit ſtatimque periit anno vitæ ſuæ XXVI, Imperii XIII.

Annus Dni. CCXXXVIII. Maximini I.

Julianus Maximinus XXII ab Auguſto ſumpſit imperium regnavitque annis III. Hic cum eſſet genere Trax, ordine miles, ſola militum voluntate ſine ſenatus autoritate Imperator efficitur. Hujus tempore

tempore duo Gordiani, Pater & filius imperium arripuerunt, ſed unus poſt unum interiit.

Annus Dni. CCXXXIX. Maximini II.

Maximinus *ſextam* à Nerone *perſecutionem* in Chriſtianos movit. In qua Pontianus Papa coronatur, cui ſucceſſit Antheros Papa XIIX, & poſt menſem unum diesque XIII paſſus eſt III Non. Jan.

Annus Dni. CCXL. Maximini III.

Fabianus Papa XIX ordinatur, ſedensque annis XIII & menſes XI patitur ſub Decio. Antiochiæ Babillas Epiſcopus XII ordinatur. Maximinus adverſus germanos ſuſcepto & feliciter acto bello, à Pupiano quodam apud Aquilejam interfectus eſt cum filio adhuc parvulo, cunctis militari joco clamantibus, de peſſimo genere nec catulum habendum fore.

Annus Dni. CCXLI. Gordiani I.

Gordianus XXIII ab Auguſto Imperator creatus eſt & regnavit annis VI. Hic nepos erat Gordiani ortus ex filia ejus & clariſſimo patre admodum puer, Tranquillam duxit uxorem. Hic cum primum Romam veniſſet, Pupianus & Albinus de ruſtico genere, qui occiſo Maximino imperium invaſerant, in palatio interfecti ſunt.

Julius Affricanus Cronographus inter Eccleſiaſticos ſcriptores clarus habetur.

Annus Dni. CCXLII. Gordiani II.

Origenes in Cæſaria Palæſtinæ Theodorum cognomento Gregorium & Anthenodorum fratrem ejus : Poſtea Ponti Epiſcopos inſignes divina imbuit ſapientia.

Annus Dni. CCXLIII. Gordiani III.

Porphyrius Plotini Platonici Philoſophi auditor claruit Romæ.

Annus Dni. CCXLIV. Gordiani IV.

Nicanor Sophiſta Athenis claruit.

Annus Dni. CCXLV. Gordiani V.

Gordianus ad Orientem profectus, bellum Parthis intulit, quo feliciter geſto Perſas ingentibus præliis afflixit.

Annus

Annus Dni. CCXLVI. Gordiani VI.

Gordianus de Parthia rediens à Philippo, qui post eum regnavit, occiditur anno vitæ suæ XX, Imperii verò VI.

Annus Dni. CCXLVII. Philippi I.

Marcus Julius Philippus XXIV ab Augusto invasit imperium, occiso Gordiano, & una cum filio suo Gajo Julio Saturnino Philippo regnavit annis VII. Isti omnium imperatorum primi Christiani effectisunt, fidem ab Origene audientes & in ipsis Paschæ vigiliis, cum jungi vellent sacrificiis & communicare, à Fabiano Romano Pontifice non sunt permissi, nisi prius confiterentur peccata sua & inter pœnitentes starent. Quod illi suscipientes libentissime, divinum sibi metum & plenissimam Christianitatis fidem rebus & operibus comprobabant inesse.

Annus Dni. CCXLVIII. Philippi II.

Philippus Philippi filius adeo severi animi fuit, ut jam à quinquennii ætate nullo unquam momento ad risum solvi potuerit, patrem verò ludis secularibus petulantius cachinnantem, licet adhuc puer vultu aversato notavit.

Annus Dni CCXLIX. Philippi III.

Regnantibus Philippis annus Millesimus conditæ Urbis Romæ impletus est, quo sollenniter ab omnibus celebrato innumerabiles bestiæ in circo magno interfectæ sunt, ludique theatrales in campo Martio celebrati tribus diebus & tribus noctibus populo pervigilante.

Annus Dni. CCL. Philippi IV.

Antiochiæ XIII præsedit Dionisius.

Annus Dni. CCLI. Philippi V.

Theatrum Pompeji incensum est.

Annus Dni. CCLII. Philippi VI.

Philippus urbem sui nominis in Thracia construxit.

Annus Dni. CCLIII. Philippi VII.

Philippi ambo insidiis Decii ab exercitu occiduntur, Pater Veronæ medio capite supra ordines dentium præciso, filius vero Romæ, cum Annus esset annorum XII.

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 90;Leibn. Marg. 90, Stück 1, [59] - 39
PUBLIC DOMAIN

Annus Dni. CCLIV. Decii I.

Decius è Pannonia inferiori Bubaliæ natus XXV ab Auguſto invaſit imperium, interfectis ejus fraude Philippis & regnavit annis III, ſicut ſcribit Paulus Oroſius. Hoc in loco grandis temporum naſcitur confuſio, & prorſus inſolubilis oritur quæſtio. Nam ſicut ſcribit Hieronimus in libello ad Damaſum de Romanis Pontificibus : Fabianus Papa XXI ſedens annis XIV permanſit usque ad Decium, ſub quo & paſſus eſt, cui ſuccedens Cornelius ſedit annis III & menſibus II, diebus X patitur ſub eodem. Poſt hunc Lucius ſedit annis III & totidem menſibus, permanſit usque ad tempora Galli & Voluſiani Imperatorum poſt Decium regnantium. Huic Stephanus ſuccedens, & IV annis ſedens & menſibus II & XV diebus patitur ſub Galieno, qui quartus eſt à Decio.

His Sixtus Papa ſuccedens & tribus annis ſedens ferè, ſub Decio patitur, ſicut apud eundem Hieronimum legitur, itaque à quarto decimo anno Fabiani usque ad tertium Sixti colliguntur plus quam tredecim anni. Quomodo igitur verum eſt, quod uterque ſub Decio imperante occiſus ſit, qui tribus tantum annis regnavit, aut quomodo ſtabit, quod Lucius & Stephanus cum ſcribantur anteceſſores Sixti, patiuntur tamen poſt tempora Decii, Lucius videlicet ſub Gallo, Stephanus verò ſub Galieno. Veruntamen ſic quidam hanc conantur ſolvere quæſtionem : Dicunt quippe, quod imminente tanta perſecutionis rabie Fabianus Papa Cornelium ſibimet vivo fecerit ſuccedere, & cum eo ſedem Epiſcopalem tenere. Sic enim legimus de Lino & Cleto, quod in ſedem acceſſerint magis quam ſucceſſerint beato Petro.

Poſtquam verò Fabianum Decius occidit, Cornelium mox in exilium centum cellis deſtinavit, ubi & Epiſtolam beati Cypriani Cartaginenſis Epiſcopi de ipſius confirmatione directam accepit. Dehinc reductus ab exilio patitur ſub Decio. Omne igitur tempus Cornelii, quo cum Fabiano ſedit, vel in exilio fuit, fiunt anni III & II menſes. Itaque miſſo in exilium Cornelio, mox propter Eccleſiæ neceſſitatem, quia

quia tempus malum erat, pro eo ordinatur Lucius qui & ipſe ſtatim exilio eſt relegatus, ubi permanſit usque ad imperium Galli. Lucio ſucceſſit Stephanus, ſed & hic in exilium eſt miſſus. De Lucio quidem Jheronimus ſic ait: Hic in exilio fuit, ſed poſtea nutu Dei iterum ad Eccleſiam ſuam rediit. Quod dictum eſt de Lucio intelligi oportet quoque de Stephano, quoniam & hic paſſus eſt hoc tempore Galieni, cum tamen præceſſor ſcribatur Sixti ſub Decio coronati. Primo igitur tempore Decii patitur Fabianus & infra breve tempus tribus relictis, hoc eſt, Cornelio Lucio & Stephano in exilium miſſis Eccleſiam ſuſcepit Sixtus, ſedensque & ipſe II annis & XI menſibus, ultimo tempore Decii patitur, ſicut in ipſius paſſione legitur. Sic itaque fit, ut III annis Decii tot Pontifices credantur ordinati. Hæc ſententia etſi non omnino probabilis, eſt tamen veri ſimilis, judicium tamen ejus ſit in lectoris arbitrio. Alii dicunt, quod error ſit in ſucceſſione Pontificum, pro ſimilitudine nominum, vel quod cuncta corrupta ſint ſcriptorum vitio, qui facillime offendunt in numero.

Alexander Jheroſolimorum Epiſcopus, ſucceſſor Narciſſi, curſum bonum conſummavit, cui Azabanes ſucceſit.

Annus Dni. CCLV. Decii II.

Fabianus Antiochiæ XIII Epiſcopus ordinatur.

Annus Dni. CCLVI. Decii III.

Antonius -- -- -- in Ægypto naſcitur. Decius ut in paſſionum libro reperitur, interfecto Sixto & Archi-Diacono ejus Laurentio & Ypolito ſociisque ejus, ſedens in carruca cum Valeriano, cum adhuc de nece ſanctorum tractarent, dæmoniis arrepti ſunt, & in præſentia Decii Valerianus exſpiravit, Decius verò rediens ad palatium triduo vexatus eſt, & in conſpectu Triphoniæ uxoris ſuæ exhalavit. Scribunt quidam eum contra Gothos pugnantem cum filio Decio jam Cæſare interemtum, & gurgiti cujusdā paludis cadaver ejus immerſum.

Annus Dni. CCLVII. Galli & Voluſiani I.

Vibius Gallus Hoſtilius XXVI ab Auguſto ab exercitu Imperator creatur, & cum Voluſiano filio ſuo regnavit annis II menſ. IV. Hujus

jus imperii Dioniſius Alexandrinus Epiſcopus meminit ita : At ne Gallus quidem malum Decii aut videre potuit aut cavere, ſed in eundem lapidem offenſionis impingens ſanctos viros perſecutus eſt.

Annus Dni. CCLIIX. Galli & Voluſ. II.

Æmilianus quidam in Mœſia Imperator elevatus eſt, contra quem Gallus cum Voluſiano profectus ab exercitu uterque occiditur : Æmilianus genere Maurus poſt menſes IV interficitur. Hoc anno Origenes Presbyter anno ætatis ſuæ LXX nondum impleto moritur, & in Thiro ſepelitur, qui tam ſedulus fuit ſcribendi, ut Jheronimus quodam loco dicat, quinque milia librorum ejus ſe legiſſe.

Annus Dni. CCLIX. Valeriani I.

Licinius Valerianus cognomento Colobius in Retia & Norico agens Imperator ab exercitu creatus, mox Auguſtus eſt appellatus XXVII ab Auguſto, Romæ verò Galienus filius ejus Cæſar eſt appellatus regnaveruntque ſimul annis VI. Galienus verò ſolus poſtea annis IX, qui faciunt annos XV. Aurelianus quidem nobilis erat genere, ſtolidus tamen erat & iners multum, nec ad aliquem uſum publici officii accommodatus. Galienus verò primum feliciter regnavit, poſtea luxurioſe vivens imperium penè adnichilavit. Valerianus primo regni ſui anno perſecutionem à Nerone IIX in Chriſtianos exercuit.

Annus Dni. CCLX. Valeriani & Galieni II.

Valerianus Galienum filium ſuum Auguſtum fecit.

Annus Dni. CCLXI. Valeriani & Galieni III.

Valerianus Cornelium Valerianum Galieni filium Cæſarem conſtituit.

Annus Dni. CCLXII. Valeriani & Galieni IV.

Cyprianus primum Rhetor, deinde Presbyter, tandem Cartaginenſis Epiſcopus martirio coronatur.

Annus Dni. CCLXIII. Valeriani & Galieni V.

Theodorus cognomento * * magna virtutum gloria claruit.

Annus Dni. CCLXIV. Valeriani & Galieni VI.

Antiochiæ XV ordinatur Paulus Samoſathenus.

Annus

Annus Dni. CCLXV. Valeriani & Galieni VII.

Valerianus Christianos persequens à Sapore Rege Persarum capitur erutisque oculis senectute miserabili consenescit. Nam quamdiu vivebat, semper adclinis humi Regem in equum ascensurum dorso attollebat.

Annus Dni. CCLXVI. Valer. & Galieni IIX.

Galienus casu patris territus pacem Christianis dedit.

Annus Dni. CCLXVII. Valeriani & Galieni IX.

Galieno in omnem lasciviam resoluto Germani Ravennam usque pervenerunt.

Annus Dni. CCLXIIX. Galieni X.

Alemanni vastatis Galliis in Italiam transiere, Græciam & Pannonias occupaverunt.

Annus Dni. CCLXIX. Galieni XI.

Germanis Hispanias obtinentibus Terracon expugnatur.

Romæ XXIV Episcopus ordinatur Dionisius.

Annus Dni. CCLXX. Galieni XII.

Hierosolimorum Episcopus Ysmeneus ordinatur, Alexandriæ XIX ordinatur Maximus.

Annus Dni. CCLXXI. Galieni XIII.

Paulus Samosathenus hæreticus convincitur & deponitur, pro quo XVI Domnus ordinatur.

Annus Dni. CCLXXII. Galieni XIV.

Galliæ per Postumum & Victorinum & Creticum receptæ sunt.

Annus Dni. CCLXXIII. Galieni XV.

Galienus profectus adversus Aureolum Ducem suum, qui Mediolani regnum temptaverat, comprehendit illum ad pontem qui ejus nomine Aureolus appellabatur, & Mediolanum obsedit, sed cum ibi luxuriose viveret, artificio ejusdem Aureoli interfectus est anno ætatis suæ L.

Annus Dni. CCLXXIV. Claudii I.

Claudius quem multi dicunt à Gordiano procreatum XIIX ab Augusto

guſto à militibus electus à Senatu Auguſtus eſt appellatus, & regnavit anno I menſes VIII, vir parcus & modeſtus & juſti tenax, ac Reipublicæ idoneus. Hic Galieni morientis ſententia Imperator deſignatus eſt, ad quem Ticini poſitum veſtimenta regalia ille direxit. Hic interfecto à ſuis Aureolo recipiens legiones Gothos jam per XV annos Illiricum Macedoniamque vaſtantes ingenti prælio vicit.

Annus Dni. CCLXXV. Claudii II.

Claudius morbo interiit, quem ſenatus tanto decoravit honore ut divus appellaretur, & in curia clipeus aureus, in Capitolio verò ſtatua aurea ei poneretur. Cui frater Quintilianus vir unicæ moderationis & civilitatis ſolusque fratri præferendus à militibus electus & conſenſu Senatus Auguſtus eſt appellatus XIIX imperii ſui die Aquilejæ occiſus eſt.

Annus Dni. CCLXXVI. Aureliani I.

Aurelianus patre mediocri & ut dicunt Aurelii Senatoris colono progenitus XXIX ab Auguſto Imperator electus regnavit annis V menſibus ſex; Vir in bello potens, ſed animi immodici & ad crudelitatem propenſioris, ita ut non ſolum nobiles plures necaret, ſed etiam ſororis ſuæ filium dampnaret. Diſciplinæ tamen militaris & morum diſſolutorum magna ex parte corrector, quique Gothos ſtrenuiſſimè vicit, haut diſſimilis Alexandro Magno ſeu Cæſari Dictatori. Nam Romanum Imperium triennio ab invaſoribus receptavit, cum Alexander annis XII per ingentes victorias ad Indiam pervenerit, & Gajus Cæſar decennio Galliam ſuperaverit, adverſus cives quadriennio pugnaverit. Hic primus apud Romanos diadema capiti impoſuit, & veſtes auro gemmisque contextas in uſu habuit, quod ante Romanis moribus incognitum fuit, porcinæ quoque carnis uſum populo inſtituit.

Annus Dni. CCLXXVII. Aureliani II.

Antiochiæ Thimæus ordinatur Epiſcopus XVIII.

Annus Dni. CCLXXIIX. Aureliani III.

Aurelianus haud longe ab Antiochia Zenobiam vicit, quæ occiſo ma-

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 90;Leibn. Marg. 90, Stück 1, [64] - 44
PUBLIC DOMAIN

ſo marito 'Odenato imperium orientale tenuerat, in qua pugna ſtrenuisſime adverſus eam dimicavit.

Annus Dni. CCLXXIX. Aureliani IV.

Aurelianum Romæ triumphantem Tetricus Galliæ Princeps & Zenobia præceſſerunt, è quibus Thetricus rector poſtea Lucaniæ fuit, & Zenobia in urbe ſummo honore conſenuit, à qua hodieque *familia Zenobiæ* nuncupatur,

Annus Dni. CCLXXX. Aureliani V.

Aurelianus cum perſecutionem nonam poſt Neronem in Chriſtianos moviſſet, fulmen ante illum magno circumſtantium pavore ruit, ac non multo poſt intra Conſtantinopolim & Heracliam à militibus occiſus eſt.

Annus Dni. CCLXXXI. Taciti I.

Tacitus ab Auguſto XXX ſuſcepit imperium, vir egregiè morigeratus, & ad regendam Rempublicam idoneus, ſed nichil egit, quia poſt VI menſes occiſus eſt apud Pontum.

Huic Florianus ſucceſſit, ſed nec ipſe dignum aliquid memoria egit, quia duobus tantum menſibus & XX diebus in imperio vixit. Nam dum magna pars equitum eligeret Probum militiæ peritum, Florianus quaſi per ludum tenuit imperium diebus LX, deinde venas ſibimet incidens ſanguine interiit effuſo.

Annus Dni. CCLXXXII. Probi I.

Probus ab Auguſto XXXI adeptus eſt imperium & regnavit annis VI menſibus IV. Iſte patre genitus ruſtico, ortorum cultore ſtudioſisſimo nomine Dalmatio, gloria militari ad adminiſtrationem publicam acceſſit, vir acer, ſtrenuus, & juſtus, multa gerens bella & qui Aurelianum gloria militari coæquaret & morum civilitate ſuperaret. Primo Probi anno Felix Papa XXVII ordinatur, ſedit annis V. Hic conſtituit miſſas celebrari ſuper memorias martyrum, hic deceſſit III Kal. Junii.

Annus Dni. CCLXXXIII. Probi II.

Manes quidam extitit genere Perſes, vita & moribus Barbarus tam

tam acer ingenio, ut inſanire vel Dæmone videretur impleri, ex quo inſana Manichæorum prohæreſis orta eſt.

Annus Dni. CCLXXXIV. Probi III.

Probus Gallias ingenti præliorum felicitate reſtituit, quas barbari occupaverant.

Annus Dni. CCLXXXV. Probi IV.

Cirillus Antiochiæ ordinatur Epiſcopus XIIX.

Annus Dni. CCLXXXVI. Probi V.

Anatholius natione Alexandrinus Laodiciæ Siriæ Epiſcopus Philoſophorum diſciplinis eruditus plurimo ſermone celebratur, cujus ingenii magnitudo in *libro*, quem *ſuper paſcha* compoſuit & de decem libris *Aritmeticæ inſtitutionis*, apertiſime poteſt agnoſci.

Annus Dni. CCLXXXVII. Probi VI.

Euticianus Papa XXVIII ordinatur, ſedit menſ. X cui ſuccedens Gajus ſedit annis XV. Alexandriæ Theonas ordinatur Epiſcopus XV. Probus tumultu militari apud Sirmium interfectus eſt.

Annus Dni. CCLXXXVIII. Cari I.

Carus Narbonæ in Gallia natus XXXII ab Auguſto regnavit annis II, qui mox filios ſuos Carinum & Numerianum Cæſares fecit. Is nuntiato ſibi Perſarum tumultu in orientem profectus, cum apud Antiochiam maneret, Numerianus filius ejus Eccleſiam intrare voluit & Chriſtianorum miſteria explorare, quem Sanctus Cyrillus Epiſcopus cum prohiberet dicens illi divina miſteria videre, [fas non eſſe] qui ſacrificiis Idolorum eſſet pollutus, indignatus occidit illum.

Annus Dni. CCIXC. Cari II.

Carus cum Perſas fortiter ſterneret, & urbes eorum notiſſimas caperet, ſuper Tigridem fluvium caſtra ponens ictu fulminis interiit. Numerianus verò filius ejus dolore oculorum captus, cum in lectica veheretur, inſidiis Apri ſoceri ſui interfectus eſt.

Carinus autem in Italia relictus Sabinum Julianum invadentem regnum in campis Veronenſibus occidit, ſe ipſum ſceleribus inquinavit, multos falſis criminibus occidens, nobilium matronas corrumpens

pens omnibusque inviſus non multo poſt occiditur à quodam tribuno, cujus uxorem dicitur polluiſſe.

Annus Dni. ccxc. Diocletiani I.

Diocletianus XXXIII ab Auguſto Imperator ab exercitu creatus eſt, regnavitque annis XX. Vir obſcuriſſime natus de Dalmatia, filius cujusdam Dalmatæ ſcribæ, fuit quippe de civitate & matre Dioclea, unde ipſe, antequam ſumeret imperium, Diocles appellatus eſt; ſumto verò imperio, nomen Græcum vertit in Latinum, ut à Dioclete Diocletianus nominaretur. Erat callidus & ſagax & admodum ſubtilis ingenii.

Annus Dni. ccxci. Diocletiani II.

Cum quidam ruſticani, qui *Bagaudæ* dicebantur, tumultum facerent in Gallia, ac Amandum & Æmilianum duces haberent, Diocletianus Aurelium Maximianum, cognomento Herculeum Cæſarem, fecit, eumque contra tumultuantes miſit, quos ille facile devicit. Erat autem idem Maximianus de Pannonia natus, genere ruſticano, incivilis ingenii, ferox, crudelis, aſperitatem ſuam etiam vultus horrore ſignificans, luxurioſus, in conſiliis ſtultus. Genuit verò de Eutropia ſua muliere Maxentium, & Fauſtam conjugem Conſtantini Magni, cujus Patri Conſtantio dedit Maximianus privignam ſuam Theodoram, ex qua ille ſuſcepit ſex filios fratres Conſtantini, quem ex concubina Helena generavit in Gallia.

Annus Dni. ccxcii. Diocletiani III.

Carauſius quidam ſumpta purpura occupavit Britanniam, Julianus Italiam.

Annus Dni. ccxciii. Diocletiani IV.

Quinquegentiani Africam infeſtant.

Annus Dni. ccxciv. Diocletiani V.

Achilleus occupavit Ægiptum, Narſeus Perſarum Rex orientem.

Annus Dni. ccxcv. Diocletiani & Maximiani VI.

Diocletianus Maximianum Auguſtum & conſortem regni fecit.

Annus

Annus Dni. CCXCVI. Diocletiani & Maximiani VII.

Diocletianus Conſtantium patrem Conſtantini, & Galerium Cæſares conſtituit, quorum Conſtantius natus erat ex filia Claudii Imperatoris, Galerius verò in Dacia Ripenſi natus eſt ex parentibus agricultoribus, fuitque paſtor armenti, unde & armentarius appellabatur, ſed ſatis laudabilis fuit, pulcher corpore, magnus & fortis bellator. Hic accepit Valeriam filiam Decii uxorem.

Annus Dni. CCXCVII. Diocletiani & Maximini VIII.

Diocletianus ſe ut Deum jubet adorari.

Annus Dni. CCXCIIX. Diocletiani & Maximini IX.

Carauſius à ſocio ſuo Allecto occiſus eſt in Britannia.

Annus Dni. CCXCIX. Diocletiani & Maximini X.

Maximianus Herculeus quinquegentianos vicit in Africa. Conſtantius urbem *Conſtantiam* ex ſuo nomine condidit.

Annus Dni. CCC. Diocletiani & Maximini XI.

Conſtantius in Gallia & adverſam & proſperam una die habuit fortunam. Nam cum apud Lingonas repente irruentibus barbaris intra civitatem claudi cogeretur, vix quinque horis mediis adventante ſuo exercitu ferè LX millia Alamannorum interfecit. Diocletianus autem obſeſſum Alexandria Achilleum VII menſe ſuperavit & occidit. Erat autem tunc cum eo & Conſtantinus filius Conſtantii & Helenæ de Gallia. Qui cum adhuc juvenis eſſet, fortiſime agebat in præliis, & condeſcendebat ſemper Chriſtianis. Quem videns Diocletianus intellectu animi & robore corporis proficere, & deprehendens hunc futurum ſuæ tyrannidis deſtructorem, invidia motus, dolo eum perimere cogitavit, Deus autem inopinate eum ſalvavit & patri reſtituit.

Annus Dni. CCCI. Dioclet. & Maximini XII.

Zabdas Hieroſolimis Epiſcopus ordinatur.

Annus Dni. CCCII. Dioclet. & Maximini XIII.

Victorinus Magiſter militiæ Chriſtianos perſequitur, paulatim ex illo tempore perſecutione in noſtros creſcente.

Annus

Annus Dni. CCCIII. Diocletiani & Maximiani XIV.

Marcellinus Papa XXX ordinatur, ſedit anno I menſ. VIII, paſſusque eſt XVII Kal. Febr.

Annus Dni. CCCIV. Dioclet. & Maximiani XV.

Galerius contra Narſeum Regem Perſarum dimicans primum victus eſt, fugiensque venit ad Diocletianum in Meſopotamiam, à quo male tractatus eſt, ita ut faceret eum purpuratum ante currum ſuum currere, qui poſtea collectis militibus rediit, magnamque victoriam adquiſivit, tuncque cum ingenti gloria à Diocletiano triumphaliter ſuſcipitur.

Annus Dni. CCCV. Dioclet. & Maximiani XVI.

Jeroſolimis Thermon Epiſcopus ordinatur. Antiochiæ Tirannus ordinatur XIX.

Annus Dni. CCCVI. Dioclet. & Maxim. XVII.

Alexandriæ Petrus Epiſcopus ordinatur XVI.

Annus Dni. CCCVII. Dioclet. & Maxim. XIIX.

Marcellus Papa XXXI ordinatur, ſedit anno I, menſ. VIII, patitur XVII Kal. Febr.

Annus Dni. CCCIIX. Dioclet. & Maximiani XIX.

Diocletianus in oriente, Maximianus Herculeus in occidente *perſecutionem decimam* à Nerone in Chriſtianos exercuerunt, quæ immanior cæteris & ſævior, per decem annos Eccleſiam inceſſanter afflixit, quamvis & antea Chriſtianos perſecuti ſint. Sed tunc tam crudelis & ſæva fuit ac creberrima, ut intra unum menſem XVII milia martirum pro Chriſto cæſa legantur. Nam & occeani limbum transgreſſa, Albinum & Aaron, ac Julium cum multis aliis viris ac fœminis Britanniæ felici cruore dampnavit. Menſe Martio in diebus Paſchæ juſſu Imperatorum Eccleſiæ ſubvertuntur, divini libri ſuccenduntur.

Annus Dni. CCCIX. Dioclet. & Maximiani XX.

Diocletianus ab invito exegit Maximiano, ut ſimul purpuram regnique potentiam deponerent, ac junioribus & fortioribus publicam cauſam relinquerent. In una igitur die Diocletianus Nicomediæ Maximianus

mianus Mediolani imperium deponunt, & Diocletianus in Salonam, Maximianus in Lucaniam ſecedunt, perſecutio tamen manſit usque in VII annum Conſtantini Magni Helenæ filii. Marcello Papæ ſucceſſit Euſebius, cui poſt menſes VIII paſſo Melciades XXXIII ſuccedens ſedit annis IV.

Annus Dni. cccx. Conſtantii & Galerii I.

Conſtantius pater Conſtantini & Galerius Auguſti creantur & diviſus eſt inter eos orbis, ita ut Conſtantius Italiam, Galliam & Africam ſuſciperet, Galerius autem Illiricum & Aſiam & orientem obtineret. Sed Conſtantius Auguſti dignitate contentus Italiam & Africam recuſavit, ſolam Galliam obtinuit, vir egregiæ manſuetudinis & præſtantiſſimæ civilitatis non ſolum amabilis, ſed & venerabilis Gallis, præcipue quod Diocletiani ſuſpectam prudentiam & Maximiani ſanguinariam temeritatem in imperio ejus evaſerunt.

Galerius autem vir probè moratus & egregius in re militari, videns Italiam quoque ſuæ adminiſtrationi accesſiſſe, ſinente ſocio ſuo Conſtantio, Cæſares duos creavit Maximinum, quem orienti præfecit, qui & ipſe perſecutionem in Chriſtianos exercuit, & Severum cui Italiam dedit, ipſe vero in Illirico permanſit, Conſtantius verò filium ſuum Conſtantinum Cæſarem fecit, eique Galliam commiſit, ipſe autem III perſecutionis anno, ex quo autem Cæſar factus eſt XVI, Eboraci in Britannia obiit. Quo mortuo Galerius Licinium Cæſarem fecit, natum de Dacia notum ſibi ex antiqua conſuetudine in bello quod adverſus Narſeum Regem Perſarum geſſerat. Interea Romæ Prætoriani milites excitato tumultu Maxentium Herculii Maximiani filium nuncupaverunt Auguſtum. Quo audito Maximianus arrectus in ſpem reſumendi principatus, quem ſuaſu Diocletiani invitus dimiſerat, Romam evolavit è Lucania, Diocletianum per literas quoque hortatus, ut depoſitam reſumeret poteſtatem, quas ille irritas habuit & ſprevit. Galerius autem Severum cum exercitu contra Maxentium miſit, qui veniens Romam obſedit eam, ſed militum ſuorum ſcelere deſertus Ravennam fugit & in itinere ab Herculio occiditur. Poſt hæc Herculius

lius Maximianus in contentione militum filium ſuum Maxentium imperio nudare conatur, ſed à militibus convitiis injuriatus ad Gallias tetendit, dolo compoſito, quod à filio ſuo expulſus eſſet, ut genero ſuo Conſtantino jungeretur, moliens & ipſum reperta occaſione interficere, regnumque invadere, qui in Galliis & militum & provincialium ingenti jam favore regnabat. Detectis autem inſidiis ejus per filiam Fauſtam, quæ dolum ejus viro nunciavit, inde profugit, ſed à Conſtantino inſequente Maſſiliæ captus, fractis laqueo cervicibus perfidiæ ſuæ pœnas dedit anno vitæ ſuæ LX.

Annus Dni. CCCXI. Conſtantini I.

Conſtantinus filius Conſtantii Imperatoris & Helenæ de Gallia mortuo patre annitentibus cunctis qui aderant, præcipueque Croco Alemannorum Rege cum eo auxiliandi gratia comitante XXXIV ab Auguſto in Britannia Imperator efficitur VI Kal. Auguſti Imperii decus, omnium Auguſtorum auguſtiſſimus. Regnavitque annis XXXI. Hic primus omnium Imperatorum Chriſtianus efficitur, exceptis duobus *Philippis*, qui paucis admodum regnaverunt annis, quod idcirco factum eſſe creditur, *ut annus milleſimus magnæ Romæ, qui ſub ipſis completus eſt, non idolis ſed Chriſto dedicaretur.* Porro per hunc Conſtantinum Chriſtus Eccleſiam imperare fecit, & principem mundi plenarie foras ejecit. Interea Respublica à quatuor novis Imperatoribus tenebatur, Conſtantino & Maxentio filiis Auguſtorum, Licinio & Maximino novis hominibus. Maxentius autem Romæ velut tirannus habebatur, adulteria impudenter exercens, adulterarum viros occidens. Quem volens Conſtantinus opprimere, & Romanos à cladibus liberare, cogitabat, quem in bello Deum haberet auxilio, ſciens nichil prodeſſe Deos, quos Diocletianus venerabatur, & quia potius Conſtantius ſuus pater, contempta paganorum religione feliciter advixiſſet. Nam cum perſecutiones diverſas Eccleſia in alio terrarum orbe pateretur, ſolus Conſtantius Conſtantini pater in Galliis, ubi ipſe regnabat, licenter Chriſtianis in ſua conſiſtere religione conceſſit. Is enim probare volens quosdam Chriſtianos ſi boni & ſolidi eſſent vi-

ri, evocans universos, præcepit dicens, ut si quidem venirent ad sacrificandum & ejus colerent Deos, circa eum essent, & in suo cingulo permanerent, qui verò refugerent, egrederentur de palatio, gratias agentes, quod minime punirentur. Cumque in utroque apparuissent, alii quidem religionis desertores, alii autem divina præsentibus præponentes, deliberavit eis amicis & consiliariis uti, qui in rebus melioribus fideles constantesque permanserant. Alios autem velut effæminatos aversatus expulit à suo colloquio, credens nunquam eos circa principem devotos fore, qui fuerint Dei sui sic paratissimi proditores. Igitur Constantinus Constantii filius quinquennalibus suis bellum civile indixit, ejusque copias multis præliis fudit, propter magicas tamen quas ille multum dilexerat, metuebat eum. In his igitur sollicitudinibus constitutus cum congredi cum Maxentio multum hæsitaret, & de cœlo licet adhuc paganus auxilium quæreret, *in somno* vidit crucis signum cœlo splendide collocatum, mirantique visionem astiterunt Angeli dicentes : O Constantine in hoc vince. Ferunt autem & ipsum Christum apparuisse ei, signumque crucis monstrâsse, ac præcepisse ut figuram similem faceret & in præliis auxilium hoc haberet, quo victoriæ jura conquireret. Quod & fecit, habens eam in vexillis & signis militaribus depictam.

Constantini anno primo Maxentius Augustus à prætorianis militibus appellatur.

Annus Dni. CCCXII. Constantini II.

Maximianus Herculius ex Augusto privatus, ex Imperatore tirannus apud Massiliam turpiter interficitur.

Annus Dni. CCCXIII. Constantini III.

Quirinus Suscianus Episcopus glorioſe patitur, nam mola ad collum ejus alligata ponte præcipitatur in fluvium & diu supernatans & cum adstantibus colloquens, vix orans, ut mergeretur obtinuit.

Annus Dni. CCCXIV. Constantini IV.

Silvester XXXIV Romæ ordinatur Episcopus.

Annus

Annus Dni. CCCXV. Conſtantini V.

Conſtantinus Maxentio bellum indicit. Igitur Romam proficiſcens caſtra ponit juxta pontem milvium & multis præliis per biennium copias ejus fudit.

Annus Dni. CCCXVI. Conſtantini VI.

Petrus Alexandrinus Epiſcopus coronatur.

Annus Dni. CCCXVII. Conſtantini VII.

Conſtantinus finem bellis impoſiturus contra Maxentium acies inſtruxit. Tunc ecce ſubito portis erumpens Maxentius armatus milites ſuos præibat, Conſtantinus vero crucem, quam ſibi formaverat, coram ſe ferri jubebat, factaque congreſſione fugit exercitus Maxentii, ipſe verò paulo ſuperius à ponte lapſu equi in profundum dimerſus eſt, vixque corpus ejus inventum. Inter hæc cives Romani urbem coronant, & cum gaudio victorem Conſtantinum vivificamque crucem triumphaliter ſuſcipiunt. Tunc Conſtantinus pacem Eccleſiis edicto firmat.

Annus Dni. CCCXVIII. Conſtantini VIII.

Mortuo autem Galerio & Maximino Chriſtianorum perſecutoribus & occiſis Valente & Alexandro, qui ſe Imperatores appellaverant, omnis imperii poteſtas ad Conſtantinum pervenit & Licinium. Licinio autem Conſtantinus ſororem ſuam Conſtantiam dederat, filiumque ſuum nomine Criſpum ex Minervia concubina eisdem diebus oppido Arelatenſi natum, & Licinium Licinii filium menſium ferè XX Cæſares fecerat. Qui Licinius cum primum imitator fuiſſet dogmatis Chriſtiani, videns profectum Conſtantini, occultis inſidiis interficere principem laborabat, quod cum minime facere potuiſſet hunc, protegente DEO, apertum ſibi bellum indicit, ubi victus & fugatus mutata voluntate Chriſtianos ſpeciali odio perſequitur, quos Conſtantinum noverat diligere, volens per horum calamitates principem contriſtare hoc in cauſa ponens, quod non ita pro ſe quemadmodum pro Conſtantino orationibus vacarent. Pugnaturus autem denuo contra Conſtantinum in ſacrificiis & divinationibus ſpem victoriæ ponebat,

nebat, ſeductus ab aliquibus promittentibus, quod bello vinceret Conſtantinum, ſi idolis immolaret. Sacrificanti igitur Apollini fertur reſpondiſſe Dæmonium per hos Homeri verſus. O ſenex valde te juvenes pugnatores obſervant tuaque vita ſoluta eſt, ſævaque te ſenectus excipiet. Noviſſime igitur pugnatum eſt in Bithinia, ubi victus Licinius ſemetipſum in Nicomedia tradidit, privatusque Theſſalonicæ aliquanto tempore permanſit ibique perimitur.

Annus Dni. CCCXIX. Conſtantini IX.

Diocletianus ex ruſtico Auguſtus, ex Auguſto ut ajunt ortulanus non longe à Salona moritur, ſolusque inter Deos privatus refertur.

Annus Dni. CCCXX. Conſtantini X.

Conſtantinus Criſpum filium ſuum Auguſtum conſtituit, & ſecundo loco imperium tenere juſſit, quem poſtea, ut quidam ſcribunt, occidit. Nam Græci dixerunt, Conſtantinum eo quod multos genere proximos occidiſſet, & cooperator extitiſſet, in nece filii ſui Criſpi pœnitentia ductum, de purificatione conſuluiſſe Sopatrum Philoſophum, qui tempore illo præerat in ſede Plotini, illumque reſpondiſſe, nullam eſſe in hujusmodi delictis purgationem; Conſtantinum verò hac interdictione turbatum inveniſſe Epiſcopos, qui pœnitentia ſeu baptiſmate promitterent eum ab univerſo purgari poſſe delicto, tunc gaviſum in illis qui dixerant, quod volebat ammiratumque dogma, factum deinde Chriſtianum & ad ſui ſimilitudinem deduxiſſe ſubjectos. Hæc autem ficta ab illis qui ſtudent Chriſtianæ religioni detrahere. Criſpus enim, propter quem dicunt Conſtantinum egiſſe purgatione, viceſimo anno imperii paterni defunctus eſt. Quid — viveret multas cum eo pro Chriſtianis poſuit leges ſecundo loco honoratus imperii & Cæſar exiſtens, ſicut hactenus teſtantur Principum nomina & anni legibus præſcripti. Conſtat verò Conſtantinum adverſus Maxentium pugnantem per ſignum crucis quod in cœlo monſtratum ſibi viderat victorem extitiſſe, & tunc Romæ apud Sanctum Silveſtrum Papam initiatum religione Chriſtiana fuiſſe : Veruntamen ut Eccleſiaſtica docet hiſtoria, baptiſmum diſtulit usque ad ultimum tempus & annum impe-

imperii ſui , multum habens deſiderium in Jordane illud percipere.

Annus Dni. CCCXXI. Conſtantini XI.

Lactantius vir omnium ſui temporis eloquentiſſimus agnoſcitur, adeo pauper in hac vita , ut plerumque neceſſariis indiguerit. Hic Criſpum Conſtantini filium latinis literis erudivit.

Annus Dni. CCCXXII. Conſtantini XII.

Conſtantinus cum ad eum omne Romanorum perveniſſet imperium, edictis publicis uſus eſt, ut orientales impavidè religionem colerent Chriſti & diligenter divinitati miniſtrarent dicens , quia miniſtrum oportunum eum habere dignatus fuerit Deus ſui conſilii & à Britannico mari usque ad loca orientis adduxerit eum , quatenus augeretur religio Chriſtiana per eum.

Annus Dni. CCCXXIII. Conſtantini XIII.

Alexander Alexandriæ XVIII ordinatur Epiſcopus.

Annus Dni. CCCXXIV. Conſtantini XIV.

Conſtantinus omnia infirma eſſe ſanxit, quæ contra religionem fuerant cogitata vel geſta ſub perſecutoribus Eccleſiarum & Confeſſores ab exiliis revocavit.

Annus Dni. CCCXXV. Conſtantini XV.

Conſtantinus omnes Romanorum dignitates Chriſtianis adminiſtrandas tradidit, & ſacrificia Idolorum ac divinationes prohibuit.

Annus Dni. CCCXXVI. Conſtantini XVI.

Conſtantinus arma militum crucis ſigno ſignabat , aſveſcens eos, ut, ſicut ipſe, divinitatem colerent. Juſſit quoque ex auro & lapidibus pretioſis in vexillum crucis transformari ſignum quod *labarum* vocabatur. Hoc enim ſignum bellicum inter alia pretioſius erat, eo quod Imperatorem præcedere & à militibus adorari moris erat. Quod idcirco Conſtantinus nobiliſſimum decus imperii in ſignum mutavit crucis, ut frequenti viſione atque cura deſveſcerent à priori more ſubjecti. Semper enim hoc ſignum proponebatur ante ordines univerſos & *laborantibus* aciebus in præliis ſemper adeſſe præcipiebat, & certos

tos ſigniferos ad hoc conſtituit, fertur etiam quod quidam ferens hoc ſignum repente irruentibus hoſtibus expaviſſet, dediſſetque illud alteri devehendum. Cumque de prælio ſe ſubtraheret & jactum declinaret, ſubito percuſſus interiit, ille verò qui ſacrum ſuſceperat trophæum multis ſe jaculantibus permanſit illæſus.

Annus Dni. CCCXXVII. Conſtantini XVII.

Famoſiſſimum illud & omnibus ſeculis memorabile & venerabile concilium in Nicæa Bitiniæ induſtria pii principis congregatur, ubi trecentorum decem & octo patrum auctoritas Arrium erroneum, cum ſuis ſequacibus hæreticis & fallacibus examinavit, dampnavit & anethematizavit, quos repente principis præceptum exilio deportavit. De hoc Arrio antiqui hoſtis organo, quis vel unde fuerit, & quomodo eum Diabolus miniſtrum ſibi elegerit breviter dicetur : Alexandria civitas eſt magna & honorabilis, quæ circa Ægiptum obtinet principatum. In hac præſul erat PETRUS ille inclitus fidei propugnator, qui ſub Diocletiano ſumpſit martyrium. Hic eundem Arrium diaconatus ordinem promoverat, ac deinde in malitiæ novitatibus deprehenſum ab ordine & Eccleſia prorſus alienaverat. Dehinc Achillas Petri ſucceſſor rogatus à fidelibus quaſi ſatisfacientem rurſus recepit Arrium & miniſtrare præcepit. Poſt Achillam Alexander fortiſſimus Evangelici dogmatis prædicator ordinatur Epiſcopus. Hoc tempore quidem Arrius in ordine Presbiterorum erat, & expoſitionem divinarum ſcripturarum videbatur habere commiſſam. Videns autem, quòd Alexander ſuſcepiſſet pontificatum quem ipſe affectaverat, eventum temporis non portavit, ſed in amaritudinem & cordis mordacitatem compulſus litis quærebat initium. Nam veritatis inimicus videns Eccleſiam Chriſti florentem & elevatam valde per principem Conſtantinum atque ſplendentem, & attendens paganorum errorem fuiſſe nudatum, & capta machinamenta Dæmonum, nec adorari jam creaturam ſed creatori ymnos decenter offerri, non tulit, nec jam aperte contra fidem excitabat bellum, ſed inveniens Arrium, Chriſtianum quidem vocabulo, ſed amore honoris & vanæ gloriæ ſeductum, organum

num eum ad ſervitutem ſuæ machinationis habuit, per quem plurimos ad priſtinum errorem reduxit, non quidem creaturam rurſus adorari præcipiens, ſed creaturæ creatorem coæquatum aſtruens. Igitur Arrius doctrinæ Alexandri non valens aperte reſiſtere, quippe cum ille divina ſequens eloquia æqui honoris cum patre filium, & eandem habere ſubſtantiam cum Deo genitore genitum prædicabat, Arrius autem è diverſo veritati repugnans creaturam filium facturamque dicebat, adjiciens : Erat aliquando, quando non erat; & alia quæ ex illius literis inſana indicantur. Hæc igitur non ſolum in Eccleſia, ſed etiam in extraneis conciliis & conventibus circuiens docebat, & plurimis perſuadens decipiebat. Culpabatur igitur à fidelibus Alexander, tanquam non utiliter ſileret dum contra dogma fierent novitates. Alexander itaque judex reſidens cum clero ad altercationem utramque deduxit partem. Ut autem fieri ſolet, in certaminibus verborum utrinque ſuperare nitebantur, Arrius vero nullatenus adquieſcere volebat, quia conſubſtantialis filius & coæternus eſt patri. Alexander autem prius quidem Arrium revocare ammonitionibus & conſiliis nitebatur, cum verò eum ſuperbire vidiſſet, & aperte impietatis facinora prædicare ab ordine ſacerdotali removit, & circumquaque Eccleſiarum præſulibus ejus blaſphemiam ſuis literis indicavit. Ubi inter alia ſic ait: In noſtra igitur Parochia nunc egreſſi ſunt viri iniqui & Chriſto rebelles docentes Apoſtaſiam. Item poſt aliqua : Sed quoniam Euſebius nunc Nicomediæ Epiſcopus putans in ſe conſiſtere cauſas Eccleſiæ, quia cum reliquiſſet Bericiorum civitatem, & concupiſſet Nicomedienſem Eccleſiam, non eſt in eo ultio ſubſecuta, patrocinatur his Apoſtatis, & ſcribere ubique molitus eſt, commendans eos, ſi quomodo trahat aliquos ignorantes ad hanc peſſimam hæreſin; & paulo poſt: Apoſtatæ verò ſunt iſti : Arrius & Achillas, cum eis autem apoſtataverunt, Atthalis, Carponius, alter Arrius, Sarmatius, Euzoius, Lucius Julius, Menas Helladius, Gajus Secundus & Theonas, qui Epiſcopi aliquando ſunt dicti. Ea verò quæ opinantes loquuntur hujuſmodi ſunt: Non ſemper, inquiunt, Deus Pater fuit, Non ſemper Dei fuit verbum,

ſed fuit quando Deus Pater non fuit, Dei autem verbum ex non exiſtentibus factum; Exiſtens enim Deus non exiſtentem ex non exiſtente fecit, quapropter fuit aliquando, quando non fuit. Creatura enim & factura eſt filius, neque ſimilis eſt patri ſecundum ſubſtantiam, neque verus eſt, neque vera ſapientia ejus eſt, neque verum naturaliter patris verbum eſt, ſed unus quidem creaturarum & facturarum eſt. Abuſivè autem dicitur verbum & ſapientia; factus & ipſe exiſtens in proprio Dei verbo, & in Dei ſapientia, in qua & omnia & ipſum fecit, immo & convertibilis eſt & mutabilis per naturam, ſicut & univerſa rationalia. Propter nos enim factus eſt, ut nos per eum tanquam per inſtrumentum crearet Deus, & nequaquam ſubſtitiſſet, niſi nos Deus facere voluiſſet. Requiſivit ergo quidam eos, ſi poteſt Dei verbum converti ſicut Diabolus eſt converſus, & nequaquam dicere timuerunt: Utique poteſt, tanquam naturæ convertibilis. Alexander itaque hæc & ſimilia ſcribens univerſis Epiſcopis ad defenſionem fidei eos hortabatur. Scripſit & aliam Alexandro Conſtantinopoleos Epiſcopo, ubi inter plurima hæc quoque interſerit. Poſſumus (inquiunt iſti polluti) & nos fieri filii Dei ſicut & ille; ſcriptum eſt enim, filios genui & exaltavi, cumque illatum fuerit eis, quod ſequitur, id eſt, ipſi autem me ſpreverunt, quod naturale non eſt Salvatoris, cum natura ſit immutabilis, omni reverentiæ ſemetipſos ſpoliantes ajunt, nec aliquam habet proprietatem ad Deum, ſed cum ſit ipſa natura mutabilis, *ſcivit de illo Deus præſcientia & præcontemplatione, quia cum non eſſet ſpreturus, eligendus foret* ex omnibus. Non enim, inquiunt, natura quaſi præcipuum inter alios filios aliquid habet. Hæc inter alia ſcribens Alexandrinus Alexander Alexandro Conſtantinopolitano veridicis ſcripturarum teſtimoniis illam perniciosiſſimam Arrianorum hæreſim potenti ratione condempnat. Interim Arrius Euſebio Nicomedienſi talem ſcripſit Epiſtolam: Domino deſiderabiliſſimo homini Dei fideli orthodoxo Euſebio. Arrius qui perſecutionem ab Alexandro Papa patitur injuſtè propter vincentem omnia veritatem, quam tu quoque defendis in Domino ſalutem. Patre meo Armonio ad Nicomediam veniente

niente rationabile judicavi te ſalutare per eum, ſciens dilectionem pariter & affectum, quem circa fratres propter Deum habere dinoſceris, vehementer nos vaſtat atque perſequitur, & omnem benignum animum movet adverſum nos Epiſcopus, ita ut etiam de civitate nos expuliſſet, velut homines ſine Deo, quoniam non concordamus ei publice dicenti: Semper Deus, ſemper filius, ſimul pater, ſimul filius coëxiſtit, ingenito Deo filius ſemper genitus eſt, ab ingenito genitus eſt, neque cogitatione, neque athomo præcedit Deus, ſemper filius ex ipſo Deo eſt. Et quoniam Euſebius frater tuus Cæſarienſis & Theodotus & Paulinus & Athanaſius & Gregorius & Etius & omnes per orientem dicunt, quia præexiſtit Deus filio ſine principio, anathema facti ſunt præter ſolum Philogonium & Helladicum & Macharium, homines hæreticos ineruditos, quorum alii quidem dicunt filium eructuationem, alii propoſitionem, alii coingenitum, quas impietates nec audire poſſumus, licet innumeras mortes nobis minentur hæretici. Nos autem quoniam dicimus & ſapimus & docuimus & docemus, quia filius non eſt ingenitus, nec ingeniti pars ullo modo, neque ex aliquo ſubjecto, ſed quoniam voluntate & conſilio ſubſtitit ante tempora & ante ſecula plenus Deus unigenitus convertibilis. Et antequam generaretur aut crearetur aut prædeſtinaretur aut fundaretur non erat, ingenitus enim non erat. Perſecutionem patimur, quia diximus Principium habet filius, Deus autem ſine principio eſt, & quia diximus ex non exſtantibus eſt, ſic autem diximus ſecundum quod nec pars Dei eſt, nec ex aliquo ſubjecto, propterea perſecutionem patimur. De cætero tu noſti. Euſebius autem Ceſareæ erat Epiſcopus. Theodotus Laodiciæ, Paulinus Tyri, Athanaſius Anazarbi, Gregorius Beriti, Etius Liddæ quæ nunc Dioſpolis appellatur. Hos Arrius concordes ſe habere gloriabatur. Hoſtes autem vocavit Philogonium præſulem Antiocenum, Helladicum Tripoleos, Macharium Jeroſolymorum. Igitur Arrii Epiſtolam, cum Euſebius ſuſcepiſſet, ipſe quoque venenum ſuæ impietatis evomuit, in Epiſtola ſimilis blaſphemiæ ad Paulinum Tiri. Talia quippe ſcribentes alterutris, contra veritatem ſe armabant

bant ad prælium. Catholici verò in domo Alexandri ſcribentes, adverſa ſentiebant, & omnia valde erant turbata. Epiſcopi ratiocinationibus de fide contendebant, clerus aſſiduis diſputationibus debachabatur, populus quoque diviſus erat, nullus ordo, nulla conditio à tumultu immunis erat, nullum os à ſcripturarum ſe laceratione temperabat, & qui nullam didicerat literam, pompoſam de fide promebat ſententiam: Ruſticus urbano decertat, turpis honeſto. Omnis domus implebatur, nullus locus tumultibus vacabat, civitates replebantur blaſphemia, agri ruſticorum, greges Paſtorum audierunt argumenta. Gentiles Philoſophi oportunum tempus nacti nec ipſi temperabant à blaſphemia habundantem invenientes materiam ad ſua ſophiſmata. Sacra contempnebantur, ſpernebatur unda Baptiſmatis & publicæ religioni derogabant pagani in theatris theatricis rithmis. Conſtantinus autem pius princeps nimis dolens pro tanto religionis detrimento primo quidem temptabat, literis ſuis finem imponere tumultui, ſimul Alexandrum & Arrium de contentione arguens, & pro pace obſecrans ſic inter alia ſcribens. Dudum veniens ad Nicomedienſium civitatem repente ad orientem pergere feſtinabam, cumque ad vos tenderem, & plurima jam parte vobiscum eſſem, hujus rei nuntio ſum retentus, ne oculis videre compellerer quod impoſſibile judicabam ad ſenſus poſſe aurium pervenire. Quapropter aperite jam mihi per veſtram concordiam orientis vias, quas contentione clauſiſtis, velociterque concedite michi vos ipſos & alios univerſos populos videre lætos, & pro communi omnium concordia ac libertate debitam gratiarum actionem favorabilibus eloquiis Deo perſolvere. Veruntamen Imperator his ſcriptis nichil proficiens, Oſium Cordubæ Epiſcopum virum fide & religione probatum pro pace reformanda direxit, qui & ipſe nichil agens ad principem rediit. Tunc illud famoſiſſimum in Nicæa concilium fervor Principis excitavit, publicis aſinis atque mulis & curracibus equis Epiſcopos & qui cum eis erant ad ſinodum venire præcipiens.

Annus

Annus Dni. CCCXXIIX. Conſtantini XVIII.

Communicabant igitur Nicæno Concilio ex Apoſtolicis quidem ſedibus Macharius Jheroſolimitanus, Euſtatius Antiocenus, Alexander Alexandrinus, Julius autem Romanus Epiſcopus propter ſenectutem defuit, ſed erant pro eo præſentes Vitus & Vincentius presbyteri ejusdem Eccleſiæ. Super hos autem & alii plurimi boni & optimi viri ex diverſis gentibus convenerunt, alii quidem ad intelligendum & dicendum nimis idonei, ſcientiaque ſacrorum librorum & alia eruditione diſciplinati, vitæque virtute præclari, de quibus & Euſebius Pamphili meminit tertio libro in Conſtantini vita ſic ſcribens : Cunctarum igitur Eccleſiarum quæ totam Europam Libiamque & Aſiam replebant, ſimul erant miniſtrorum Dei congeſta cacumina, unaque erat orationis domus tanquam à Deo dilatata intrinſecus ferebat omnes in idem, Syros ſimul & Cilicas, Phænicasque & Arabas, atque Paleſtinos, inter hos & Ægiptios, Thebeos & Libicos, nec non qui ex Meſopotamia oriuntur, ſed etiam Perſa venit ad concilium Epiſcoporum, nec Scyta defuit ex eorum choro, Pontus & Aſia, Phrigia & Pamphilia viros probatiſſimos præbuerunt, aderant Thraces & Macedones, Achivi & Epirotæ & horum quoque interius habitantes. Ipſe autem Hiſpanorum valde famoſus Oſius unus erat, & ſimul plurimis aſſidebat. Talem itaque ſolus à ſeculo Imperator Conſtantinus Chriſto coronam vinculo pacis exornans ſuo Salvatori de victoria inimicorum & hoſtium Deo decibilem dedicavit. In præſenti ſiquidem choro multitudo erat Epiſcoporum numerum trecentorum excedens ſequentibus eos presbyteris, Diaconis & acolitis, quorum numerus non poterat comprehendi : Hæc quidem Pamphili Euſebius, Imperator verò cum celebrâſſet victricem contra Licinium feſtivitatem, & ipſe occurrit ad Nicæam. Cunctis verò qui convenerant, Imperator diebus cotidianis cibaria largiſſime ordinârat expendi. Plurimi verò Epiſcopi tempus ſe inveniſſe putantes libellos Imperatori obtulerunt, de quibus quisque alium culpabat, accuſantes quid quisque fuiſſet paſſus ab altero. Cumque in his cotidiè tempus protraherent, Imperator certum diem eorum

rum accuſationibus indixit. Cum verò eadem veniſſet dies, libellos oblatos ſuſcipiens ait Imperator : hæ quidem accuſationes tempus habebunt proprium, id eſt diem magni judicii, judicem vero illum qui tunc futurus eſt omnibus judicare : Michi ergo homini conſtituto de hujusmodi rebus non licet habere auditorium ſacerdotum ſcilicet accuſantium ſimul & accuſatorum, quos minimè convenit tales debere monſtrari qui judicentur ab aliis. Age ergò nunc imitantes divinam clementiam in alterutrorum veniam accuſationes : Aboleamus invicem & de his quæ ad fidem pertinent agere ſtudeamus, cujus hic gratia venimus. Hæc ſiquidem Imperator dicens uniuscujusque ſcripturam vacare & libellos juſſit ardere, diemque definivit, qua ſolvi quæ erant dubia conveniret. Interim Epiſcopi evocaverunt Arrium, & propoſitis in commune ſuis opinionibus diſputabant. Plurimi verò tunc convenientium Epiſcoporum & ſequentium eos clericorum ſcientes diſputare, hujusmodi elocutionum arte excitati claruerunt & Imperatori atque his qui circa eum erant noti ſunt facti. Ex illis & Athanaſius tunc Diaconus exiſtens dum cum Alexandro eſſet Epiſcopo, hujus ſtudii pars videbatur eſſe maxima. Cumque plurimi diſputationis delectatione traherentur, unus quidam ex confeſſoribus laicis ſimplicem habens ſenſum, dialecticis obviavit dicens : Audite igitur, Chriſtus & Apoſtoli non nobis dialecticam tradiderunt, vanamque verborum fallaciam, ſed puram ſcientiam fide & operibus obſervandam. Hæc dicente juvene præſentes quidem mirati ſunt dictumque probaverunt, Dialectici verò percepta ſatisfactione ceſsârunt. Convenientibus igitur univerſis die conſtituta maximam domum præparavit regalibus Imperator, ſedes & ſubſellia in ea poni præcipiens quæ ſufficere poſſent ordini ſacerdotum, ita decentem præparans eis honorem invitavit ingredi & de præſentibus negotiis habere conſilium, introivit autem & ipſe princeps ultimus cum paucis laude dignam ſui magnitudinem habens, & mirabilem ſpeciem mirabilioremque gerens dignitatem pudoris in fronte, minore verò ſede quam aliis poſita in medio eorum ſedit. Itaque famoſiſſimus Imperator protulit de unanimitate & concordia

cordia sermones, tirannorum eis crudelitatem rememorans & honorabilem pacem quæ sub eo est collata divinitus, simul quoque quia pessimum & valde crudele videretur, ut destructis hostibus nulloque præsumente resistere, sibi invicem sacerdotes in alterutros jacularentur atque confunderent, & impiis atque sine Deo personis delectationem atque risum præberent, cum utique de divinis ipsi tractarent rebus & Sancti Spiritus in scripturis haberent doctrinam. Evangelici enim libri sunt, inquit, & Apostolici antiquorumque Prophetarum scriptiones, quæ nos erudiunt quid de sacra lege sapiamus. Expellentes igitur hostile certamen ex verbis divinitus inspiratis solutionem quæstionum mente percipiamus : Hæc & his similia tanquam filius amator patris sacerdotibus veluti patribus offerebat, Apostolicorum dogmatum cupiens profligare concordiam. Concilii vero plurima pars his quæ dicebantur obediebat, & inter alterutros unanimitatem & dogmatum salubritatem libenter amplectebantur, pauci verò quorum supra meminimus Apostolicis resistentes dogmatibus Arrium defendebant. Dictantes enim fidei petitionem cœtui communi dederunt, quæ cum lecta fuisset ab universis repente dirupta est, & adultera & fraudulenta pronunciata est, turba reclamante, & tumultu contra eos habito ab omnibus cunctisque proditionem ab eis factam accusantibus pietatis, formidantes surrexerunt, & primi Arrium abdicarunt, excepto Secundo & Theona. Cumque fuisset impius ille destructus, concorditer universi fidem gloriamque dictantes, quæ hactenus in Ecclesiis permanet, & subscriptionibus roborantes solvêre concilium. Dolosè tamen & non salubriter prædicti viri in fidei termino consenserunt, quod testantur tam ea quæ postea ab eis machinata sunt contra pietatis propugnatores, quam quæ ab ipsis conscripta noscuntur. Secundus autem & Theonas, nolentes adquiescere, condempnati sunt : Synodus autem Arrium & consectatores ejus anathematizavit omnes adjicientes neque accedere eum in Alexandriam. Præceptumque principis repente eundem Arrium, & qui circa Eusebium & Theoginum, & qui cum eis erant exilio deportavit. Eusebius verò

verò Nicomediæ & Theoginus Niceæ poſt paululum tempus exilii libellum pœnitentiæ porrigentes Imperatori in fide conſubſtantialitatis conſenſerunt & ab exilio revocati ſunt, & ſuas Eccleſias receperunt expellentes qui in eorum locis fuerant ordinati. Imperator interea poſt concilium degebat lætus. Denique Arrius doloſè pœnitentiam agens & fidei Nicenæ ſubſcribens & ipſe revocatus eſt, & rurſus Epiſcoporum examini ab Imperatore directus. Cognitis autem ejus fraudibus iterum condempnatus eſt, & ultra in Alexandriam redire non eſt permiſſus. Imperator autem de concordia fidei & communi pace abſentibus talem ſcripſit epiſtolam:

Victor Conſtantinus Maximus Auguſtus Epiſcopis & populo. Malignos & impios Arrius imitatus dignum eſt, ut illorum quoque ſuſcipiat ultionem. Sicut ergo Porphirius divinæ pietatis inimicus iniqua volumina contra religionem proferens dignam meruit invenire mercedem & talem, per quam in poſterum eſſet opprobrio & plurima compleretur infamia; & nunc placuit Arrium & conſectatores ejus vocari Porphirianos, ut quorum mores imitati, eorum vocabulo cenſeantur. Super hæc autem ſi qua conſcriptio ab Arrio facta reperitur igni tradatur, ut non ſolum præſens ejus doctrina depereat, ſed neque illa ejus poſſint permanere commenta. Hoc etiam præcipio, ſi quis conſcriptiones Arrii celaſſe comperitur & non repente proferens igne conſumpſerit, mortis ſupplicio ſubjacebit. Mox enim ut in hoc fuit captus capitalem ſuſcipiet ultionem. Sic itaque famoſiſſimus Imperator Arrianam hæreſin ſua auctoritate dampnavit, & fidem Nicenam omni ſtudio confirmavit, omnes abominans, & à ſe alienans, quicunque huic fidei non communicabant. Arrius apud Imperatorem hoc agere ſatagebat, quatenus in communionem ab Epiſcopis reciperetur. Imperator verò de Arrio experiri volens interrogat, ſi Niceni decreta ſervaret. Ille verò nichil moratus repente ſubſcripſit decreta fidei per ſubſcriptionem arte callida circumveniens, & Imperator quidem miratus ei intulit jusjurandum. Qui etiam fraudulenter hoc egit quodammodo jusjurandum arte deludens: Scripſit enim Arrius ſectam ſuam in carta

in carta quam ſub ala ferebat, unde verè ſe jurare credidit dicens, ſic ſe ſapere ſicut ſcripſiſſet, credens igitur Imperator ſuſcipi eum ab Epiſcopo Conſtantinopolitanæ urbis Alexandro in communionem præcepit. Erat autem tunc ſabbatum, & ſequenti die eos communicare exſpectabat alterutris. Sed præſumptiones Arrii judicia Dei ſecuta ſunt. Nam cum egreſſus ex imperiali fuiſſet aula, obſequiis honorabatur ſatellitum Euſebii & per mediam civitatem perſpicuus tunc apparebat. Cumque veniſſet juxta locum, cui vocabulum eſt Conſtantini forum, ubi columpna Porphyritica collocata eſt, terror eum ſubito ex quodam conſcientiæ ſecreto conſtrinxit, & cum formidine ſecuta eſt ventris effuſio, percontatusque, ſi ſeceſſum eſſet in proximo, agnoſcens eſſe poſt Conſtantini forum, perrexit illuc, quo facto defectus eum quidam cum effuſione corripuit, & unà cum ſtercoribus meatus quoque prolapſus eſt. Tunc ergo concidit & ſanguinis multitudo cum ſubtilibus inteſtinis, ſubſequenter effluxit decurrebantque cum ſplene & interna jecoris, & ita factum eſt ut repente ſequeretur & mors. Seceſſum verò ubi talia geſta ſunt omnes transeuntes digito notabant, deteſtabilem Arrii recordantes interitum. Poſt aliquod verò tempus quidam fautorum Arrianæ veſaniæ dives & potens ſtudium habuit & eundem locum à publico comparavit, & diruens quod erat primitus domum ibi conſtituit, quatenus oblivio facti procederet & per ſucceſſiones ejusmodi memoria deperiret, fama tamen per cunctam cucurrit civitatem, & orbi terrarum mortem Arrii declaravit. Imperator de interitu Arrii lætus Deo gratias egit ſæpe illud proclamans: Juſtus es Domine & rectum judicium tuum.

Licinius Theſſalonicæ privatus occiditur.

Annus Dni. CCCXXIIX. Conſtantini XIX.

Helena Imperatoris mater Jheroſolimam petens ſepulcrum Chriſti requiſivit, & quamvis difficillimè tamen invenit. Id namque pagani ſordibus operuerant oblivioni tradere cupientes memoriam ſalutarem & deſuper templum ædificaverant luxurioſiſſimæ dæmonis id eſt Veneris. Præcepit igitur deſtrui ſceleratiſſimum templum ipſumque

que pulverem funeſtis ſacrificiis violatum ejici & procul à civitate diſpergi. Igitur in altum fodientibus apparuerunt tres cruces & clavi ſimul & titulus Hebraicis, Græcis, Latinisque literis conſcriptus, Jeſus Nazarenus Rex Judæorum. Tunc ergo quæ crux eſſet Domini, quæ latronum, dubitare ceperunt. Proinde Macharius civitatis præſul hujuſmodi tractatu dubitationem ſolvit. Mulieri namque nobilitati claræ longa ægritudine fatigatæ unam de crucibus cum oratione adhibens virtutem Salvatoris agnovit. Mox enim ut mulierem crux attigit ſalutem recepit. Tactu quoque crucis mortuus reſurrexit. Sic itaque mater Imperatoris quod cupiebat agnoſcens, de clavis quidem alios in Galea miſit Imperatoris filii capitis providentiam gerens, alios freno equino permiſcuit cautelam filii agens, & Zachariæ Prophetiam adimplens qui dicit : Et erit quod in fræno eſt ſanctum Domino omnipotenti. Crucis verò partem aliquam dedit Imperatori, reliquam Machario civitatis ſacerdoti. Ipſa verò ultra octogeſimum annum ætatis agens redit ad filium & cum lætitia tranſivit à ſeculo, multa filio pietatis mandata committens noviſſimis benedictionibus adimpleto.

Annus Dni. CCCXXX. Conſtantini XX.

Hucusque hiſtorias ſcribit Euſebius exin Jheronimus.

Annus Dni. CCCXXXI. Conſtantini XXI.

Antiochiæ ordinatur Vitalis Epiſcopus XX, poſt hunc Philogonius, dehinc Paulinus, poſt eum Euſtaſius, quo ob fidem exiliato ſucceſſerunt Arriani numero XI.

Annus Dni. CCCXXXII. Conſtantini XXII.

In Antiochia Dominicum quod vocatur aureum ædificare ceptum.

Annus Dni. CCCXXXIII. Conſtantini XXIII.

Juvencus Presbyter Hiſpanus Evangelia verſibus compoſuit.

Annus Dni. CCCXXXIV. Conſtantini XXIV.

Donatus agnoſcitur, à quo per Africam Donatiani.

Annus

Annus Dni. CCCXXXV. Conſtantini XXV.

Dedicatur Conſtantinopolis omnium urbanarum pene urbium nuditate. Hanc civitatem inclitam & *ſolam ſemper ydolatria carentem* Conſtantinus condidit, & eam Imperiali Romæ in omnibus magnificentiis & dignitatibus coæquavit. Nam cum ei omnia proſpere cederent, propriam voluit habere civitatem, veniensque ad campum ante Ylium juxta Helleſpontum ſuper Achillis tumulum, ubi Achivi contractu — pugnantes habuerunt caſtra, civitatem deſignavit, portasque fecit, quæ hactenus videntur à navigantibus. Hæc agenti per noctem Deus apparuit, monens ut alium quæreret locum eumque ducens ad Bizantium Thraciæ, illic eum habitare & ædificare juſſit. Hanc igitur auxit & maximo eam muro circumdedit & de nomine ſuo Conſtantinopolim appellavit, & ſecundam Romam lege firmavit.

Annus Dni. CCCXXXVI. Conſtantini XXVI.

Athanaſius Alexandriæ ordinatur Epiſcopus.

Annus Dni. CCCXXXVII. Conſtantini XXVII.

Romæ Marcus Papa ſedit menſ. VIII.

Annus Dni. CCCXXXIIX. Conſtantini XXIIX.

Edicto Conſtantini omnia gentilium templa ſubvertuntur.

Annus Dni. CCCXXXIX. Conſtantini XXIX.

Conſtantinus cum filiis ſuis honorificas ad Antonium literas miſit.

Annus Dni. CCCXL. Conſtantini XXX.

Conſtantia Conſtantini ſoror uxor Licinii moriens, Arrianum quendam presbyterum fratri commendat. Cumque religioſiſſimus Imperator potius Chriſtianitate gauderet, & vere Dei teſtimonio fidem Nicenam roborari cogноſceret, cum tres haberet filios, eos Cæſares appellavit & ſingulos eorum per decenos annos participes Imperii eſſe conſtituit, id eſt primum qui eſt ſui nominis Conſtantinum Heſperiarum partium in decennali ſuo fecit habere principatum, ſecundum verò avi nomine nuncupatum Conſtantium in vicennalibus ſuis Cæſarem in oriente conſtituit, juniorem verò Conſtantem in ſuis tricenna-

cennalibus ordinavit. Anno verò post hæc transacto ingressus sexagesimum quintum ætatis annum ægritudine captus, ex urbe Constantinopolitana quasi ad aquas calidas egressus est. Qui dum in Nicomedia degeret facto testamento tribus filiis constitutis heredibus defunctus est. Corpus autem ejus in aureo loculo collocatum ad Constantinopolim est devectum & in palatii celso loco repositum, quod in multis honoribus atque veneratione quasi viveret habebatur, donec aliquis filiorum ejus assisteret. Postea verò ab oriente Constantio veniente cum imperialibus exequiis funus ejus sepultum est in Apostolorum Ecclesia. Vixit autem Constantinus Imperator annis LXV & regnavit annis XXX & dimid. & de terreno ad perenne migravit regnum vicesima secunda die mensis Maji, erat autem annus secundus ducentesimæ & octavæ Olimpiadis : Scribunt autem quidam Constantinum in hæresin Arrianam corruisse; sed hoc Ecclesiastica non docet historia, quæ sub magna religione illum decessisse narrat.

Annus Dni. CCCXLI. Constantii I.

Constantius Constantini filius XXXV ab Augusto adeptus imperium annis XXIII regnavit. Divisum autem erat imperium in quatuor partes : Nam Constantinus cuncta trans Alpes obtinuit, Constans verò in Italia, & Illirico & Africa imperavit, Constantius quoque Asiam & orientem ad regendum suscepit. Dalmatius autem eorum fratruelis in Thracia & Macedonia regnavit: sed his tribus brevi tempore interfectis solus Constantius obtinuit Monarchiam.

Annus Dni. CCCXLII. Constantii II.

Dalmatius prosperrima indole patruo haut dissimilis à militibus occisus est, Constantio patruele suo sinente magis quam jubente.

Annus Dni. CCCXLIII. Constantii III.

Orta est discordia inter Constantinum & Constantem propter Italiam & Africam. Constantinus itaque dum nititur partes fratris junioris invadere, bellum movit contra eum, sed dum inconsultiùs apud Aquilejam prælium adgressus est, à Constantis militibus occisus est, & in fluvium, cui nomen Alsa, est projectus.

Annus

Annus Dni. CCCXLIV. Constantii IV.

Maximinus Trevirorum Episcopus clarus habetur, à quo Athanasius Alexandrinus Episcopus à Constantio profugus honorifice suscipitur.

Annus Dni. CCCXLV. Constantii V.

Franci à Constante perdomiti pacem petunt.

Annus Dni. CCCXLVI. Constantii VI.

Arriana hæresis Constantii fulta præsidio omnes non suæ partis Episcopos persequitur.

Annus Dni. CCCXLVII. Constantii VII.

Paulus Constantinopolitanus Episcopus ab Arrianis expellitur, & Macedonius substituitur, à quo hæresis Macedonia.

Annus Dni. CCCXLVIII. Constantii VIII.

Sapor Persarum Rex Christianos persequitur.

Annus Dni. CCCXLIX. Constantii IX.

Athanasius ad Constantis literas Alexandriam regreditur.

Annus Dni. CCCL. Constantii X.

Magnis Reipublicæ expensis in Seleucia Siriæ portus effectus.

Annus Dni. CCCLI. Constantii XI.

Eusebius Emisenus Arrianæ signifer factionis multa & varia scripsit.

Annus Dni. CCCLII. Constantii XII.

Maximus post Macharium Jherosolimorum Episcopus moritur, post quem hæretici Ecclesiam invadunt.

Annus Dni. CCCLIII. Constantii XIII.

Romanæ Ecclesiæ XXXIV ordinatur Liberius, quo in exilium ob fidem truso, omnes clerici juraverunt, quod nullum alium susciperent, & multi eorum perjuraverunt. Nam cum Felix ab Arrianis fuisset substitutus, quidam eum receperunt, sed post annum cum eo pariter ejecti sunt, quia Liberius tædio victus exilii & in hæretica pravitate Romam quasi victor intraverat. Constans haud longè ab Hispania castro, cui

cui Helene nomen eſt, interficitur anno ætatis XXX Magnentio arripiente imperium.

Annus Dni. CCCLIV. Conſtantii XIV.

Gallus Conſtantii patruelis Cæſar factus. Felix Papa cum Conſtantium convinceret eſſe hæreticum ejectus eſt, & Liberius hæreſi ſubſcribens eſt reſtitutus.

Annus Dni. CCCLV. Conſtantii XV.

Gallus apud Antiochiam quosdam nobilium interficit.

Annus Dni. CCCLVI. Conſtantii XVI.

Victorinus Rhetor & Donatus Grammaticus Romæ inſignes habentur.

Annus Dni. CCCLVII. Conſtantii XVII.

Julianus frater Galli interventu Euſebiæ Auguſtæ morti ſubtractus Cæſar efficitur.

Annus Dni. CCCLIIX. Conſtantii XIIX.

Euſebius Vercellenſis & Dioniſius Mediolanenſis & Lucifer Caralitanus Epiſcopi exilio deportantur.

Annus Dni. CCCLIX. Conſtantii XIX.

Antonius Abbas migravit anno ætatis centeſimo quinto.

Annus Dni. CCCLX. Conſtantii XX.

Oſſa Andreæ Apoſtoli & Lucæ Evangeliſtæ & Timothei Conſtantinopolim ſunt allata.

Annus Dni. CCCLXI. Conſtantii XXI.

Paulinus Trevirorum Epiſcopus in exilio moritur. Hilarius Pictavienſis Epiſcopus Arrianorum inſtinctu à Conſtantio in Phrigia exiliatur cum Dioniſio Mediolanenſi & Euſebio Vercellenſi, ſed quarto exilii anno cum librum de fide Conſtantio porrexiſſet redire permiſſus eſt.

Annus Dni. CCCLXII. Conſtantii XXII.

Synodus apud Ariminum & Seleutiam Yſauriæ facta, in qua antiqua Patrum fides dampnata eſt. Sed Gallia per Hilarium hujus concilii dolos vitavit.

Annus

Annus Dni. CCCLXIII.

Conſtantius inter hæc bellum Parthis præparans cum audiſſet Julianum ad imperium inhiare, Parthica expeditione rediit, & inter Ciliciam & Cappadociam febri acerrima quam indignatio augebat moritur, anno ætatis ſuæ XLV.

Hic in principio admodum manſuetus & magnæ tranquillitatis fuit, ſed ventoſæ levitatis, ita ut in Arrianam pravitatem declinans, primo Athanaſium, dehinc omnes non ſuæ partes Epiſcopos exiliis & carceribus & variis perſecutionibus inſequeretur, licet frequenter à fratribus, à Conſtantino & Conſtante, correptus literis & legationibus, ut paternæ recordaretur religionis & pietatis, emendationem promitteret.

Annus Dni. CCCLXIV. Juliani I.

Claudius Julianus Cæſar XXXVI ab Auguſto imperium accepit & annis II regnavit & menſ. VIII. De cujus genere ac diſciplina & quomodo apoſtataverit vel qualiter ad regnum pervenerit pauca dicenda ſunt. Conſtantinus qui Byzantium ſuo nomine Conſtantinopolim appellavit duos habuit ex eodem patre non eadem matre Germanos, quorum unus Dalmatius alter Conſtantius vocabatur; & Dalmatius quidem ſui nominis habuit filium, Conſtantius autem duos habuit natos, Gallum & Julianum. Poſt mortem vero Conſtantini dum milites Dalmatium juniorem peremiſſent, tunc & iſti defuncto jam patre penè mortis periculum ſuſtinuerant, ni Gallum quidem ægritudo quæ putabatur inevitabilis liberâſſet, Julianum vero ætas infantilis. Erat enim annorum octo. Cumque ab eis fervor Imperatoris quieviſſet, Gallus quidem circa Epheſum apud Doctores erat, porro Julianus creſcens in auditoriis Conſtantinopolitanæ urbis exercebatur in baſilica, ubi doctores erant habitu privato incedens. Rhetoricam vero legebat apud Eubalum Sophiſtam tunc Chriſtianum, quod providentia quippe Conſtantii geſtum eſt, ne apud paganum ſophiſtam legens ad ejus ſuperſtitionis dogma declinaret. Erat enim Julianus ab initio Chriſtianus, cumque fama per populum volitaret, quod poſſet etiam guber-

gubernare Rempublicam, Conſtantius miſit eum ab urbe regia in Nicomediam, præcipiens ne conveniret apud Libanium Sirum Sophiſtam paganum. Supervenit autem in Nicomediam Maximus Philoſophus, quem poſtea quaſi artes Magicas exercentem Valentinianus Imperator juſſit occidi. Tunc igitur non ob aliam cauſam in Nicomediam venerat, niſi Juliani fama protractus. Apud quem Julianus cum verba Philoſophica præguſtâſſet, cepit etiam doctoris imitari religionem. Hic enim etiam imperii cupidinem animo ejus immiſerat. Cumque hæc non laterent aures Imperatoris, inter ſpem metumque poſitus ſuſpicionem celare volens tonſus monachicam ſimulabat vitam. Denique in Eccleſia Nicomediæ lector eſt conſtitutus, & ſub hoc habitu furorem declinavit Imperatoris. Hæc equidem pro timore faciebat, dicebatque plurimis amicorum ſuorum felicia fore tempora, quibus ipſe rerum potiretur imperio. Poſt paululum verò interemto fratre ejus Gallo, Julianus quoque ſuſpectus fit Imperatori, ſed interventu Euſebiæ Auguſtæ nichil mali paſſus eſt, ſed ad Philoſophandum Athenas miſſus eſt. Diſcurrens autem Julianus totam Helladiam, vates quærebat reſponſa reddentes, conſulens ſi Respublica ad ſuum imperium perveniret. Invenitque virum qui ei deſiderata ſe dicere fatebatur, is eum perducens ad quendam Idolorum locum & intromittens in adytum, dæmones evocavit. Quibus apparentibus, terrore compellitur Julianus in fronte ſua formare crucis ſignaculum & repente dæmones diſparuerunt. Tunc Magus culpare cepit Julianum. At ille & terrorem inſinuavit, & crucis ſe dixit obſtupuiſſe virtutem, eo quod videntes hoc dæmones evanuerunt. Porro Magus, non hoc æſtimes inquit, ô bone vir, quod timuerunt, ſed abhominati potius hoc ſignum abſceſſerunt, & ita capiens miſerum odio replevit Chriſtiani ſignaculi Julianum. Poſt hæc Conſtantius evocans Julianum conſtituit eum Cæſarem dansq; ei ſororem ſuam conjugem, contra barbaros eum deſtinavit ad Gallias, & dum quandam civitatem fuiſſet ingreſſus corona laurea, quibus ſolent civitates ornari, inter columnas pendens, rupta funè ſuper ejus caput decidit, & aptiſſime eum

coro-

coronavit. Quo facto cuncti clamaverunt, quod ei signum foret imperii. Contra barbaros verò fortiter agens, regem eorum captum transmisit Constantio, & Augustus à militibus appellatur. Cumque corona Imperialis deesset, unus signa portantium torquem sumens Juliani capiti circumposuit & hoc modo Imperator est factus, statimque contra Constantium intestinum præparatur bellum. Quod cum sine multo sanguine finiri non posset, Deus consiliorum judex unum sine alterius concertatione finivit. Julianus igitur in ipso principio imperii ita impudenter negavit Christianam fidem, ut quibusdam sacrificiis & invocationibus baptisma studeret abluere, & dum aliquando Idolis sacrificaret, apparuit signum crucis in visceribus pecudis corona circundatum. Quo viso ministri sunt perterriti, æstimantes hujusmodi religionis virtutem, & Christiani dogmatis æternitatem, eo quod corona indicium esset victoriæ, Julianus verò confortans eos dixit prospera esse indicia quam signum dogmatis Christiani per se coërceretur, & quia ei quo vellet dilatari non liceret, circuli esset termino contortum. Quod tunc pagani contra religionem egerint Juliani solatio, multa sunt & propriis libris egentia. In Ascalonia sacerdotum & virginum dividentes uteros & ordeo implentes porcis apponebant. In Sebastia verò Johannis Baptistæ sepulcrum aperuerunt, ignique tradiderunt, ossa verò ac pulverem dispersérunt.

Annus Dni. CCCLXV. Juliani II.

Julianus Galilæorum filiis, sic enim Salvatoris nostri cultores denominabat, Poëtarum & Rhetorum atque Philosophorum legere disciplinas prohibuit. Deinde Galilæos militiis expulit.

Julianus nullum iniquitatis genus omittens etiam Judæos contra Christianos armavit, primumque convocans requisivit, cur eis præcipiente lege immolare nequaquam sacrificiis uterentur. Cumque respondissent, uno tantum loco sibi offerendi sacrificium fuisse permissum, repente Deo odibilis jussit destructum resuscitari templum credens infelix Dominicum verbum se destruere, cujus per hoc veritatem magis ostendit. Hæc itaque verba Judæi libenter accipientes

cunctis per diverſum terrarum orbem mandavere Judæis. Qui undique concurrentes pecunias ad ædificium alacriter offerebant, miniſtravit quoque plurimum ipſe Julianus non largitatis gratia, ſed veritati repugnans. Dicitur etiam quod ad repurgium faciendum argenteas hamas & cofinos & ſcafas habuerint. Cumque die multitudo fodiſſet, nocte ſpontanea terra de valle creſcebat. Cumque gipſi & calcis multa modiorum milia congregâſſent, vis magna ventorum repente reſpirans omnino diſperſit & adhuc veſanientibus eis primo terræ motus factus eſt; cum verò neque hoc terrerentur indicio, ignis ex fundamentis egrediens fodientium plurimos concremavit nocte quoque una porticus cadens cum tecto dormientes oppreſſit, & ſic Judæi ad propria ſunt reverſi. Interim cum Perſæ mortuum cognoviſſent Conſtantium, capta fiducia ad terminos venerunt Romanorum, denunciantes bellum. Ob quam rem Julianus congregato exercitu miſit in Delfim & Delum & Dodonem ad percipienda Idolorum reſponſa. Tunc univerſi vates & pugnandi fiduciam dabant & victoriam promittebant. Pergens igitur ad bellum diis ſuis ſanguinem vovit Chriſtianorum & theatrum ſtatuens in Jeruſalem, interminatus eſt ſacerdotes & Monachos & virgines ſacras illic ſe beſtiis traditurum, cum victor reverteretur in pace. In Antiochia verò vir quidam optimus pædagogus adoleſcentium habitabat, eratque illic famoſiſſimus ſophiſta Libanius impius, exſpectavitque Juliani victoriam habens præ oculis ejus minas. Ergo interrogavit pædagogum, noſtram deridendo religionem : Nunc, inquit, fabri filius, quid putas agit. At ille, plenus gratia divina, reſpondit : O ſophiſta locellum ſepulturæ Juliano componit. Poſt paucos itaque dies mors illius nuntiatur erronei, & in locello poſitus eſt advectus, minarumque timor evacuatus eſt. De cujus interitu diverſi diverſa ſentiunt. Nam cum præſidens in equo exercitum confortaret, jaculum repente delatum diſcurrens per brachium in ejus latus immerſum eſt, & ex hoc vulnere ſuſcepit terminum vitæ. Quis verò juſtiſſimum intulerit vulnus hactenus ignoratur. Sed alii quendam inviſibilium hoc intuliſſe ferunt, alii unum paſtorum

rum Ismahelitarum, alii militem fame & itinere fatigatum : Sed sive homo sive Angelus fuerit, palam est, quod divinis jussionibus ministravit. Dum verò fuisset vulneratus, manum sanguine suo complevit, & in aërem sparsit dicens : Galilæe vicisti; confessus cum blasphemia victoriam. Veruntamen in libro vitæ sancti Basilii legitur certissime per Mercurium Martirem Julianum fuisse interemtum. Periit ergo Julianus in Regione Persica, sexta die Junii mensis anno tertio imperii sui, septimo verò, ex quo Cæsar à Constantio est factus, vitæ verò XXXI.

Annus Dni. CCCLXVI. Joviani I.

Jovianus ab Augusto XXXVII imperium susscepit & menses VIII regnavit, genitus patre Baroniano incola provinciæ Pannoniæ. Cujus Pater cum filios crebro amitteret, per sompnum ei dictum est, ut eum, qui partu instante edendus foret, Jovianum diceret. Fuit insignis corpore, lætus ingenio, studiosus in literis, fortis viribus, miles illo tempore quo Julianus impius legem militibus proposuerat, ut aut sacrificarent aut militia decederent. Qui cingulum magis elegit amittere, quàm præceptis Imperatoris obedire. Sed Julianus propter belli necessitatem tunc eum inter milites habebat. Hic cum à militibus violenter ad imperium raperetur, clamavit se nolle paganis hominibus imperare, cum ipse esset Christianus. Dumque omnium vox communiter proclamaret, se quoque Christianos esse, susscepit imperium. Facta autem pace cum Persis ingeniose exercitum reduxit illæsum, quem Julianus responsis idolorum nimis credulus in periculis dereliquerat. Dein cum Constantinopolim festinaret, venit ad prædium Dadastam, ubi tempore hiemis languore constrictus, cum in novo cubiculo recubaret, calore prunarum & nidore parietum nuper calce illitorum suffocatus obiit, octavo mense imperii sui, anno vitæ XXXIII XIII Kal. Septembris.

Annus Dni. CCCLXVII. Valentiniani I.

Valentinianus XXXVIII ab Augusto Imperator efficitur, vir optimus, & apice principali dignissimus, qui regnavit annis XI. Iste fuit Panno-

Pannonius genere, de Cybala civitate, cujus Pater Gratianus mediocri ſtirpe ortus, funarius eſt appellatus, eò quod quadam die venalem funem portanti quinque milites nequiverunt extorquere. Qui merito accitus in militiam usque ad præfecturæ prætorianæ dignitatem aſcendit. Ob cujus commendationem apud milites Valentiniano oblatum eſt imperium. Qui cum ſub Juliano Apoſtata ſcutariorum tribunus eſſet, & integram fidem haberet, & Julianus quadam die *templum fortunæ* ingrederetur, miniſtri templi ex utraque parte januarum ſtantes *aſperſione aquæ, ſicut ipſi dicebant, ingredientes purgabant.* Tunc Valentinianus præcedens Imperatorem ut aſperſionis guttam ſua vidit in clamide, indignatus pugno percuſſit templi miniſtrum, dicens ſe maculari potius quam purgari. Quod videns Imperator, juſſit ut aut ſacrificaret aut militia diſcederet, & mox ſponte diſceſſit : Nec mora Juliano interfecto, & Joviano mortuo in loco perſecutoris ſui ſuſcepit imperium. Hic primo imperii ſui anno fratrem ſuum Valentem conſortem regni facit. Largiens ei partes orientales, ſibi occidentales retentans.

Annus Dni. CCCLXIIX. Valentiniani II.

Valentinianus filium Gratianum Cæſarem facit hortatu Serenæ uxoris ſuæ. Damaſus Papa IXL ſedit annis XIIX ſub ſeditione tamen, quia Urſinus Diaconus Romanæ Eccleſiæ ſacerdotium ſibi uſurpaverat. Damaſus verò conſtituit ut die noctuque pſalmi in Eccleſia dicantur.

Annus Dni. CCCLXIX. Valentiniani III.

Valentinianus cujusdam Juſtinæ virginis amore captus, legem propoſuit, ut quilibet impune qui vellet bina matrimonia ſuſciperet, & ſic ipſe Juſtinam duxit, Serena nequaquam abjectâ : Ex qua generatus eſt ei filius Valentinianus & tres filiæ, Juſta, Grata & Galla, quarum duæ in virginitate permanſerunt, Gallam verò Theodoſius major poſtea duxit uxorem.

Annus Dni. CCCLXX. Valentiniani IV.

Lana vera pluviæ permixta fluxit de nubibus.

Annus

Annus Dni. CCCLXXI. Valentiniani V.

Athalaricus Rex Gothorum Christianos in sua gente persequitur.

Annus Dni. CCCLXXII. Valentiniani VI.

Nicea terræ motu funditus eversa est.

Annus Dni. CCCLXXIII. Valentin. VII.

Valentinianus Saxones cæde perdomuit in Francia.

Annus Dni. CCCLXXIV. Valentin. VIII.

Didimus Alexandrinus multa de nostro dogmate commentatur per Notarios, quia quinquennio cæcus elementorum ignarus fuit.

Annus Dni. CCCLXXV. Valentiniani IX.

Martinus Thuronis ordinatur Episcopus.

Annus Dni. CCCLXXVI. Valentiniani X.

Magnentia nobilissima Romanorum Jherosolimam veniens in tantum virtutibus & humilitate claruit, ut Teclæ nomen acceperit. Auxentio Arriano Mediolanensium Episcopo defuncto Ambrosius præfidatum urbis agens *necdum baptizatus* communi civium consensu *Episcopus eligitur*, jubenteque Valentiniano baptizatur & ordinatur, per quem omnis Italia ab hæresi liberatur.

Annus Dni. CCCLXXVII. Valentin. XI.

Valentinianus rupta vena nuper incisa moritur.

Annus Dni. CCCLXXIIX. Valentis I.

Valens verò frater Valentiniani cum regnasset cum fratre annis XI, post mortem fratris annos IV regnavit cum Gratiano & Valentiniano Valentiniani filiis. Hic itaque Valens iniquitatem, quam ante concepérat, mortuo jam fratre pariebat, Catholicos ubique persequens & Monachos in militiam cogens, nolentes militare, crudeliter interficiens. Nam dudum suadente Dominica uxore sua ab Eudoxio Arriano Episcopo *rebaptizatus* mox persecutionem in Christianos movisset, si fratrem non timuisset. Considerabat quippe qualem fidei zelum Imperator haberet, qui sub Juliano tantum religionis fervorem miles habuisset. Igitur

Igitur Valens perſcrutari volens quis poſt eum regnaturus eſſet, necromantiam fecit, ſed diabolus ejus nequitia & crudelitate abuſus, obliqua ei reſponſa dedit, per quæ multos artificioſe interemit. Demonſtravit enim ei IV literas, ΘΕΟΔ. dicens hoc nomen poſt Valentem imperii culmen accepturum. Unde ille zelo ductus, Theodatos, Theodoros, & Theodotos, & Theodunculos occidebat, & quicunque has literas in principio ſui nominis habebant. Hoc ergò timore multi ſua nomina mutantes cum juramento negabant. Inter cæteros autem occiſus eſt Theodoſius vir fortis, ex Hiſpania ducens genus, pater Theodoſii poſtea Imperatoris. Hic à Valentiniano fratre Valentis miſſus in Africam, Firmium quendam in regnum ſeſe extollentem ad mortem coëgit, totamque Africam & Mauritaniam Imperio Romano ſubjecit. Hic cum traheretur ad mortem, prius in remiſſionem peccatorum rogavit baptizari, & ſic ultrò jugulum præbuit percuſſori.

Annus Dni. CCCLXXIX. Valentis II.

Baſilius Cæſariæ Cappadociæ Epiſcopus claruit.

Annus Dni. CCCLXXX. Valentis III.

Athanaſius Alexandriæ Epiſcopus LXVI ſacerdotii ſui anno migrans, Petrum ſucceſſorem reliquit. Hic eſt Athanaſius inſigniſſimus fidei propugnator, qui per innumeras tribulationes ab Arrianis frequenter dampnatus & exulatus mille pro Chriſto martyria ſuſcepit.

Annus Dni. CCCLXXXI. Valentis IV.

Gothi à Hunis expulſi per Thraciam funduntur permittente Valente. Gothi fame compulſi rebellant Valenti contra quos ille Trajanum magiſtrum militiæ miſit, qui mox victus ignominioſe revertitur. Cui cum Valens mollitiem exprobraret, ait : Non ego victus ſum, ô Imperator, ſed tu, qui contra Deum pugnas ; an neſcis, quos ab Eccleſiis expuliſti, & quibus eas tradidiſti. Ille vero ſera pœnitentia ſtimulatus, Epiſcopos cæterosque ſanctos revocari ab exiliis præcepit. Dehinc commiſſa pugna cum Gothis, victus eſt ejus exercitus, ipſe quoque ſagitta ſauciatus & in fugam verſus, cum ob nimium dolorem de equo laberetur, in viliſſimam caſam deportatur, ibique ſupervenientibus

tibus Gothis crematu anno vitæ ſuæ L, imperii XV, regnavit cum fratre ann.XI poſt eum IV. Juſto quippe judicio Dei ab illis eſt crematus, quos ille perfidiæ ſuccenderat igne. Ante quippe petentibus Gothis, ut eis prædicatores mitteret, qui eos catholicam fidem inſtruerent, miſit Arrianos Doctores, ſicque omnis illa gens Arriana facta eſt.

Annus Dni. CCCLXXXII. Gratiani I.

Gratianus filius Valentiniani XXXIX ab Auguſto poſt mortem patrui ſui Valentis electus eſt ad imperium, & regnavit cum fratre Valentiniano annis VI, cum prius regnâſſet cum patruo annis IV. Ea tempeſtate Theodoſius tam propter Parentum nobilitatem quam propriam fortitudinem habebatur nominatiſſimus, ſed invidia diſſimilium fatigatus in Hiſpania morabatur, ubi & ortus & nutritus fuerat. Igitur Gratianus admodum juvenis, cum adhuc fratrem ſuum puerum cerneret, & inæſtimabilem hoſtium multitudinem Romanis infuſam finibus; fretus Chriſti potentia viriliter egit, & apud Argentariam Galliæ oppidum plusquam XXX millia Alemannorum interfecit. Accitumque de Hiſpania Theodoſium magiſtrum militiæ fecit, eumque cum expeditione contra barbaros miſit in Pannoniam. Qui vadens fortiter cum maximis Scithiæ gentibus pugnavit, & triumphavit. Mox Dux optimus exercitu diſperſo per urbes ipſe velociter ad principem remeavit, ipſeq; triumphorum ſuorum nuntius fuit. Quamobrem lætatus princeps Gratianus faventibus cunctis Theodoſium XXXIII ætatis annum gerentem apud Sirmium purpura induit orientisque & Thraciæ imperio præfecit.

Annus Dni. CCCLXXXIII. Gratiani II.

Apud Mediolanum Ambroſius, Thuronis Martinus, Gregorius Niſenus, & Gregorius Nazianzenus, & apud Bethleem Jheronimus, Alexandriæ Theophilus toto orbi radiabant.

Annus Dni. CCCLXXXIV. Gratiani III.

Theodoſius cum Athalarico Wiſigothorum rege pacem fecit, eundemque poſtea Conſtantinopolim venientem benivolè ſuſcepit, ibique

ibique defunctum honorifice ſepeliri fecit & hac benignitate omnes Gothos Romano imperio ſubjugavit.

Annus Dni. CCCLXXXV. Gratiani IV.

Theodoſius veniens Theſſalonicam ægritudinem incurrit, cupiensque baptizari Anatholium ejusdem civitatis Epiſcopum requiſivit, cujus eſſet fidei, quo reſpondente, quod Arriana peſtis in Illiricum non valuiſſet accedere, ab eo baptizatus eſt, atque ab ægritudine liberatus Archadium filium ſuum conſortem imperii facit.

Annus Dni. CCCLXXXVI. Gratiani V.

Synodus CL Epiſcoporum Conſtantinopoli adverſus Macedonium congregatur ſub Damaſo Papa. Hic decretum eſt, ut Conſtantinopolitanus poſt Romanum Pontificem habeat privilegium. In Gallia quoque Itacius & Urſatius Epiſcopi Eccleſiæ communione privantur, eo quod ipſorum accuſatione Priſcillianus hæreticus ſit dampnatus, Epiſcopis nefas ducentibus cujuslibet hominem Epiſcoporum accuſatione interfici. Unde & beatiſſimus Martinus à Maximo moleſtabatur, nolens Ithacianis communicare.

Annus Dni. CCCLXXXVII. Gratiani VI.

Maximus ex Britannia tyrannidem aſſumpſit, vi coactus ab exercitu, vir ſtrenuus & imperio dignisſimus, ſi per tyrannidem non emerſiſſet. Hic apud Lugdunum Gratianum occidit, Valentinianum cum Juſtina matre Italia expulit.

Annus Dni. CCCLXXXIIX. Theodoſii I.

Theodoſius genitus patre Theodoſio matre Thermantia, interfecto per Maximum Gratiano XL ab Auguſto Romanorum imperium ſolus obtinuit, & XI annis regnavit, cum in oriente prius vivente Gratiano VI annis regnaverit. Valentinianum verò quamdiu vixit ſecum regnare fecit, ipſe verò bellum adverſus Maximum qui tunc Aquilejæ inſidebat aſſumpſit, illumque, cum vim Imperatoris ferre non poſſent, à militibus propriis traditum peremit. Fuit autem Theodoſius propagator Reipublicæ & eximius defenſor, clemens & miſericors, communis omnibus, ſolo habitu differens à cæteris, in omnes honorificus, in bo-

in bonos profusus. Quantæ autem mansuetudinis apud homines fuit, tantæ humilitatis coram Deo extitit. Quod in illo comprobatur obedientiæ exemplo, quo beato subjectus legitur fuisse Ambrosio, prohibenti illum ingredi Ecclesiæ limina propter inconsiderata quorundam innocentum homicidia. Conjunx verò ejus sæpè eum divinas leges ammonebat, se ipsam perfectè erudiens prius; non enim regni fastigiis elevata est, sed repente ut venit ad purpuram, claudorum atque debilium maximam habuit curam, non servis non aliis ministris utens, sed per semet ipsam agens, & ad eorum habitacula veniens unicuique quod opus habuit præbebat. Sic enim per Ecclesiarum xenodochia discurrens suis manibus ministrabat infirmis, ollas eorum tangens, jus gustans, cochlearia offerens, panem frangens cibosque ministrans, calices abluens, & alia cuncta faciens quæ servis mos est agere. Ejusdem principis temporibus apud Palestinam in castello Emaus natus est puer integer & perfectus, sed ab umbilico sursum divisus, ita ut haberet duo pectora & duo capita, & quoscunque sensus, & cum unus edebat & bibebat, alter non edebat, unus dormiebat, alter vigilabat, nonnunquam insimul dormiebant, ad alterutrum ludebant & flebant, & uterque se invicem percutiebat. Vixerunt autem annis ferme duobus, & unus quidem mortuus est, alter verò supervixit diebus quatuor.

Annus Dni. CCCLXXXIX. Theodosii II.

Theodosius vir plenus virtutibus, Valentinianum, à Maximo Italia expulsum, in regnum restituit.

Annus Dni. CCCXC. Theodosii III.

Theodosius Romæ positus multum profuit urbi, alia præbendo, alia aufferendo.

Annus Dni. CCCXCI. Theodosii IV.

Augustinus à Manichæorum hæresi per Ambrosium convertitur.

Annus Dni. CCCXCII. Theodosii V.

Theodosius relicto Romæ Valentiniano Constantinopolim revertitur.

Annus Dni. CCCXCIII. Theodoſii VI.

Johannes Monachus claruit.

Annus Dni. CCCXCIV. Theodoſii VII.

Siricius Papa XL. ſedit annis VIII, & Paula & Euſtochium filia ejus Chriſto ancillantur in Bethleem.

Annus Dni. CCCXCV. Theodoſii IIX.

Jheronimus librum, quem de illuſtribus viris ſcribit, hic finit.

Annus Dni. CCCXCVI. Theodoſii IX.

Corpora Habacuc & Micheæ Prophetarum revelantur. Didimus Alexandrinus obit.

Annus Dni. CCCXCVII. Theodoſii X.

Valentinianus fraude Arbogaſti comitis ſui, & Eugenii Grammatici dormiens ſuffocatus eſt, ejusque locum invadit Eugenius. Quod Theodoſius audiens congregavit multitudinem militarem, filiumque ſuum Honorium conſtituit Imperatorem. Miſit autem Eutropium Eunuchum ſibi fideliſſimum in Thebaidam ad Johannem Monachum præſcientia clarum, ut eum adduceret aut venire nolentem de belli eventu requireret. Qui mandavit ei, quod interfecto tyranno victoria ſit potiturus, ſed ipſe in Italia moriturus. Relictis ergo ambobus filiis in urbe Conſtantinopolitana, Theodoſius contra Eugenium pergit. Eugenius igitur & Arbogaſtus cùm tranſitus Alpium tenerent, Theodoſius in ſummis Alpibus conſtitutus, jejuniis & orationibus erat intentus. Congreſſione autem facta, turbo ventorum maximus à parte Theodoſii in ora hoſtium ſurgebat, qui tela quæ ipſi mittebant in ipſos retorquebat. Eugenius itaque corruens ad pedes Imperatoris veniam petebat, ſed à militibus circa pedes ejus capite truncatus eſt: Arbogaſtus verò propria ſe manu interfecit. Theodoſius autem Mediolanum veniens ægritudinem incurrit, &

Anno Dni. CCCXCVIII. Theodoſii XI.

Evocans de Conſtantinopoli Honorium Imperatorem Romæ ordinavit ipſe verò in pace quievit [*XVI. Kal. Febr. Anno imperii XVII, vitæ XL.*] Auguſtinus Ypponi ordinatur Epiſcopus.

Annus

Annus Dni. CCCXCIX. Archadii & Honorii I.

Archadius & Honorius XLI loco ab Auguſto commune tenuerunt imperium diverſis tantum ſedibus, Archadius in Oriente, Honorius in Occidente. Hi ſecuti zelum Patris toto orbe templa idolorum jubent deſtrui. Gildo Comes Africæ à Theodoſio dudum ordinatus cognita morte ejus arbitratus parum ſpei in pueris cepit ſibi Africam vendicare. Cujus frater Maſcehel cum eſſet fidelis, Germani perfidiam detexit, Ille verò duos filios fratris, dum pater abiret, interfecit. Contra quem ut hoſtem idem Maſcehel cum exercitu miſſus eſt, & cum eum valde coarctaret, in fugam verſus poſt paucos dies ſtranguIatus eſt.

Heſperiam verò plagam in regno Honorii primum Radigiſus Scita crudeliſſimus cum CC milibus Gothorum inundavit, quibus omnem Romani populi ſanguinem propinare devovit. Qui comprehenditur à Romanis, & miſſus in carcerem ibi moritur. Tanta verò multitudo Gothorum capta eſt, ut ſicut vilia pecora venderentur. Poſt Radigiſum Alaricus Rex Gothorum intravit, & multa eis mala inferens apud Conſentiam mortuus eſt. Johannes heremita obiit.

Annus Dni. CCCC. Archadii & Honorii II.

Sanctus Mauritius migravit.

Annus Dni. CCCCI. Archad. & Honor. III.

Beatus Ambroſius de ſeculo tranſivit.

Annus Dni. CCCCII. Archad. & Honor. IV.

Anaſtaſius Papa XLI ordinatur, ſedit annis III.

Annus Dni. CCCCIII. Archad. & Honor. V.

In Britannia Pelagius doctrina execrabili Eccleſiam maculare nititur, docens inter cætera, hominem ſine gratia Dei poſſe ſalvari ſuis meritis & hominem naſci ſine peccato originali.

Annus Dni. CCCCIV. Archad. & Honor. VI.

Synodus fit Alexandriæ propter doctrinam Origenis.

Annus Dni. CCCCV. Archad. & Honor. VII.

Innocentius Papa XLII ſedit annis XV. Hic conſtituit ad miſſas Annus pacis oſculum dari.

Annus Dni. CCCCVI. Archad. & Honor. VIII.

Attila Gothorum conſilio & auxilio tyrannidem præſumit in Galliâ.

Annus Dni. CCCCVII. Archad. & Honor. IX.

Severus vitam ſancti Martini eleganter ſcribit.

Annus Dni. CCCCVIII. Archad. & Honor. X.

Honorius cum triumpho Romam ingreditur præeunte ejus curru Attalo, quem tamen Cipparæ vivere fecit exulem.

Annus Dni. CCCCIX. Archad. & Honor. XI.

Johannes Chryſoſtomus urgente Eudoxiâ Auguſta Epiſcopatu abdicatus ab Archadio exilio relegatur, ubi non multò poſt moritur. Sed Innocentius Papa & occidentales Epiſcopi pro Johannis præjudicio ab orientalium ſe communione ſuſpendunt. Iram Dei pro morte Johannis nimia grandinis tempeſtas Conſtantinopoli incumbens minatur, & mors Eudoxiæ Auguſtæ.

Annus Dni. CCCCX. Archad. & Honor. XII.

Romæ celebrato gladiatorio ludo, Achatius Monachus increpans populum attentius ſpectaculo inhiantem lapidatus eſt ab eis. Quamobrem offenſus Honorius Imperator ludum gladiatorium edicto in perpetuum removit.

Annus Dni. CCCCXI. Archad. & Honor. XIII.

Archadius Orientalis Imperator, cum regnâſſet poſt obitum patris annis XIII, Conſtantinopoli defunctus eſt anno ætatis XXXI relinquens filium Theodoſium nomine, annorum VIII, quem ante mortem ſuam appellavit Imperatorem, qui ſuccedens patri regnavit annis XLI, cum patruo Honorio XV, poſtea XXVI, qui fiunt XLI.

Hujus tempore Claudianus & Prudentius Poëtæ inſignes habentur.

Annus Dni. CCCCXII. Honorii & Theodoſii I.

Honorius poſt mortem fratris ſui cum Theodoſio filio fratris regnavit annis XV.

Annus

Annus Dni. CCCCXIII. Honorii & Theodosii II.
Nestorius Constantinopolites Episcopus in hæresin, quæ in Christo Deum ab homine separat, vertitur, à quo Nestoriani.

Sequentes Anni usq; ad CCCCCL in Manuscripto desunt.

Annus Dni. CCCCCL. Justiniani XXIV.
Belisarius patritius accusatus apud Imperatorem, quod adversus eum conspirâsset, ablatis omnibus in custodiam missus est, sed post non multum tempus dimissus *omnia recepit.*

Annus Dni. DLI. Justiniani XXV.
Victor Capuanus Episcopus librum suum de pascha scribens, Victorii redarguit errores.

Annus Dni. DLII. Justiniani XXVI.
Theodebertus filius Theoderici filii Clodovei obiit, cujus filius Theobaldus fuit.

Annus Dni. DLIII. Justiniani XXVII.
Terræ motus terribilis factus est Constantinopoli & in urbibus circumquaque positis per dies XL.

Annus Dni. DLIV. Justiniani XXIIX.
Imperator extruxit Constantinopoli templum, quod Græco vocabulo Agian Sophiam nominavit, cujus opus adeo cuncta ædificia excellit, ut totis in terrarum spatiis huic simile non possit inveniri.

Annus Dni. DLV. Justiniani XXIX.
Apparuit ignis in cœlo quasi species lanceæ.

Annus Dni. DLVI. Justiniani XXX.
Sanctus Medardus obiit.

Annus Dni. DLVII. Justiniani XXXI.
Radegundis Regina, uxor quondam Lotharii Regis mutata veste claret sanctitatis nobilitate.

Annus Dni. DLVIII. Justiniani XXXII.
Gregorius ex prætore urbano factus Monachus Romæ claret.

Annus Dni. DLIX. Justiniani XXXIII.

Theobaldus filius Theodeberti moritur anno regni sui VIII.

Annus Dni. DLX. Justiniani XXXIV.

Attila Rex Hunnorum & totius Europæ terror à puella, quam à patre occiso vi rapuit, cultello perfossus interiit.

Annus Dni. DLXI. Justiniani XXXV.

Beatus Nicetius Trevirensis Archiepiscopus mira sanctitate refulget.

Annus Dni. DLXII. Justiniani XXXVI.

Hilpericus Lotharii filius regnare cepit.

Annus Dni. DLXIII. Justiniani XXXVII.

Lotharius filius Clodovei Rex Francorum moritur, anno regni sui LI relinquens IV filios.

Annus Dni. DLXIV. Justiniani XXXVIII.

Justinianus Imperator obiit.

Annus Dni. DLXV. Justini minoris I.

Justinus minor Justiniani nepos genere Thrax IL loco ab Augusto regnavit annis XI, coronatus cum uxore sua Sophia ab Euticio Patriarcha. Hic primo erat pius & orthodoxus, & adornavit Ecclesias quas Justinianus fundaverat, dans eis thesaurum & reditus; posteà verò in omnem avaritiam incidit, factus exemptor paupertum, spoliator Senatorum, faciens arcas ferreas, in quibus quæcunque rapiebat auri talenta reconderet.

Annus Dni. DLXVI. Justini min. II.

Armenii suscipiunt fidem.

Annus Dni. DLXVII. Justini min. III.

Childebertus & Clotharius Reges cum exercitu Hispaniam intrant, Cæsar-Augustam civitatem obsident. Cives induti ciliciis tunicam Sancti Vincentii super murum circumferunt Deum contrito corde exorantes, Reges divina inspiratione, miseratione flexi obsidionem solvunt. Episcopus ejusdem civitatis Childeberto Regi pro munere stolam Sancti Vincentii dat. Idem Rex Parisiis Basilicam in honorem Sancti Vincentii construit.

Annus

Annus Dni. DLXVIII. Juſtini min. IV.

Narſes cartularius quondam Juſtiniani Imperatoris, ſed pro bono ſervitio factus patritius. Totilam Regem Gothorum occidit gentem Gothorum de Italia exterminavit.

Annus Dni. DLXIX. Juſtini min. V.

Narſes Buccellinum Ducem Francorum ad devaſtandam Italiam miſſum, occidit, & Sindoaldum Regem Brendorum qui remanſerat de genere Herulorum, quas Odoacar duxerat in Italiam, apprehendit, & in alta trabe ſuſpendit, totamque Italiam ab hoſtibus liberavit. Erat enim vir ſapiens & catholicus, in pauperes largus, Eccleſiarum reparator, in vigiliis & orationibus aſſiduus, in tantum ut victoriam magis oratione quam armis obtineret.

Annus Dni. DLXX. Juſtini min. VI.

Romani per invidiam accuſationem adverſus Narſetem direxerunt ad Juſtinum Imperatorem & Sophiam uxorem ejus dicentes: Melius eſſet nobis ſervire Gothis quam Græcis, ubi Narſes caſtratus imperat, & nos ſervitio premit, & noſter ſanctiſſimus Princeps hoc neſcit, aut libera nos de manu ejus aut civitatem Romanam & nosmet ipſos gentibus trademus. Auguſtus ira commotus adverſus Narſetem Longinum præfectum miſit in Italiam, qui locum Narſetis obtineret. Sophia quoque Auguſta inter alia verba Romanis ſic reſpondit de eo: Ponam illum caſtratum in Gynæcéo, ut per penſa filet lanam cum puellis. Ad hæc Narſes reſpondit. Talem ei ordiar telam, ut, quamdiu vixerit Sophia, non poſſet deponere eam. Et quia timuit redire Conſtantinopolim, contulit ſe Neapolim, & Legatos ſuos ad Longobardos miſit eosque in Italiam introduxit.

Annus Dni. DLXXI. Juſtini min. VII.

Longobardi Mediolanum intraverunt.

Annus Dni. DLXXII. Juſtini min. VIII.

Gregorius Turonenſis Epiſcopus in Gallia claret.

Annus Dni. DLXXIII. Juſtini min. IX.

Rupta eſt pax inter Romanos & Perſas.

Annus

Annus Dni. DLXXIV. Juſtini min. X.

Juſtinus Imperator cum *Aretha Rege Indorum* pacem fecit, mittens ei epiſtolam, ut ſe armaret contra Regem Perſarum eumque vaſtaret, quod & fecit.

Annus Dni. DLXXV. Juſtini min. XI.

Juſtinus Imperator convocavit tam Euticium Pontificem & Senatum quam omnes Sacerdotes & cives, & adducto Cæſare Tyberio palam omnibus deſignavit eum Imperatorem & poſt paucos dies moritur.

Annus Dni. DLXXVI. Tiberii Conſtantini I.

Tiberius Conſtantinus genere Trax L loco ab Auguſto regnavit annis VII, coronatus ab Euticio Patriarcha. Hic cum adhuc vivente Juſtino præeſſet palatio & ut vere Chriſtianus theſaurum multum, quem Juſtinus malè congregavit, pejusque in ferreis archis repoſuit, pauperibus diſtribueret, Sophia Auguſta frequenter eum increpavit dicens; quid ego per multos annos contraho, tu modico tempore expendis. Cui ille ait: Confido in Domino, quia pecunia non deerit fiſco regali, tantum pauperes eleemoſinam accipiant, & captivi redimantur.

Annus Dni. DLXXVII. Tiberii II.

Tiberius Imperator multas eleemoſinas fecit, unde & Deus multas ei pecunias demonſtravit. Quadam itaque die deambulans per palatium vidit in pavimento petram, in qua ſculptum erat ſanctæ crucis ſignum, & ait: Cruce Domini frontes & pectora noſtra ſignare debemus, & ecce ſub pedibus noſtris eam calcamus, & juſſit eam aufferri. Quæ cum levaretur, invenerunt aliam ſimili modo ſignatam, cumque & hanc levari juſſiſſent, apparuit tertia, hanc quoque cum ſublevaſſent, invenerunt plus quam mille centenaria auri. Quo ſublevato multum pauperibus largitus eſt ex eo.

Annus Dni. DLXXIIX. Tiberii III.

Sigebertus filius Lotharii interfectus eſt anno ætatis XIV.

Annus

Annus Dni. DLXXIX. Tyberii IV.

Narſes patritius magnam domum habuit, in qua cyſternam faciens multum aurum & argentum in ea recondidit, occidens omnes conſcios hujus rei, præter unum ſenem, à quo juramentum exigens omnia ei commendavit. Mortuo autem Narſete, prædictus ſenex ad Tyberium venit & de eadem pecunia ei indicavit. Qui gaviſus miſit pueros ſuos cum eo, qui aperientes cyſternam, tantam pecuniam invenerunt, ut per multos dies vix potuiſſet deportari. Quam more ſuo pene omnem pauperibus erogavit.

Annus Dni. DLXXX. Tyberii V.

Rex Perſarum congregavit exercitum contra Tyberium, contra quem ille miſit Ducem Mauritium, qui Perſas vicit, reverſusque cum victoriâ, honorificè à Tyberio eſt ſuſceptus, dataque ſibi filia Imperatoris Conſtantia gener ejus eſt effectus. Similiter & Germano prætori junxit filiam ſuam Charito, *utrumq; Cæſarem creans.*

Annus Dni. DLXXXI. Tyberii VI.

Hilpericus Rex Francorum Tyberio Legatos ſuos miſit & multa dona accepit, *& aureos tales quorum unus ſolidus libram penſavit, & habebant ex una parte figuram Imperatoris & per girum ſcriptum: Tiberii Conſtantini perpetui Auguſti, ex altera parte currum & hominem ſuper eum, qui minabat illum, & ibi erat circumſcriptum*,

GLORIA ROMANORUM.

Annus Dni. DLXXXII. Tyberii VII.

Tyberius Imperator cum infirmatus mortem ſibi imminere ſenſiſſet, cum Conſilio Sophiæ Auguſtæ Mauritium generum ſuum ad Imperium elegit, ſicque de hac luce migravit, quem univerſus populus ob nimiam ejus bonitatem multum planxit. Fuit enim ſummæ bonitatis, ad eleemoſinas promtus, in judiciis juſtus, in diſcretione cautiſſimus, nullum deſpiciebat, ſed omnes cum bona voluntate ſuſcipiebat, & quia omnes dilexerat, omnibus dilectus erat.

Annus Dni. DLXXXIII. Mauritii I.

Mauritius genere Cappadocus LI loco ab Auguſto primus ex Græcorum genere adeptus imperium regnavit annis XXI.

Annus Dni. DLXXXIV. Mauritii II.

Mauritius Imperator conſul appellatus eſt, & multos theſauros urbi donavit.

Annus Dni. DLXXXV. Mauritii III.

Svevi à Leubigildo Rege victi & obtenti, Gothis ſubjiciuntur.

Annus Dni. DLXXXVI. Mauritii IV.

Levigildus Rex Wiſigothorum Arrianus Horminigildum filium ſuum ob fidem catholicam, quam Alexandro Epiſcopo perceperat in ſancta Dominica Paſchæ, ſecuri fecit occidi.

Annus Dni. DLXXXVII. Mauritii V.

Hilpericus filius Lotharii moritur.

Annus Dni. DLXXXVIII. Mauritii VI.

Hilpericus Lotharius Hilperici filius regnare cepit.

Annus Dni. DIXC. Mauritii VII.

Mauritius Imperator Childeberto Regi Francorum quinquaginta milia ſolidos miſit, petens, ut Longobardos de Italia exterminaret. Quo Italiam cum exercitu intrante, Longobardi munera tribuunt, & pacem cum eo faciunt. Imperator ſolidos requirit, ſed ille viribus ſuis fretus pro hac re nec reſponſum reddidit.

Annus Dni. DXC. Mauritii VIII.

Childebertus bellum contra Hiſpanos movit eosque ſuperavit: Cauſa autem belli hæc fuit: Childebertus Ingundam ſororem ſuam Herminildo Levigildi Regis Hiſpanorum filio in conjugium tradiderat. Quem cum idem pater ob fidem catholicam occidiſſet, Ingundis in Galliam redire voluit, ſed à pyratis capta, & in Siciliam deducta ibi moritur.

Annus Dni. DXCI. Mauritii IX.

Gothi Retaredo principe intercedente ad fidem catholicam revertuntur.

Annus

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 90;Leibn. Marg. 90, Stück 1, [110] - 90
PUBLIC DOMAIN

Annus Dni. DXCII. Mauritii X.

In Italia factum eſt diluvium, quale poſt tempus Noæ non creditur fuiſſe, quod ſubſecuta eſt per peſtem inguinariam magna mortalitas hominum, quæ primum percuſſit Papam Pelagium. Gregorius Levita ob eandem cladem Letaniam ſeptiformem inſtituit & paulo poſt annuente Imperatore Mauritio ad gradum Romani Pontificatus promotus eſt, cujus filium idem Gregorius antea de Baptiſmate ſuſcepit. Hic inter alia bona quæ fecit Antiphonarium regulariter compoſuit, Kyrieeleiſon & Alleluja ad miſſam decantari, & orationem Dominicam ſuper hoſtiam dici conſtituit. In Canone quoque ſuperaddidit: Diesque noſtros in pace tua diſponas &c.

Annus Dni. DXCIII. Mauritii XI.

Avares adverſus Romanos dimicantes auro magis quàm ferro pelluntur.

Annus Dni. DXCIV. Mauritii XII.

Mauritius Imperator Philippicum quendam prætorem orienti præfecit, cui & filiam ſuam Gordiam uxorem dedit, quem tamen poſtea regni uſurpatorem ſuſpectum habuit.

Annus Dni. DXCV. Mauritii XIII.

Mauritius iterato legationem ad Childibertum Regem miſit, rogans ut Longobardos ab Italia removeret. Qui exercitum in Italiam direxit, & commiſſa cum Longobardis pugna, Francorum exercitus terga vertit.

Annus Dni DXCVI. Mauritii XIII.

Gregorius Papa Auguſtinum, Mellitum, Johannem cum aliis pluribus monachis ad prædicandum Anglis Chriſti Evangelium miſit.

Annus Dni. DXCVII. Mauritii XIV.

Guntraminus Rex filius Lotharii moritur.

Annus Dni. DXCVIII. Mauritii XV.

Mauritius ad exercendam in Gregorium Papam tyrannidem exarſit, [quod] idem Gregorius regiam dignitatem minime reveritus, nimiam ejus avaritiam frequenter increparet.

Annus Dni. DXCIX. Mauritii XVI.

Hildebertus filius Sigeberti obiit.

Annus Dni. DC. Mauritii XVII.

Sanctus Goar veniens ex Aquitania claret in Gallia.

Annus Dni. DCI. Mauritii XIIX.

Vir quidam Monachico indutus habitu, ſpatam in dextera tenens à foro usque ad æneam gladiatoris ſtatuam diſcurrit, & Imperatorem gladio moriturum omnibus pronuntiavit, quod Mauritius audiens à tyrannide Gregorio inferenda ſe continuit. Recognoſcens etiam exceſſum, quem in captivatione multorum fecerat, multa enim prælia in diverſis regionibus præliatus, compoſitas ſcripſit preces eidem Gregorio, & ad omnes Patriarchales ſedes & ad monaſteria omnium civitatum ſive ſolitudinum cum cereis & tymiamatibus & pecuniis transmiſit & ut pro peccatis ſuis intercederent, ſupplicavit, hoc potiſſimum deprecans, ut hic & non in futuro quæ meruit reciperet.

Annus Dni. DCII. Mauritii XX.

Contentio inter Romanam Eccleſiam & Johannis Conſtantinopolitani Epiſcopi arrogantiam nomen ſibi univerſalis Patriarchæ uſurpantis ſub Pelagio concepta & à Gregorio non leniter ventilata, non ante quieſcere potuit, quam idem Johannes ſubita morte interiit. Unica Domini [an *tunica ?* an unica, hoc eſt *Veronica Domini* ſeu vera Icon, quamquidam ſudario impreſſam volunt] in Zaphat procul ab Jheruſalem in archa marmorea reperitur, quæ à Gregorio Antiocheno & Thoma Jheroſolimitano & Johanne Conſtantinopolitano, & aliis multis Epiſcopis Jheroſolimam reducta, poſita eſt in Eccleſia ubi crux Domini adoratur. Mauritius Imperator digna pœnitentia ſe aſtringens precibus & lacrimis indefeſſis à Deo poſtulabat, ut in hoc ſeculo peccatorum ſuorum pœnas ſolveret. Quadam autem nocte vidit in ſomnis apud æneam palatii portam ſe coram populo multo imagini Domini Salvatoris aſſiſtere, & vocem terribilem ex eadem imagine ſe audire dicentem. Date Mauritium; & tenentes eum judiciorum miniſtri poſuerunt eum apud purpureum umbilicum, qui illic erat. Cui eadem

[apposition in exemplari authentico vocabulum inconsutilis, quod hic vel non vidisti vel videre vox noluisti, satis splendit, de vestimenti genere, non vero de imagine hic sermonem esse.

vox imaginis ait : Ubi vis reddam mala quæ feciſti, hic an in futuro ſeculo ? At ille reſpondit : Amator hominum Domine, & judex juſte, hic mihi potius quam in futuro retribue, & juſſit divina vox eum & Conſtantiam uxorem ejus & filios & omnem cognationem ejus tradi Focæ militi. Evigilans autem Mauritius fecit vocari Philippicum generum ſuum, quem dudum ſuſpicabatur velle ſibi regnum ſurripere. At ille pro ſuſpitione prædicta ſe perdendum credens advocatæ ad ſe Gordiæ uxori ſuæ ultimum vale dixit, ſacramentoque communionis accepto veniens ad palatium, ad pedes Imperatoris procidit. Cui aſſurgens Imperator, ad pedes ejus nichilominus corruit dicens, ignoſce mihi rogo propter Deum, quia peccavi in te; nunc enim certiſſimè novi, quod nichil peccaveris in me. Si quem verò ſcias in exercitu noſtro qui Focas nominetur, dicito mihi, cui Philippicus ait : Unum ſcio ſic vocatum, qui nuper ab exercitu procurator poſitus tuo contradicebat imperio. Eſt enim juvenis temerarius, at tamen timidus. Et Mauritius ait : Si eſt timidus, & homicida; & narravit Philippico ſomnium quod vidit : Porro nocte illa viſa eſt cometa. In craſtinum verò venit Magiſteranus quem miſerat ad heremitas, ferens ab eis huſmodi reſponſum. Deus recepta pœnitentia tua ſalvabit animam tuam, & cum tota domo tua in numero ſanctorum te conſtituet, ab imperio verò cum ignominia diſcedes. His auditis Mauritius glorificavit Deum magnifice.

Annus Dni. DCIII. Mauritii XXI.

Mauritius Imperator pœnitentiam quidem tenuit, ſed avaritiam non deſeruit, adeo ut exercitum in periculoſis locis hyemare & victum ab extraneis juberet cum periculo quærere, ne videlicet alimenta publica miniſtraret, quod audiens exercitus in ſeditionem convertitur exaltatumque ſuper clypeum Focam Imperatorem proclamat exarchum. Commoto autem gravi tumultu Conſtantinopoli, Mauritius mutata veſte cum uxore & filiis noctu fugiens apud ſanctum Anthonion venit. At Focas in ſeptimum miliarium cum exercitu veniens Imperator efficitur, à quo Mauritius cum uxore & filiis penes Calcedonem miſſus decollatur.

collatur. Verum Mauritius patienter infelicitatem ſuſtinuit, Deum in omnibus invocans & crebrò pronuncians : Juſtus es Domine, & rectum judicium tuum. Fertur autem, quod eo occiſo lac cum ſanguine fluxerit, ita ut omnes inſpicientes dirè laniarentur.

Annus Dni. DCIV. Focæ I.

Focas quidam Priſci patritii quondam ſtrator, poſt ad militiam provectus, deinde à populo procurator factus. LII loco ab Auguſto Imperium invaſit & VIII annis regnavit.

Annus Dni. DCV. Focæ II.

Beatus Papa Gregorius migravit ad Deum.

Annus Dni. DCVI. Focæ III.

Savinianus Papa LXVII ann. I & menſ. V. Libros Gregorii Papæ Romanis exurere volentibus obſtitit Petrus Diaconus, prodens ſe Spiritum Sanctum ſpecie columbæ ſuper caput Gregorii tractantis ſedentem vidiſſe idque confirmans jurisjurandi ſacramento, mox moriens ex condicto fidem fecit ſuo teſtimonio.

Annus Dni. DCVII. Focæ IV.

Bonifacius Papa LXVIII ſedit ann. I. menſ. VIII. Hujus rogatu Focas conſtituit ſedem Romanæ Eccleſiæ caput eſſe omnium Eccleſiarum, qui antea Conſtantinopolitana Eccleſia ſe ſcribebat primam omnium.

Annus Dni. DCVIII. Focæ V.

Cosdroes Rex Perſarum adverſus rempublicam bella graviſſima gerens, multas Romanorum provincias & ipſam Jheroſolimam vaſtavit, Eccleſias vaſtavit, ſancta prophanavit, ornamenta omnia abſtulit, inter quæ etiam vexillum Dominicæ crucis abduxit.

Annus Dni. DCIX. Focæ VI.

Bonifacius Papa ſedit ann. VI. menſ. VIII, hujus rogatu *Focas* juſſit inverti phanon quod *Pantheon* vocabatur, ablatis idolorum ſordibus, Eccleſiam beatæ ſemper virginis Mariæ & omnium Sanctorum fieri, ut ubi quondam omnium dæmonum cultus agebatur, ibi deinceps omnium ſanctorum memoria coleretur.

Annus

Annus Dni. DCX. Focæ VII.

Alexandriæ Episcopus Johannes claruit, qui ob eximiam in Christum liberalitatem nomen Eleymonis id est Elemosinarii meruit.

Annus Dni. DCXI. Focæ VIII.

Focas Imperator cum homicidia aliaque mala multa fecisset, in populo præsens patritius gener ejus dolens pro his scripsit Heraclio patritio & prætori Africæ, ut filium suum Heraclium mitteret, quatenus contra Focam tyrannum veniret. Qui veniens pugnavit cum eo & vicit eum; vulgus autem apprehensum eum interfecit,& in igne apud taurum concremavit.

Annus Dni. DCXII. Focæ IX.

Heraclius LIII loco ab Augusto accepit imperium, regnavitque ann. XXVII coronaturque à Sergio Patriarcha, in oratorio sancti Stephani, quod est in palatio cum desponsata sibi Eudoxia, simulque acceperunt nuptiarum coronas, & in una eademque die Heraclius & Imperator & sponsus efficitur.

Annus Dni. DCXIII. Heraclii II.

Nascitur Heraclio filius de Eudoxia Heraclius minor, qui & Constantinus novus dictus est, & mortua est Augusta eodem anno.

Annus Dni. DCXIV. Heraclii III.

Heraclius Imperator incestè duxit Martinam *neptem* suam sororis suæ filiam, quæ coronata est in Augustam à Sergio Patriarcha hæretico. De qua suscepit filium Heracleonam.

Annus Dni. DCXV. Heraclii IV.

Anastasius Persa Monachus factus.

Annus Dni. DCXV. Heraclii V.

Deus dedit, Papa sedit annis III.

Annus Dni. DCXVI. Heraclii VI.

Lupus Senonensis Episcopus claret, cui aliquando Eucharistiam consecranti gemma de cœlo in calicem descendit.

Annus Dni. DCXVII. Heraclii VII.

Edwinus Rex Anglorum efficitur. Annus

Annus Dni. DCXVIII. Heraclii VIII.

Heraclius miſit in Perſidem legatos ad Cosdroem poſtulans pacem. Qui ſprevit eos dicens: Non parcam vobis donec crucifixum, quem Deum eſſe fatemini, abnegetis, & ſolem adoretis. Bonifacius Papa ſedit ann. V.

Annus Dni. DCXIX. Heraclii IX.

Chajanus Rex Avarum direxit aciem contra Thraciam, ſed miſſis ab Eraclio legatis fecit cum eo pacem.

Annus Dni. DCXX. Heraclii X.

Eleutherius patritius & exarchus invaſit imperium, ſed veniens Romam in caſtrum, quod dicitur Luccolis, ibidem à militibus Ravennatibus interfectus eſt, & caput ejus Conſtantinopoli ad Imperatorem transmiſſum eſt.

Annus Dni. DCXXI. Heraclii XI.

Anaſtaſius Monachus paſſus eſt. Hic natus in Perſide magicas à patre adhuc puer didicit artes, ſed ubi à captivis Chriſtianis Chriſti nomen acceperat, in eum toto animo converſus Jheroſolimis baptiſmum percepit, & quarto ab eadem civitate miliario monaſterium Abbatis Anaſtaſii intravit. Ubi VII annis regulariter vivens, dum Cæſaream Paleſtinæ orationis cauſa veniſſet, captus à Perſis & multa diu verbera paſſus inter carceres & vincula judice Marzobana, tandem mittitur ad Regem Cosdroæ, à quo tertio verberatus, ad extremum una manu per tres horas ſuſpenſus, ſicque decollatus, martyrium cum aliis LXX peregit. Cujus tunica Dæmoniacus quidam veſtitus mox curatus eſt.

Annus Dni. DCXXIII. Heraclii XII.

Heraclius Imperator contracta omni militia movit exercitum ſuum in Perſidem, multaque prælia committens cum diverſis ducibus per VI annos Perſidem devaſtavit, occiſoque Cosdroe VII anno Conſtantinopolim rediit.

Annus Dni. DCXXIV. Heraclii XIII.

Honorius Papa LXXII ſedit ann. XII.

Annus

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 90;Leibn. Marg. 90, Stück 1, [116] - 96
PUBLIC DOMAIN

Annus Dni. DCXXV. Heraclii XIV.

Desiderius Viennensis Episcopus consilio Brunehildis à Theoderico Rege lapidibus obrutus martirizatur.

Annus Dni. DCXXVI. Heraclii XV.

Mahumet apud Arabes & Sarracenos magnus habetur, adeo ut etiam Christus, qui ab eis exspectabatur, esse putaretur. Hic erat Pseudopropheta, natus de stirpe Hismael. Qui cum esset inops, seduxit quandam viduam divitem, tollensque eam uxorem habuit omnem substantiam ejus. Porro habebat passionem Epylepsiæ, id est morbum caducum. Quo comperto uxor ejus valde contristabatur, sed ipse eam consolabatur dicens: Visionem Angeli Gabrielis contemplor, cujus aspectum non ferens mente cado & deficio. Ipsa verò cum haberet quendam amicum propter infidelitatem suam ibi exulantem, indicavit ei verba viri sui & nomen Angeli. At ille volens ei placere, respondit, veritatem locutus est. Iste enim Angelus mittitur ad omnes Prophetas. Quæ credens ei prædicavit aliis mulieribus vicinis suis, Prophetam eum esse, & sic ex fæminis fama facta ad viros venit, & postea tantus habitus est, ut & vivus & post mortem pro Deo coleretur.

Annus Dni. DCXXVII. Heraclii XVI.

Reliquiæ beati Anastasii martiris primum monasterio suo, deinde Romam advectæ venerantur in monasterio sancti Pauli Apostoli, quod dicitur ad aquas silvias.

Annus Dni. DCXXIIX. Heraclii XVII.

Ysidorus Hispalensis doctrina claret.

Annus Dni. DCXXIX. Heraclii XIIX.

Heraclius Imperator interfecto Cosdroe Rege Persarum crucem Dominicam, quam ille Jerosolimis abstulerat, revexit Constantinopolim.

Annus Dni. DCXXIX. Heraclii XIX.

Heraclius crucem dominicam cum debita veneratione Jerosolimam reduxit, & exaltationis ejus celebritatem annuatim dedicavit.

Annus Dni. DCXXX. Heraclii XX.

Lotharius Hilperici filius moritur, relinquens ſucceſſorem filium ſuum Dagobertum.

Annus Dni. DCXXXI. Heraclii XXI.

Heraclius à Sergio Patriarcha & ab Anaſtaſio, quodam aliisque hæreticis circumventus in Euticianam lapſus hæreſin, & Mathematicus & Aſtrologus factus eſt.

Annus Dni. DCXXXII. Heraclii XXII.

Heraclius videns in aſtris, imperium ſuum à circumciſis gentibus eſſe vaſtandum, per omnes imperii ſui provincias Judæos baptizari præcepit.

Annus Dni. DCXXXIII. Heraclii XXIII.

Heraclius miſſis legatis ad Dagobertum Regem Francorum omnes regni ejus Judæos baptizari petiit & impetravit.

Annus Dni. DCXXXV. Heraclii XXIV.

Agareni qui & Sarraceni gens circumciſa provincias Heraclii vaſtant. Contra quos dum Heraclius dimicaret centum quinquaginta milia militum ejus Sarraceni interficiunt, & ſpolia eorum Heraclio remittunt. Quæ ille non recepit, ſed magis de ultione cogitavit.

Annus Dni. DCXXXVI. Heraclii XXV.

Heraclius portas Caſpias, quas Alexander magnus Macedo ſuper mare Caſpium fecit, & propter multitudinem ſæviſſimarum gentium ferrari juſſit, aperuit, indeque centum milia auro armata cum omnibus univerſarum provinciarum militibus contra Sarracenos in prælium miſit. Cumque in craſtinum eſſent præliaturi, ipſa nocte quinquaginta duo milia in caſtris Heraclii percuſſit Angelus Dei, unde videns Heraclius, ſe nequaquam poſſe reſiſtere, mærore coreptus factus eſt hydropicus.

Annus Dni. DCXXXVII. Heraclii XXVI.

Severinus Papa LXXIII ſedit menſes duos, Johannes Papa LXXIV ſedit ann. I. menſ. VIII.

Annus

Annus Dni. DCXXXVIII. Heraclii XXVII.

Heraclius Imperator hydropicus moritur.

Annus Dni. DCIXL. Conſtantini I.

Conſtantinus filius Heraclii & Eudoxiæ LIV loco ab Auguſto ſuſcepit imperium, qui cum regnaret menſes IV, à noverca ſuâ Martina & Pyrro patriarcha veneno necatur, ipſaque cum filio ſuo Heraclona dominatur.

Annus Dni. DCXL. Conſtantini II.

Sanctus Arnolfus ex majore domus Metenſium Epiſcopus, ex Epiſcopo ſolitarius, dormivit in Chriſto.

Annus Dni. DCXLI.

Senatus Conſtantinopolitanus & omnes populus indignatione juſta commotus, linguâ Martinæ & naſo Heraclonæ abſciſſo eos in exilium deſtinavit, Pyrrum quoque Patriarcham expulit, & Conſtantem filium Conſtantini nepotem Heraclii in imperium promovit.

Annus Dni. DCXLII. Conſtantis I.

Conſtans filius Conſtantini LV loco ab Auguſto regnavit ann. XXVIII.

Annus Dni. DCXLIII. Conſtantis II.

Oſwaldus Rex Nordanymbrorum à Penda Merciorum Rege peremtus, Rex & martyr migravit ad Dominum.

Annus Dni. DCXLIV. Conſtantis III.

Martianus Papa ſedit ann. VI.

Annus Dni. DCXLV. Conſtantis IV.

Dagobertus Rex filium ſuum Sigebertum regnaturum in Auſtriam miſit, Pippino & ſancto Cuniberto Colonienſi Epiſcopo.

Annus Dni. DCXLVI. Conſtantis V.

Paulus Patriarcha, Pyrri tam in hæreſi quam in cathedrâ Epiſcopali ſucceſſor, aperta perſecutione catholicos cruciat, apocriſiarios ſanctæ Romanæ Eccleſiæ ad correctionem ejus miſſos partim carceribus, partim exiliis, partim verberibus affecit.

Annus Dni. DCXLVII. Conſtantis VI.

Conſtans Imperator à Paulo deceptus expoſuit typum contra fidem Catholicam, nec unam nec duas voluntates aut operationes in Chriſto diffiniens eſſe confitendas, quaſi nihil velle vel operari credendus ſit Chriſtus.

Annus Dni. DCXLIIX. Conſtantis VII.

Sanctus Furſeus in Hibernia claruit, qui peregrinationem pro Chriſto aggreſſus in Galliis poſt aliquot annos quievit.

Annus Dni. DCXLIX. Conſtantis IIX.

Martinus Papa congregavit ſynodum C & X Epiſcoporum, in qua dampnavit Cyrum, Sergium, Pyrrum & Paulum.

Annus Dni. DCL. Conſtantis IX.

Conſtans Imperator furore repletus contra Papam Martinum, miſit Theodorum Exarchum Romam, qui abduxit ſanctiſſimum Papam Conſtantinopolim ad Imperatorem, qui etiam miſit eum in exilium apud Cerſonam civitatem. Eugenius Papa LXXVII, ſedit ann. II.

Annus Dni. DCLI. Conſtantis X.

Hitta Pippini relicta inſtinctu ſancti Amandi ſe & ſua Deo vovens monaſterium nyalenſe fundavit, eique filiam ſuam Gertrudem Deo dignam virginem præfecit.

Annus Dni. DCLII. Cnnſtantis XI.

Vitalinus Papa LXXIIX ſedit ann. XIV. Martinus Papa in exilio moritur.

Annus Dni. DCLIII. Conſtantis XII.

Peſtilentia graviſſima tribus menſibus graſſata eſt; viſibiliter cernentibus bonum & malum angelum noctu civitatem circuire, & quoties juſſu boni Angeli malus angelus venabulo, quod manu gerebat, oſtium cujuscunque domus percuſſiſſet, tot ex eadem domo ſequenti die interibant.

Annus Dni. DCLIV. Conſtantis XIII.

Conſtans Imperator permotus zelo Dei ſynodo convocata hæreſim

resim abdicavit, misitque beato Petro Apostolo Evangelia aurata gemmis albis miræ magnitudinis in circuitu ornata.

Annus Dni. DCLV. Constantis XIV.

Sarraceni capta Rhodo famosum ejus Colossum everterunt, ex cujus ære DCCCC cameli onerati sunt.

Annus Dni DCLVI. Constantis XV.

Rotario Longobardorum Rege mortuo Grimaldus vir strenuus regnum obtinuit.

Annus Dni. DCLVII. Constantis XVI.

Constans Imperator contra Longobardos egressus Beneventum intravit, omnesque civitates Longobardorum per quas venerat cepit, Luceriam ad solum prostravit.

Annus Dni. DCLVIII. Constantis XVII.

Imperator Beneventum cum omni exercitu circumdedit, ubi Rumaldus filius Grimaldi Regis se incluserat, acceptaque obside prædicti Rumaldi sorore soluta obsidione Neapolim proficiscitur.

Annus Dni. DCLIX. Constantis XIIX.

Dagobertus filius Clotharii cum Saxonibus dimicans graviter vulneratur.

Annus Dni. DCLX. Constantis XIX.

Imperator Romam proficiscitur, ubi à Vitelliano Papa cum sacerdotibus & omni populo Romano VI ab urbe miliario sibi occurrente honorifice susçipitur obtulitque super altare sancti Petri pallium auro textum toto exercitu cum cereis Ecclesiam intrante. Manens autem in urbe XII diebus omnia, quæ antiquitus instituta ex ære in ornamentum civitatis fuerant, deposuit, adeo ut etiam Ecclesiam beatæ Mariæ quæ Pantheon vocabatur, discooperiret tegulasque æreas inde aufferret.

Annus Dni. DCLXI. Constantis XX.

Imperator Siciliam ingressus, VI annos ibi deguit, ibique multas & inauditas deprædationes exercuit.

Annus Dni. DCLXII. Conſtantis XXI.

Imperator regnum Romam transferre voluit, quia odioſus factus fuerat Bizantiis, pro eo quod Martinum Papam exiliavit & maximi viri ſapientiſſimi linguam manumque truncavit, duosque Anaſtaſios diſcipulos ejus tormentis & exiliis tradidit, & multos orthodoxorum verberibus, proſcriptionibus, & exiliis dampnavit.

Annus Dni. DCLXIII. Conſtantis XXII.

Sarraceni Alexandriam & Ægyptum devaſtant.

Annus Dni. DCLXIV. Conſtantis XXIII.

Dagobertus filius Lotharii moritur.

Annus Dni. DCLXV. Conſtantis XXIV.

Sancta Gerthrudis obiit.

Annus Dni. DCLXVI. Conſtantis XXV.

Clodovæus filius Dagoberti regnum Patris ſuſcepit. A Deo datus Papa ſedit annis IV.

Annus Dni. DCLXVII. Conſtantis XXVI.

Sigebertus frater Clodovæi regnavit in Auſtraſia.

Annus Dni. DCLXIIX. Conſtantis XXVII.

Theodorus Archiepiſcopus in Angliam à Vitaliano Papa directus, habita Synodo multa Eccleſiæ utilia conſtituit; Scripſit enim *pœnitentialem librum* mirabili & diſcretione diſtinguens modum ſingularium culparum.

Annus Dni. DCLXIX. Conſtantis XXVIII.

Imperator quadam die balneum ingreſſus cum cæpiſſet *ſapone gallico* deliniri, Andreas quidam, qui illi obſequebatur, ſumens ſitulam dedit eam in vertice Imperatoris & ſtatim fugit. Quo mortuo, Mizetius quidam arripuit imperium. Filius autem Imperatoris audiens de patris obitu, cum multo navigio Siciliam intravit, & Mizetium cum occiſoribus Patris ſui necavit, ordinatisque heſperiis Conſtantinopolim rediit, & Romanis cum Tyberio & Heraclio imperavit.

Annus Dni. DCLXX. Conſtantini I.

Conſtantinus filius Conſtantis LVI loco ab Auguſto regnavit ann.

ann. XVII cum fratribus Tyberio & Heraclio. Domnus Papa ſedit ann. I.

Annus Dni. DCLXXI. Conſtantini II.

Agatho Papa LXXXI ſedit annos II, menſes VI, dies IV, & eo mortuo ceſſavit Epiſcopatus ann. I, menſes VII, dies V.

Annus Dni. DCLXXII. Conſtantini III.

Sarraceni cum multis navibus venientes Siciliam invadunt, Siracuſas ingrediuntur, multam ſtragem faciunt, aufferentesque prædam nimiam, Alexandriam reverſi ſunt.

Annus Dni. DCLXXIII. Conſtantini IV.

Agatho Papa miſit legatos ſuos Conſtantinopolim pro adunatione facienda ſanctarum Eccleſiarum, qui benigne ab Imperatore ſuſcepti, juſſi ſunt remiſſis diſputationibus Philoſophicis pacifico colloquio de fide vera perquirere, *datis eis de bibliotheca Conſtantinopolitana cunctis antiquorum patrum quos petebant libris*, collecta ſynodo CL Epiſcoporum, *præſidente Georgio ejus urbis Patriarcha* & Antiochiæ Machario, qui etiam convicti ſunt, quia unam aſtruebant in Chriſto voluntatem & operationem, falsâſſe patrum catholicorum dicta perplurima. Finito conflictu Georgius correctus eſt. Macharius verò cum ſuis ſequacibus, Cyro, Sergio, Pyrro & Paulo, anathematizatus eſt. Tanta autem gratia legatos Apoſtolicos comitata eſt, ut Johannes Portuenſis Epiſcopus, qui erat unus ex ipſis, in octava Paſchæ miſſas publicè in Eccleſia ſanctæ Sophiæ coram Imperatore & Patriarcha latinè celebraret.

Annus Dni. DCLXXIV. Conſtantini V.

Cuniohberto Rege Longobardorum mortuo inter proceres de regno magna fit diſſenſio. Plurimi occiduntur, nonnulli excæcantur, mulieres etiam quæ ſe reginas eſſe jactaverant naſo & auribus privantur. Tandem Heribertus Dux Taurinenſium regnum obtinuit.

Annus Dni. DCLXXV. Conſtantini VI.

Leo Papa LXXXII ſedit menſ. X, dies XVII & ceſſavit Epiſcopatus menſes XI, dies XXII.

Annus

Annus Dni. DCLXXVI. Conſtantini VII.

Inter Romanos & Sarracenos in XXX annos firmata eſt pax, ut ſolvant Sarraceni Romanis auri libras tria millia & viros captivos L & totidem equos nobiles.

Annus Dni. DCLXXVII. Conſtantini VIII.

Benedictus Papa ſedit menſes X, dies XII.

Annus Dni. DCLXXVIII. Conſtantini IX.

Johannes Papa ſedit annos . . . .

Annus Dni. DCLXXIX. Conſtantini X.

Chudbertus Linisfarnenſis Epiſcopus claret.

Annus Dni. DCLXXX. Conſtantini XI.

Conon Papa ſedit menſes XI.

Annus Dni. DCLXXXI. Conſtantini XII.

Clodovæus filius Dagoberti obiit, cui Lotharius ſucceſſit.

Annus Dni. DCLXXXII. Conſtantini XIII.

Sergius Papa ſedit ann. XIII.

Annus Dni. DCLXXXIII. Conſtantini XIV.

Sanctus Lampertus Trajectenſi Epiſcopatu ſucceſſit Theodardo.

Annus Dni. DCLXXXIV. Conſtantini XV.

Sancta Edildrudis virgo filia Annæ regis Anglorum primum alteri viro permagnifico, deinde Ekfrido Regi conjux data, poſtquam XII annis thorum virilem incorrupta ſervaſſet ſumpto velamine ſanctimonialis ex regina efficitur; nec mora, virginum mater & nutrix extitit, cujus merita teſtatur caro mortua, quæ poſt annos XVI ſepulturæ ſuæ cum veſte, qua involuta eſt, incorrupta reperta eſt.

Annus Dni. DCLXXXV. Conſtantini XVI.

Ravennas Eccleſia cenſura Imperatoris ſub ordinatione ſedis Apoſtolicæ reſtituta eſt, ſcilicet, ut qui in ea electus fuerit Epiſcopus Romam veniat ordinandus.

Annus Dni DLCXXXVI. Conſtantini XVII.

Conſtantinus Imperator obiit.

Annus

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 90;Leibn. Marg. 90, Stück 1, [124] - 104
PUBLIC DOMAIN

Annus Dni. DCLXXXVII. Juſtiniani I.

Juſtinianus Imperator filius Conſtantini LVII loco ab Auguſto regnavit annis X. Sanctus Kylianus cum ſociis ſuis paſſus eſt.

Annus Dni. DCLXXXVIII. Juſtiniani II.

Pipinus filius Anchiſi major domus efficitur in Gallia, regnumque Francorum amminiſtravit ann. XXVII, cujus etiam anni ſuorumque ſucceſſorum deinceps annotantur in cathalogo Regum.

Annus Dni. DCLXXXIX. Juſtiniani III.

Juſtinianus pacem firmam decennio fecit cum Sarracenis terra marique.

Annus Dni. DCXC. Juſtiniani V.

Provincia Africa ſubjugata eſt Romano imperio, quæ à Sarracenis fuerat tenta.

Annus Dni. DCXCI. Juſtiniani VI.

Clodoveus filius Theodorici fratris Dagoberti cum fratre Hildiberto regnare cepit.

Annus Dni. DCXCII. Juſtiniani VII.

Juſtinianus Imperator à Callinico Patriarcha exegit, ut orationem faceret ad deſtruendam Eccleſiam ſanctæ Mariæ juxta palatium ſitam, quæ metropolitæ dicebatur, volens ædificia facere, ubi à populo ſuſciperetur. Patriarcha verò dicebat: Orationem quidem ad ſtatuendam Eccleſiam habemus, ad deſtructionem verò Eccleſiæ orationem non ſuſcepimus. Cogente autem omnimodis Imperatore orationem dixit Patriarcha: Gloria Deo, qui jugiter ſuſtinens patitur nunc & ſemper, & in omnia ſecula ſeculorum Amen. Quo audito deſtruxit Eccleſiam. Alia quoque multa improvide faciens, odium populi in ſe excitavit.

Annus Dni. DCXCIII. Juſtiniani VIII.

Sanctus Remaclus Trajectenſis Epiſcopus migravit.

Annus Dni. DCXCV. Juſtiniani IX.

Willibrordus qui & Clemens à Sergio Papa gentium ordinatur Epiſcopus.

Annus Dni. DCXCVI. Juſtiniani X.

Leontius patritius quem Imperator quondam Prætorem & magiſtrum militum orientalium fecerat, ſed jam per tres annos in cuſtodia tenuerat, cum exinde protractus in exilium mitteretur, contra eundem Imperatorem ſenſit, junctisque ſibi multis, ipſum comprehendit, naſoque præciſo in inſulam quandam relegavit, ipſeque regnavit.

Annus Dni. DCXCVII. Leontii I.

Leo qui & Leontius LVIII loco ab Auguſto regnavit annis tribus.

Annus Dni. DCXCVIII. Leontii II.

Sanctus Sulpitius Bituriacenſis Epiſcopus claret.

Annus Dni. DCXCIX. Leontii III.

Leontio Imperatore apud Conſtantinopolim poſito venit Tyberius qui & Abſymarus ex adverſo civitatis, & prodita ſibi civitate Leontium cepit præciſoque naſo ejus in monaſterium Dalmat ſub cuſtodia conſtituit ipſeque regnavit.

Annus Dni. DCC. Tiberii I.

Tiberius qui & Abſymarus dictus eſt LVIII loco ab Auguſto imperium accepit & annos VII regnavit.

Annus Dni. DCCI. Tiberii II.

Gilulffus Dux Beneventum & Campaniam igne, gladio & captivitate vaſtavit.

Annus Dni. DCCII. Tiberii III.

Sanctus Lampertus Epiſcopus occiditur.

Annus Dni. DCCIII. Tiberii IV.

Ludovicus Rex corpus B. Dionyſiii diſcooperiens, minus religioſe, licet cupide os brachii ejus fregit & rapuit, confeſtimque ſtupefactus in amentiam incidit.

Annus Dni. DCCIV. Tiberii V.

Concilium Aquilejæ celebratur.

Annus Dni. DCCV. Tiberii VI.

In Gallia Audoenus Rotamagenſis, Eliginus Noviodunenſis Epiſcopi clari habentur.

Annus

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 90;Leibn. Marg. 90, Stück 1, [126] - 106
PUBLIC DOMAIN

Annus Dni. DCCVI. Tiberii VII.

Juſtinianus filius Conſtantini, quem ſuperius à Leone de regno expulſum diximus per adjutorium Terbellis Regis Bulgarum expugnata Conſtantinopoli regnum recepit, Abſymarus autem qui & Tiberius ex urbe profugit, ſed inſecutione captus & ad Juſtinianum eſt perductus. Adducto quoque Leontio, qui eum dejecerat, fecit ambos catenis aſtrictos, dum ludi equeſtres agerentur, per plateas trahi, tractosque publicè ante pedes ſuos, dum in ſolio reſideret, projici, calcavitque forſititer colla eorum univerſa plebe clamante : Super aſpidem & Baſiliſcum ambulaſti & Leonem Draconemque conculcaſti, ſicque eos præcepit decollari.

Annus Dni. DCCVII. Juſtiniani I.

Juſtinianus filius Conſtantini LIX ab Auguſto per auxilium Terbellis regnum recepit & VII annis regnavit. Recepto autem regno, multa dona & regalia vaſa Terbelli donavit, eumque in pace dimiſit. Innumerabilem quoque multitudinem eorum, qui contra eum ſenſerunt, diverſa morte fecit necari. Quia enim eum naſo detruncaverant, quotiens defluentem guttam reumatis deterſit, totiens penè aliquem ex illis jugulari præcepit.

Annus Dni. DCCVIII. Juſtiniani II.

Juſtiniano Imperatori natus eſt Filius ex Thedora Filia Chajani, quam acceperat dum eſſet in exilio, eumque vocavit Tyberium, coronavitque eum cum matre ſua & regnaverunt cum eo.

Annus Dni. DCCIX. Juſtiniani III.

Imperator Callinicum Patriarcham erutis ejus oculis Romam exiliavit, & pro eo Cyrum in Epiſcopatum promovit, qui fuit Abbas in Ponto, quique illum exulem alebat, & eum in Imperium reſtituendum prædicabat.

Annus Dni. DCCX. Juſtiniani IV.

Dagobertus junior regnare cæpit.

Annus Dni. DCCXI. Juſtiniani V.

Ansbrandus qui apud Bajoariam IX exulaverat annos, cum Bajoa-

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 90;Leibn. Marg. 90, Stück 1, [127] - 107
PUBLIC DOMAIN

Bajoaris Italiam venit, pugnansque cum Heriberto vicit eum, qui dum in Franciam fugere voluiſſet, Ticinum fluvium equo transnatare voluit, ſed quia auro gravatus erat aquis ſuffocatus, extinctus eſt. Ansbrandus regnumobtinuit tres tantum menſes, quo mortuo Luitbrandus filius ejus regnum ſuſcepit.

Annus Dni. DCCXII. Juſtiniani VI.

Juſtinianus miſit exercitum in Pontum ad comprehendendum Philippicum: Exercitus autem converſus ad Philippici partem, fecit eum ibidem Imperatorem reverſusque Conſtantinopolim pugnavit contra Juſtinianum miliario ab urbe XII victoque illo & occiſo accepit regnum Philippicus, Filius quoque Juſtiniani adhuc puer, ab his qui à Philippico præmiſſi fuerant occiſus eſt.

Annus Dni. DCCXIII. Philippici I.

Philippicus LX loco ab Auguſto regnavit annum I & menſes ſex. Hic antequam imperaret habuit quendam amicum Monachum incluſum, qui erat hæreticus, attamen prævisor; qui dixit ei: Imperium tuum eſt, hoc autem dico tibi, quia ſexta Synodus male acta eſt, hanc ſi abjeceris, erit imperium tuum forte & longævum. Qui cum juramento promiſit, ſe hoc eſſe facturum; cum ergo regnaret, fecit Synodum Pſeudo-Epiſcoporum & abjecit ſanctam & univerſalem ſextam Synodum. Eodem anno vanus ille incluſus oculorum cœcitatem incurrit; hic etiam Cyrum Conſtantinopolitanum Epiſcopum deponens ad monaſterium ſuum remiſit, & pro eo Johannem ſui erroris ſequacem conſtituit. Idem autem Philippicus in diſputationibus quidem rationabilis videbatur & prudens, in actibus autem inhoneſtè ac indigne vitam conſummans improbabilis ubique demonſtrabatur. Erat enim hæreticus & adulter, Sabbatho autem Pentecoſtes cum ingreſſus civitatem in equitatu & organis, lotusque in balneo publico, & habito prandio cum civibus antiquæ proſapiæ meridie requieſceret, repente per auream portam introivit Rufinus primus ſtratorum cum Theodoro patritio, feſtinansque in palatium & inveniens eum quieſcentem, eruit oculos ejus, in craſtinum verò, id eſt Pentecoſtes, diem congre-

congregato in magna Eccleſia populo coronatus eſt Artemius mutato nomine Anaſtaſius.

Annus Dni. DCCXIV. Anaſtaſii I.

Anaſtaſius LXI loco ab Auguſto imperium adeptus, regnavit annos III. Hic ſtatim ut regnum accepit, Conſtantino Papæ per Scholaſticum Patritium literas Romam miſit, quibus ſe fautorem & defenſorem Catholicæ fidei & ſexti concilii prædicatorem eſſe docuit.

Annus Dni. DCCXV. Anaſtaſii II.

Sanctus Ægidius veniens à Græcia ſanctitate claret in Gallia. Pipinus major domus obiit, cui filius ejus Carolus ſucceſſit. Dagobertus Rex Francorum obiit.

Annus Dni. DCCXVI. Anaſtaſii III.

Conjuraverunt quidam contra Anaſtaſium Imperatorem, & contra urbem Regiam cum exercitu aſcenderunt; cum autem ad Racmium adiſſent, & eſſent ſine capite, invenerunt illic hominem indigenam Theodoſium nomine, inertem ac idiotam, qui publicorum tributorum erat exceptor & hortati ſunt eum imperare. At ille fugiens latebat in monte, quem inventum ut Imperatorem laudibus extulerunt, vi cogentes eum, quibus Anaſtaſius cognitis in Nicæa ſe munivit. Theodoſius autem ſecutus magno prælio vicit eum, datoque ſibi Sacramento Clericum eum fieri, & poſtea Presbyterum fecit ordinari.

Annus Dni. DCCXVII. Theodoſii I.

Theodoſius à militibus electus LXII loco ab Auguſto regnavit ann. I. Leo quippe qui erat Prætor Orientis quoniam auxiliabatur Anaſtaſio, non erat ſubditus Theodoſio. Veniens Nicomediam apprehendit filium Theodoſii cum omni apparatu regio & primis viris palatii, & venit Chriſopolim, quod audiens Theodoſius per Germanum Patriarcham accepit à Leone indemnitatis verbum & Eccleſiæ ſine perturbatione ſervandæ, & ſic ei committunt imperium. Ipſe verò Theodoſius una cum filio Clericus factus reliquum vitæ ſuæ tempus transegit in pace.

Annus Dni. DCCXVIII. Leonis I.

Leo Prætor Orientis genere Syrus LXIII loco ab Auguſto regnavit annos XXIV. Erat autem in Chriſtianos & Eccleſias Dei ac religionem ſanctam impius.

Annus Dni. DCCXIX. Leonis II.

Leo Imperator à quodam nomine *Beſer* refuga fidei ſeductus, præcepit in Conſtantinopoli, ut quicunque haberent imagines Salvatoris ſeu ſanctæ genitricis ejus & aliorum Sanctorum ſibi eas afferrent, quas ille in medio civitatis fecit exuri, & quia multi de populo huic impietati non conſenſerunt, decollati ſunt.

Annus Dni. DCCXX. Leonis III.

Natus eſt Imperatori Filius de Maria uxore ſua, quem vocavit Conſtantinum. Qui dum baptizaretur à Germano Patriarcha in ſancto lavacro caccans magnum dat præſagium, quod futurus eſſet Eccleſiæ Dei ſcandalum.

Annus Dni. DCCXXI. Leonis IV.

Sarraceni Conſtantinopolim obſident & triennio ibi morantes multasque provincias devaſtantes tandem populo ad Dominum clamante fame peſteque depulſi ſunt, multique frigore, ferro, naufragioque perierunt. Intra Conſtantinopolin verò tempore obſidionis trecenta millia hominum peſtilentia perierunt.

Annus Dni. DCCXXII. Leonis V.

Luitprandus Rex Longobardorum audiens quod Sarraceni depopulata Sardinia & illa loca fœdâſſent, ubi aliquando propter devaſtationem barbarorum oſſa ſancti Auguſtini translata fuerant, miſit & adduxit ea per pretium Tycinum, ibique ut decuit honorifice recondidit.

Annus Dni. DCCXXIII. Leonis VI.

Leo Imperator coëgit Judæos & Montanos baptizari, ſed Judæi abluebant unctionem Chriſmatis, & poſt cibum communicabant Sacramentis & contaminabant fidem. Montani verò definientes ſibi diem introierunt domos errori ſuo deputatas, & incenderunt ſemetipſos.

Annus

Annus Dni. DCCXXIV. Leonis VII.

Judæus quidam maleficus promittens Gizit Sarracenorum Principi eum XL annis regnaturum, ſuadet, ut in toto Regno ſuo Dei Sanctorumque imagines deponi edicat : Qui ſpe diu regnandi ſeductus edictum quidem ponit, ſed ipſe tamen mox obiit.

Annus Dni. DCCXXV. Leonis VIII.

Sanctus Pirminius Epiſcopus Augiam intravit, eamque à ſerpentibus emundavit.

Annus Dni. DCCXXVI. Leonis IX.

Carolus Princeps cum Bajoariis pugnavit eosque vicit.

Annus Dni. DCCXXVII. Leonis X.

Carolus Sveviam ingreſſus contra Lantfridum dimicavit & ſibi eandem gentem ſubjecit.

Annus Dni. DCCXXVIII. Leonis XI.

Carolus Waſconiam ingreſſus Eudonem Ducem Aquitaniæ bello perdomuit.

Annus Dni. DCCXXIX. Leonis XII.

Sarraceni ex Hiſpania cum uxoribus & parvulis venientes Aquitaniam Galliæ provinciam quaſi in ea habitaturi intrant. Carolus autem cum Eudone Duce Aquitaniæ contra eos pari conſilio dimicaverunt. Nam irruentes Franci ſuper eos 375000 ex eis interfecerunt. Eudo quoque ſuper eorum caſtra irruens pari modo multos interficiens omnia devaſtavit: mille quingenti tantum ex Francis ceciderunt.

Annus Dni. DCCXXX. Leonis XIII.

Pirminius ex Augia venit in Alſatiam.

Annus Dni. DCCXXXI. Leonis XIV.

Germanus ſanctiſſimus Patriarcha videns impietatem Leonis abrenunciavit ſacerdotio. In cujus locum Anaſtaſium tantæ impietati conſentientem Leo conſtituit.

Beda venerabilis Anglorum presbyter obiit.

Annus Dni. DCCXXXII. Leonis XV.

Carolus filium ſuum Pipinum ad Luitprandum Regem Longobardorum

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 90;Leibn. Marg. 90, Stück 1, [131] - 111
PUBLIC DOMAIN

dorum pro tondenda ceſarie miſit, quod ille faciens pater ei effectus eſt, eumque cum multis donariis remiſit ad patrem.

Annus Dni. DCCXXXIII. Leonis XVI.

Carolus Friſiam vaſtat.

Annus Dni. DCCXXXIV. Leonis XVII.

Leo Imperator Filio ſuo Conſtantino filiam Chajani Scytharum Regis ſociavit, eamque Chriſtianam faciens Hyrenem nominavit. Quæ cum ſacras literas didiciſſet pietati operam dedit, & hos ſæpe impietatis redarguit.

Annus Dni. DCCXXXV. Leonis XIIX.

Carolus cum exercitu in Wiſtracha venit eamque ſuæ ditioni ſubjecit.

Annus Dni. DCCXXXVI. Leonis XIX.

Carolus iterum cum valida manu Waſconiam ingreſſus eſt, & Eudonem regno ſimul & vita privavit.

Annus Dni. DCCXXXVII. Leonis XX.

Carolus contra filios Eudonis dimicavit.

Annus Dni. DCCXXXVIII. Leonis XXI.

Sarracenorum exercitus rurſus in Galliam introiens multam devaſtationem fecit, contra quos Carolus non longe à Narbona bellum committens maxima eos cede proſtravit.

Annus Dni. DCCXXXIX. Leonis XXII.

Theodericus Rex Francorum obiit.

Annus Dni. DCCXL. Leonis XXIII.

Sarraceni Gallias rurſus ingreſſi, Arelaten ceperunt & omnia circumquaque demoliti ſunt. Tunc Carolus miſit ad Luitprandum Regem, petens auxilium, qui & venit cum omni exercitu Longobardorum, quod Sarraceni mox ut audirent, fuga elapſi ſunt.

Annus Dni. DCCXLI. Leonis XXIV.

Leo Imperator impius obiit.

Annus Dni. DCCXLII. Conſtantini I.

Conſtantinus filius Leonis LXIV loco regnavit ann. 34. Hic erat pernicio-

niciosissimus, ferus, agrestis, Anti-Christi præcursor, legum persecutor, tyrannice non legitime regnans, à Deo ejusque genitrice & ab omnibus sanctis abscedens, magicis maleficiis, luxuriis & sacrificiis, & invocationibus Dæmonum, molliciebus quoque ac omnibus animam corrumpentibus à primæva ætate delectatus, persecutionibus etiam Ecclesiarum, peremtionibus Monachorum, violationibus monasteriorum malisque variis supercrescens, non minus quam Decius & Diocletianus cæterique antiqui Tyranni.

Carolus Pipini filius major domus regni Francorum, *qui dictus erat bellicosus*, moritur, relinquens tres filios, Pipinum, Carolomannum & Gryphonem. Quorum Grypho, qui minor natu erat, à matre suâ nomine Svanhilda, quæ erat neptis Odilonis Bajoariorum Ducis ad spem totius regni incitatus, sine dilatione Laudunum civitatem occupavit & fratribus bellum indixit. Qui celeriter cum exercitu Laudunum obsidentes, fratrem in deditionem accipiunt, quem etiam donec provincias, quæ à societate Francorum defecerant, revocarent, ne quid interim mali in regno moliretur, in novo Castello juxta Arvernum custodiæ manciparunt.

Annus Dni. DCCXLIII. Constantini II.

Pipinus & Carolomannus principatu potiti, primò Aquitaniam contra Hunoldum ejusdem provinciæ Ducem ingrediuntur, & capto castello quod dicitur Lucas in eadem provincia in loco qui vetus Pictavis vocatur regnum quod communiter habuerant inter se divisérunt, & Carolomannus Austriam, Alamanniam & Thuringiam sortitur. Pipinus verò Burgundiam, Neustriam atque Provinciam, sicque Carolomannus usque in annum sextum, Pipinus usque in undecimum principabantur.

Annus Dni. DCCXLIV. Constantini III.

Carolomannus & Pipinus contra Odilonem Ducem Bajoariorum profecti sunt prælioque commisso exercitum ejus fuderunt. Unde reversi Carolomannus cum suis Saxoniam profectus est, cepitque castrum

ſtrum quod dicitur *Hochſeoburg* & *Theodoricum Saxonem illius loci primarium* in deditionem accepit.

Annus Dni. DCCXLV. Conſtantini IV.

Fuldenſe Monaſterium inchoatur.

Annus Dni. DCCXLVI. Conſtantini V.

Carolomannus patefecit fratri ſuo Pipino ſe velle pro regno cœleſti regnum terrenum dimittere, & in habitu Monachico Deo ſervire, unde nullam expeditionem hoc anno facientes, præparavit ſe uterque, Carolomannus ut votum ſuum perficeret, Pipinus ut eum cum donis regalibus honorifice dimitteret.

Annus Dni. DCCXLVII. Conſtantini VI.

Carolomannus divino ſuccenſus amore Romam venit & à Zacharia Papa Clericus factus, conſtructo monaſterio in monte Sirapti [Soracte] in honore ſancti Silveſtri cum aliis ſecum ad hoc venientibus Monachicum habitum ſuſcepit, & dignos habitui actus per cuncta exercuit. Rachis quoque Rex Longobardorum, dum Romam inquietare nititur, prædicti Papæ inſtinctu non ſolum à malo reprimitur, ſed etiam cum uxore & filiis Romam veniens Monachus efficitur.

Annus Dni. DCCXLVIII. Conſtantini VII.

Gripho fratri ſuo Pipino ſubjectus eſſe nolens, quamvis ſub illo honorifice viveret, in Saxoniam profugit collectoque exercitu ſuper *fluvium Ovachra*, in loco Orheim conſedit. Pipinus verò cum exercitu Francorum per Thyringiam in Saxoniam ingreſſus contra illum in loco *Schaningi* dicto caſtra poſuit, prælium tamen non commiſerunt, ſed ex placito diſceſſerunt.

Annus Dni. DCCXLIX. Conſtantini VIII.

Gripho cum copiis ſuis de Saxonia egreſſus Bajoariam petiit, ipſumque Ducatum in ſuam poteſtatem redegit, Thaſſilonem Ducem cum Hiltrude in deditionem accepit. Quod audiens Pipinus cum maximo exercitu Bajoariam venit, Griphonem cum omnibus ſuis cepit, Taſſilonem in ducatum reſtituit, domumque reverſus Griphoni *more*

Ducum

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 90;Leibn. Marg. 90, Stück 1, [134] - 114
PUBLIC DOMAIN

Ducum XII Comitatus dedit, ſed ille tali beneficio non contentus eodem anno ad Waifridum Aquitaniæ Ducem profugit.

Annus Dni. DCCL. Conſtantini IX.

Sanctus Burchardus Wirziburgenſis Epiſcopus & Folradus Archicapellanus ad Zachariam Papam Romam miſi ſunt, ut conſulerent eum ſuper Regibus Francorum, qui tempore illo tantum nomen Regis ſed nullam poteſtatem regiam habebant. Solebant enim Franci ex antiqua regum ſtirpe reges habere, qui à Meroveo Clodii ſecundi eorum regis filio Merovingi dicebantur, quorum Genealogia usque ad Hildericum tunc temporis Regem permanebat, in quo etiam licet videretur eſſe finita, jam dudum tamen nullius vigoris erat, nec quicquam in ſe clarum præter inane Regis vocabulum præferebat: Nam & opes & potentia regni penes palatii præfectos, qui majores domus dicebantur, tenebantur, nec quicquam Regi permittebatur, niſi ut regio tantum nomine contentus crine profuſo, barba ſummiſſa ſolio reſideret, & ſpeciem dominantis oſtenderet, legatos undecunque venientes audiret, eisque abeuntibus reſponſa quæ doctus erat aut juſſus velut ex ſua poteſtate redderet, cum præter regis nomen & precarium vitæ ſtipendium, quod ei major domus, prout videbatur, exhibebat, nihil poſſideret, quam unam perparvam reditus villam, in quam domum & ex qua famulos neceſſaria ſibi miniſtrantes haberet; quocunque eundum erat, carpento ibat, quod junctis bobus, & bubulco more ruſtico agente trahebatur. Sic ad palatium, ſic ad *publicum conventum, qui Kal. Maji ob regni utilitatem annuatim celebrabatur*, ire ſolebat & coram tota gente præſidens omnes ſalutans & ab eis dignis obſequiis honoratus, ſic domum redibat, ibique usque ad alterius anni Majum reſidebat: At omnia regni negotia domi & foris agenda publica & privata major domus procurabat, quo officio cum præfati legati Romam mittebantur, Pipinus Caroli filius velut hæreditario jure fungebatur. Zacharias verò Papa ſuper hoc negotio conſultus remandavit, melius eſſe illum vocari regem, apud quem ſumma poteſtatis conſiſteret, dataque ſua auctoritate Pipinum Regem conſtitui juſſit.

Annus

Annus Dni. DCCLI. Conſtantini X.

Pipinus more Francorum electus ad regnum per manus ſancti Bonifacii Mogontini Archi-Epiſcopi elevatus eſt in regni ſolium in Sueſſionum civitate. At Hildericus antea Rex tonſus & in monaſterium eſt truſus.

Annus Dni. DCCLII. Conſtantini XI.

Carolomannus Monachus propter eos, qui frequenter de Francia Romam ex voto veniebant eumque tanquam dominum ſuum præterire nolentes crebris ſalutationibus à ſua quiete perturbabant, locum mutare compulſus, nocte cunctis ignorantibus cum uno tantum ſocio, quem ab infantia ſibi in omnibus fidelem probaverat, auffugit & ad Caſſinum montem usque pervenit. Ubi portam Monaſterii ex more pulſans, cum Patris Monaſterii colloquium expetiſſet & impetrâſſet, mox in terram ad pedes ejus corruit, ſe homicidam eſſe, ſe reum omnium criminum proteſtans, miſericordiam expoſcit, pœnitentiæ locum exquirit. Quid multa? In cellam Novitiorum cum ſuo collega ſuſcipitur, & ſecundum regulam probatur, tantoque artius quanto barbaræ & ignotæ gentis homo erat, tandemque poſt anni circulum congregationi ſociatur. Cumque irreprehenſibiliter inter fratres converſaretur, omnibusque polleret virtutibus, exigente ordine congregationis cum ſuo collega ad coquinæ officium deputatus, gratanter officium ſuſcepit, ſed cum in multis utpote Rex & ſervilis officii inſuetus delinqueret, coquus vino exæſtuans ei alapam dedit dicens: Ita te fratribus deſervire oportet. Cui ille placido vultu reſpondit. Indulgeat tibi, frater, Dominus & Carolomannus. Neque enim nomen ſuum cuiquam prodiderat, ne ex vocabulo agnoſceretur, cumque rurſus deliquiſſet, & à coquo ſecundo percuſſus eademque & prius reſpondiſſet, tertioque nihilominus crudeliter cæderetur, indignatus ille comes peregrinationis ſuæ, quod tantus vir à tam vili perſona tam contumeliosè afficeretur, jam ferre non valens, arripuit pilum unde panis in olera fratrum mittendus conterebatur, & eum omni anniſu percuſſit dicens, Nec tibi Deus parcat, ſerve nequam, nec Carolomannus indulgeat.

Quo

Quo audito fratres commoti, quod alienigena & pro misericordia receptus talia facere præsumsisset, absque mora eum custodiæ mancipaverunt. In crastinum productus de custodia in medio conventu interrogatus cur extendere manus præsumsisset in ministrum fratrum, respondit, quia inquit vidi servum omnibus nequiorem non solum verbis, sed etiam verberibus dehonestare virum meliorem & nobiliorem omnibus quos terra conservat. Illi verò indignatione repleti, quod hominem peregrinum tanta laude ceteris prætulisset, interrogant, quis esset ille tantæ nobilitatis & bonitatis, cui nec patrem Mosasterii præferre voluisset. Tunc ille necessitate compulsus, iste est, ait, Carolomannus quondam Rex Francorum, qui pro Christi amore regnum & gloriam mundi reliquit, ac se tantum humiliavit, ut modo à vilissimo servo non solum contumeliis, sed & verberibus afflictus sit. Quo audito tremefacti pedibus ejus se prosternunt, veniam de contemtu postulantes. Ille econtra in terram provolutus cum lacrymis negare cepit, dicens, non se esse Carolomannum sed hominem peccatorem & homicidam, collegam suum timore impulsum ut pœnas delicti sui evaderet hæc confinxisse. Quid plura? cognitus ab omnibus, cum magna reverentia est observatus.

Annus Dni. DCCLIII. Constantini XII.

Constantinus Imperator Constantinopoli synodum congregat trecentorum & triginta Episcoporum, in qua imagines Dei & Sanctorum ejus deponi constituit & contra catholicos tyrannidem exercuit.

Annus Dni. DCCLIV. Constantini XIII.

Pipinus manu valida Saxoniam ingressus Saxones, licet obstinatissime resistentes, vicit, & ipse usque ad locum qui dicitur *Rimie* juxta fluvium Wisaram accessit, in qua expeditione Hildegarius Episcopus occisus est in monte qui dicitur Luburg. Inde revertenti Regi nunciatur frater suus Grypho esse occisus. Stephanus Papa ad Pipinum Regem venit in villa Carisius dicta, petens auxilium contra infestatorem Romanæ Ecclesiæ Haistulffum Longobardorum Regem, venit & Carolomannus frater Regis, ut apud fratrem precibus Papæ obsisteret, invitus tamen

tamen hoc feciſſe putatur, quia nec ille juſſa Abbatis contemnere, nec Abbas ſuus præceptis Regis Longobardorum, qui ei hoc imperavit, audebat reſiſtere : Pontifex verò poſtquam à Rege Pipino pro ſanctæ Romanæ Eccleſiæ defenſione firmitatem accepit, ipſum ſacræ unctionis oleo in Regem confirmavit, & cum eo duos filios ejus Carolum & Carlomannum cum matre eorum Berthrada, *Francorumq; proceres una cum populo auctoritate beati Petri obligavit & proteſtatus eſt, ut nunquam ipſi, vel quiq; ex eorum progenie per ſuccedentium temporum curricula progeniti, de alia ſtirpe regem ponerent,* niſi ex eorum propagine quos divina providentia tunc in defenſionem Eccleſiæ dignata eſt ſublimare.

Annus Dni. DCCLV. Conſtantini XIV.

Pipinus Rex Francorum propter juſtitiam beati Petri Apoſtoli exigendam à Rege Longobardorum Italiam intravit, Haiſtulffus verò Rex apud Papiam ſe incluſit, quem Pipinus tamdiu obſedit, donec profacienda Romanæ Eccleſiæ juſtitia obſides XL recepit, quibus datis Pipinus Stephanum Papam cum Volrado capellano & valida Francorum manu Romam remiſit, Carlomannus autem frater Regis cum Berthrada regina in Vienna civitate remanſit, correptusq; febre obiit, cujus corpus juſſu Regis ad montem Caſſinum relatum eſt. Sanctus Bonifacius paſſus eſt IV Junii.

Annus Dni. DCCLVI. Conſtantini XV.

Haiſtulffus Rex Longobardorum cum nihil eorum, quæ datis obſidibus & facto juramento promiſerat, compleſſet, Pipinus iterum Italiam ingreſſus eum in Papia obſedit, & ad complenda quæ promiſerat coëgit, redditamque ſibi Ravennam pertinentem ſancto Petro dedit: Cumque in Galliam rediſſet & Haiſtulffus ea quæ promiſerat denuo violare meditaretur, in venatione de equo ſuo prolapſus ex eodem caſu inter paucos dies vitam finivit, cui Deſiderius ſucceſſit.

Annus Dni. DCCLVII. Conſtantini XVI.

Conſtantinus Imperator miſit Pipino munera, inter quæ & Organum, quæ ad eum in compendio villa pervenerunt, ubi tunc ille generale

rale concilium & conventum habuit, illuc & Taſſilo Dux Bajoariorum cum primoribus gentis ſuæ venit fidelitatemque tam ipſi Pipino quam filiis ejus Carolo & Carlomanno ſuper corpus ſancti Dionyſii promiſit.

Annus Dni. DCCLVIII. Conſtantini XVII.

Pipinus valida manu Saxoniam ingreſſus eſt, & quamvis Saxonibus validiſſime reſiſtentibus & ſe *munitionibus* tuentibus pulſis propugnatoribus prælio per ipſum vallum, quo patriam defendere conabantur, intravit, commiſſoque prælio victor extitit, promiſeruntque annis ſingulis trecentos equos ſe honoris cauſa daturos.

Annus Dni. DCCLIX. Conſtantini XIIX.

Sanctus Geangolffus in Burgundia à quodam Clerico occiſus eſt, pro uxoris ſuæ ſibi adamato adulterio.

Annus Dni DCCLX. Conſtantini XIX.

Waifrius Dux Aquitaniæ, cum res Eccleſiarum quæ in ſua poteſtate erant, & ad Eccleſias quæ ſub manu Pipini Regis conſtitutas pertinebant reddere noluiſſet, ipſumque Regem pro his per legatos ſuos commonentem contra ſe ad bellum incitaſſet, ille collectis undique copiis Aquitaniam intravit, cumque in Tedoad dicta poſitis caſtris conſediſſet; Waifrius bello concertare non auſus, miſsâ legatione ad Regem promiſit ſe Eccleſiarum juſtitias redditurum, dans & obſides duos de primoribus gentis ſuæ, Adalgarium & Itherium.

Annus Dni. DCCLXI. Conſtantini XX.

Waifrius bellum ſibi illatum ulciſci volens exercitum, qui Francorum poſſeſſiones popularentur, usque ad Cabillonem civitatem fecit accedere. Quod cum Pipino generalem conventum agenti in villa Duria nunciatum fuiſſet, cum magno belli apparatu Aquitaniam ingreſſus, omnia ferro & igne vaſtavit, quædamque oppida vi, quædam verò ſpontanea deditione cepit.

Annus Dni. DCCLXII. Conſtantini XXI.

Pipinus Rex ſuſcepto bello finem imponere cupiens tertio Aquitaniam intravit, captisque Biturica civitate & caſtello *Toarcis* reverſus hiemavit in villa Gentiliaco.

Annus

Annus Dni. DCCLXIII. Constantini XXII.

Pipinus Aquitaniam quarto intravit, cunctaque extra munitiones usque ad oppidum Cadurciam vastavit. Tassilo Dux Bajoariorum postponens Sacramenta quæ juraverat, & oblitus bona, quæ sibi suus avunculus Pipinus Rex fecerat, simulata infirmitate ab hac expeditione per dolum se subduxit & in Bajoariam reversus firmatoque ad defensionem animo ad conspectum Regis se ulterius venturum abjuravit.

Annus Dni. DCCLXIV. Constantini XXIII.

Pipinus Rex distracto in diverso animo propter duo bella Aquitanicum scilicet jam olim susceptum, & Bajoaricum propter Tassilonis Ducis defensionem suscipiendum, conventum in Wormatia habuit dilataque in futurum expeditione hoc anno se domi continuit.

Annus Dni. DCCLXV. Constantini XXIV.

Pipinus generalem conventum in Atiniaco villa habuit, sed & hoc anno expeditionem nusquam movit. Corpora Sanctorum, Gorgonii, Naboris & Nazarii, de Roma translata sunt in Franciam.

Annus Dni. DCCLXVI. Constantini XXV.

Pipinus Aquitaniam quinto ingressus destructum à Waifrio Argentomagum castrum reædificavit & ipsam civitatem Bituricam præsidio munivit.

Annus Dni. DCCLXVII. Constantini XXVI.

Constantinus Imperator & Abdellas Rex Sarracenorum pari vesania in orthodoxos desæviunt, multosque pro Christo perimunt. Constantinus insuper ægre ferens gloriam Sanctorum miraculis coruscantium Lipsana eorum ubique jubet effodi, & in profundum jactari. Pipinus Aquitaniam sexto ingressus est, multisque castellis & pagis captis, Viennam revertitur, ibique exercitu recreato mens. Aug. ad reliquias belli profectus est, multaque castella & petras atque speluncas, in quibus se hostium plurima multitudo defendebat, cepit.

Annus Dni. DCCLXIIX. Constantini XXVII.

Pipinus rursus contra Aquitaniam evocato exercitu Santonicam civitatem contendit, captoque in itinere Rimisteino cum ad urbem præ-

prædictam veniſſet mater & ſoror & neptes Waifrii Ducis, ad eum adductæ ſunt, inde ad Garonnam proficiſcitur, ubi ei Herwingus cum alia præfati Ducis ſorore occurrit ſeſeque & illam regi tradidit. Rebus igitur aliquot proſpere geſtis Rex revertitur, celebravitque paſcha in caſtro quod dicitur Sels, aſſumtaque ſecum uxore ſua iterum ad urbem Santonicam venit, dimiſsâque ibi Regina cum omnibus copiis ad perſequendum Waifrium animum intendit, nec prius deſiſtere quam vivum caperet aut bellantem interficeret. Quo interfecto in territorio petragorico Santonas reverſus, ibi aliquamdiu ægritudine decubuit, delatus tamen Turonum ad Sancti Martini memoriam oravit, indeque Pariſium veniens VIII Kal. Octob. obiit, ſepeliturque in Baſilica ſancti Dionyſii : Filii verò ejus Carolus & Carlomannus omnium Francorum conſenſu Reges creati ſunt, ea conditione, ut totum regnum ex æquo partirentur, & Carolus eam partem quam Pater ejus Pipinus tenuerat, Carlomannus verò eam, quam patruus eorum Carlomannus poſſedit, ſuſciperet, & Carolus VII Id. Octob. in Noviomo civitate, Carlomannus verò in Sueſſiona regni ſuſciperet inſignia.

Annus Dni. DCCLXIX. Conſtantini XVIII.

Carolus magnus Pipini filius XLVI annos regnavit, III cum fratre Carlomanno, XLIII ſolus poſtea. Hunoldus quidam Aquitaniam quæ in ſortem Caroli ceſſerat invaſit, contra quem Carolus profectus fratris auxilium poſtulavit, ſed impedientibus malis hominibus habere non potuit, ad proſequendum tamen Hunoldum profectus eſt, eumque ad Lupum Waſconiæ Ducem fugitivum miſſa legatione recepit cum uxore ſua ipſoque Lupo cum tota Waſconia ſibi obediente regreſſus eſt.

Annus Dni. DCCLXX. Conſtantini XIX.

Corpus Sancti Othmari in inſula, qua defunctus eſt, poſt X annos incorruptum reperitur, ablatumque in baſilica ſancti Galli ſepelitur.

Annus Dni. DCCLXXI. Conſtantini XX.

Carlomannus in villa Salmoviaco moritur, & Carolus ad capiendum ex integro regnum, Narbonacum villam venit, ibique Williharius Epiſco-

Epiſcopus Sedunenſis & Volradus Presbyter, aliique plures ſacerdotes, Comites & primates fratris ſui ad eum venerunt, uxor verò Carlomanni cum filiis & parte optimatum ad Italiam profecta eſt.

Annus Dni. DCCLXXII. Conſtantini XXI.

Carolus Rex congregato Wormatiæ generali conventu, Saxoniam bello aggredi ſtatuit eamque ſine morâ ingreſſus cuncta ferro & igne depopulatus, Eresburg caſtrum cepit, Idolum quod à Saxonibus Hirmenſul dicebatur evertit, in cujus deſtructione cum in eodem loco per triduum moraretur, propter continuam cœli ſerenitatem exſiccatis omnibus illius loci rivis & fontibus, aquam ad bibendum invenire non potuit, ſed ſubito divinitus, ut creditur, in cujusdam torrentis concavo tanta vis aquæ eruperat, quieſcentibus cunctis meridiano tempore, ut omni exercitui ſufficeret. Tunc Rex Idolo deſtructo Wiſaram fluvium acceſſit, ibique acceptis à Saxonibus XII obſidibus receſſit.

Annus Dni. DCCLXXIII. Conſtantini XXII.

Adrianus Papa inſolentiam Deſiderii Regis Longobardorum ferre non valens Caroli expetivit auxilium. Qui collecto exercitu veniens, Deſiderium intra Ticinum obſedit totumque hybernum tempus multa moliendo in hac obſidione conſumſit. Interim verò Saxones nacta occaſione pro abſentia Regis contiguos ſibi Haſſorum terminos populantur, venientesque in locum qui Fridislar nominatur, Eccleſiam quam beatus Bonifacius martyr dedicaverat, & nunquam incendio perituram prædixerat, incendere moliti ſunt. Cumque multa vi eam incendere molirentur, apparuerunt quibusdam Chriſtianis atque Paganis duo juvenes in albis, qui ab igne eam prætexêre nutuque divino immiſſo terrore omnes in fugam verſi ſunt. Inventus eſt autem poſtea unus ex eisdem Saxonibus mortuus juxta Eccleſiam genibus flexis, ligna & ignem habens in manibus & quaſi ore flans, ut illa incenderet, ac Carolus fatigatum longa obſidione Ticinum ad deditionem compulit, quam cæteræ civitates ſecutæ regiæ poteſtati ſe ſubdiderunt.

Sic

Sic ſubacta & ordinatâ pro tempore Italia in Franciam revertitur captivum ducens ſecum Deſiderium Regem.

Annus Dni. DCCLXXIV. Conſtantini XXIII.

Carolus tripartitum exercitum in Saxoniam miſit, qui direptionibus & incendiis cuncta vaſtantes, compluribus qui reſiſtere conati ſunt interfectis cum ingenti præda reverſi ſunt.

Annus Dni. DCCLXXV. Conſtantini XXIV.

Conſtantinus Imperator filius Leonis, perſecutor Chriſtianorum & Eccleſiarum legisque deſtructor, plaga peſſimi incendii divinitus percutitur & clamans adhuc vivus, igni ſum inextinguibili traditus, miſerabiliter moritur.

Annus Dni DCCLXXVI. Leonis I.

Leo filius Conſtantini LXV loco ab Auguſto regnavit annos V. Hic primo viſus eſt eſſe pius, ac monachorum amicus, unde & metropolitanos ex Monachis in primis ſedibus collocavit multosque ordines in urbe bene ampliavit, quapropter principes omnes una cum populo petierunt filium ejus Conſtantinum Imperatorem, juraveruntque omnes ſe non admiſſuros alios Imperatores præter Leonem & Conſtantinum, & ex ſemine ipſorum, & hoc ſcripto confirmaverunt, & ſic in ſancto die Paſchæ coronatus eſt Imperator.

Annus Dni. DCCLXXVII. Leonis II.

Carolus iterum Saxoniam intravit omnesque fallaciter devotos invenit. Cuncti quippe ad eum venerunt præter Widikindum unum ex primoribus Weſtfalorum, qui multorum ſibi conſcius facinorum timuit regem, & ad Sigifridum Regem Danorum cum paucis profugit. Cæteri qui venerant ea conditione veniam obtinuerunt, quatenus ſi ulterius ſua ſtatuta violarent, patria & libertate privarentur. Baptizata eſt autem & multitudo magna, quæ, licet falſo, Chriſtianam ſe fore promiſerat.

Annus Dni. DCCLXXIIX. Leonis III.

Carolus Hiſpaniam petens quasdam urbes ſubegit, obſides à Sarracenis accepit, ſed in regreſſu plerique aulicorum per inſidias Waſconum

num occiſi ſunt, interea Saxones comperto quod tam longe receſſiſſet, ſumtis armis Renum usque profecti, quicquid à Tuicio civitate usque ad fluvium Moſellam vicorum villarumque fuit, ferro & igne populati ſunt; nullum diſcrimen ſexus aut ætatis ira hoſtis fecerat, ut liquido pateret eos non prædandi, ſed ulciſcendi ſe cauſa terminos Francorum introiſſe. Quod cum Rex Autiſiodoro poſitus audiſſet, Orientales Francos & Alamannos ad propulſandos eos miſit, quorum adventum Saxones audientes receſſerunt, ſed illi è veſtigio ſecuti invenerunt eos in partibus Haſſorum ſuper fluvium Adernam, ſtatimque in ipſo fluminum vado illos adorti tanta cæde proſtraverunt, & ex ingenti multitudine vix pauci redierint.

Annus Dni. DCCLXXIX. Leonis IV.

Venit ad Carolum Hildibrandus Dux Spoletanus cum magnis muneribus in villa Wircimaco, quem ille benignè ſuſcepit donatumque in ſuum ducatum remiſit.

Annus Dni. DCCLXXX. Leonis V.

Carolo Saxoniam venienti omnes orientalium partium Saxones occurrerunt multique de populo baptizati ſunt, veniensque in locum ubi Hora & Albia confluunt, ordinavit res tam Saxonum quam Sclavorum reverſusque in Franciam, Romam cauſa orationis cum uxore ſua Hildegarda & liberis perrexit, & natale Domini Papiæ celebravit: Leo Imperator obit.

Annus Dni. DCCLXXXI. Conſtantini I.

Conſtantinus filius Leonis LXVI loco ab Auguſto cum matre ſua Irene regnavit annos XVII. Carolus Romam veniens ab Adriano Papa honorificè ſuſcipitur, & cum ibi paſcha celebraret, baptizavit idem Pontifex filium ejus Pipinum, eumque de ſacro fonte ſuſcepit, & eum in Regem Italiæ, fratrem verò ejus Ludovicum in Regem Aquitaniæ unxit. Rex autem Roma digreſſus Mediolanum venit, ibique baptizata eſt filia ejus Gisla ab Archi-Epiſcopo Thoma, & ab eodem eſt de ſacro fonte levata. Inde Rex in patriam reverſus ſuccedenti tempore Saxoniam intravit, eamque in Epiſcopatus VIII diviſit, id eſt

Bremen-

Bremenſem, Halberſtadenſem, Hildinesheimenſem, Fardenſem, Paderbrunnenſem, Mindenſem, Monaſterienſem, Oſenbruggenſem & terminos eisdem Epiſcopis conſtituit; ſanctoque Stephano martyri in loco qui dicitur Seligenſtadt monaſterium conſtruxit, quod poſtea translatum in locum qui vocatur *Halberſtadt*, ubi nunc ſedes Epiſcopalis eſt, idque ad propagandum Catalaunenſi Epiſcopo Hildegrimo, qui erat frater beati Luidgeri confeſſoris, commendavit.

Annus Dni. DCCLXXXII. Conſtantini II.

Conſtantinopoli quidam [invenit] lapideam arcam & in ea virum jacentem cum hac ſcriptura : Chriſtus naſcetur ex Maria Virgine, & credo in eum, ſub Conſtantino & Irene Imperatoribus, ô Sol, iterum me videbis.

Annus Dni. DCCLXXXIII. Conſtantini III.

Hildegardis regina uxor Caroli obit, cujus funeri cum ſolenni more juſta perſolviſſet, Saxoniam tendens pugnavit cum eis in loco, qui Theotmelli vocatur, & vicit eos, indeque Paderbrunnam veniens audivit eos in finibus Weſtfalorum iterum paratos ad pugnam, ad quos tendens eâdem qua prius felicitate pugnavit cum eis, inde reverſus in Franciam duxit uxorem filiam Rodolffi Comitis de orientali Francia, nomine Faſtradam, de qua habuit filias duas : Berthrada Regina, mater Regis obiit.

Annus Dni. DCCLXXXIV. Conſtantini IV.

Carolus in loco qui Lippiheim dicitur pagos Weſtphalorum vaſtavit, veniensque ad Wiſaram, cum inundatio aquarum tranſitum negaret, dimiſit filium ſuum Carolum in finibus Weſtphalorum, ipſeque per Thyringiam divertens depopulatus eſt partes, quæ ſunt circa Albiam, reverſusque eſt in Franciam. Saxones verò congreſſi ſunt cum filio ejus Carolo, ſed ille magna cæde facta cum victoria rediit ad patrem ſuum Wormatiam.

Annus Dni. DCCLXXXV. Conſtantini V.

Widikindus & Albio ex trans-Albiana regione venerunt ad Carolum

rolum apud Attiniacum, ibique in gratiam recepti baptizati ſunt, quievitque Saxonica perfidia per aliquot annos.

Annus Dni. DCCLXXXVI. Conſtantini VI.

Carolus audiens Anglos & Saxones Britanniam invaſiſſe, miſit illuc cum exercitu Audolffum præpoſitum menſæ regiæ, qui perfidæ gentis contumaciam citò repreſſit acceptosque obſides cum plurimis populi primoribus Wormatiam ad Regem adduxit; Rex autem undique pace facta ſtatuit Romam ire, & partem Italiæ, quæ eſt circa Beneventum, ſuæ poteſtati ſubjicere, cujus majorem partem capto Deſiderio Rege jam ſibi ſubdiderat.

Annus Dni. DCCLXXXVII. Conſtantini VII.

Carolus Rex Romam veniens, honorifice ſuſceptus eſt ab Adriano Papa, qui etiam cum ipſo Beneventum contendit. Quod audiens Aragiſus Dux Beneventanus miſit ad Regem filium Rumoldum cum magnis muneribus rogans, ne terram intraret. Quod ille abnuens & Rumoldum ſecum retinens Capuam venit bellum geſturus: Aragiſus verò relicta Benevento, quæ caput eſt illius terræ, Salernum ſe quaſi munitiorem contulit, miſſaque legatione utrosque filios ſuos regi obtulit, promittens ſe per omnia obediturum, tantum ne ad conſpectum ejus venire cogeretur. Cujus precibus rex annuens, minorem filium nomine Grimoldum ſecum retinuit, majorem verò patri remiſit. Accepit inſuper à populo obſides XI miſitqve legatos, qui ipſum Ducem & omnem populum Beneventanum ſacramento confirmarent.

Annus Dni DCCLXXXIIX. Conſtantini VIII.

Inſtantia Adriani Papæ & Tharaſii Patriarchæ Conſtantinopolitani apud Nicæam univerſalis ſynodus CCCL. Epiſcoporum congregatur, in qua fides Catholica in præſentia Irenes & Filii ejus Conſtantini cunctorum ſub ſcriptione roboratur, & hæreſis execrantium imagines Dei in perpetuum abdicatur.

Annus Dni. DCCLXXXIX. Conſtantini IX.

Carolus contra gentem Sclavorum, qui Wilci dicuntur, exercitum ducens, cuncta ferro & igne vaſtavit, donec eos ſubjugavit.

Annus

Annus Dni. DCCXC. Conſtantini X.

Carolus nullam expeditionem fecit, ſed reſidens in Wormatia, legatos Hunorum audivit, ſuosque ad eorum principes miſit. Agebatur autem inter eos de confiniis regnorum ſuorum, quæ res futuri belli ſeminarium fuit.

Annus Dni. DCCXCI. Conſtantini XI.

Carolus ut Hunis bellum inferret per Bajoariam iter diſpoſuit, diviſoque exercitu Theodericum Comitem & Meinfridum Camerarium ſuum cum una parte per aquilonare Danubii latus ire juſſit. Ipſe cum altera per auſtrale latus deſcendit, venientesque ad Aneſum fluvium, qui eſt limes Pannoniæ & Bavariæ, caſtra poſuerunt per triduum Letanias ibi facientes. Huni autem videntes exercitum utrasque ripas tenentem, divinitus immiſſo terrore munitiones ſuas dimittentes fugerunt, & uterque exercitus libere ingreſſus magnam partem Pannoniæ uſque ad fluvium, qui dicitur Raba, devaſtavit.

Annus Dni. DCCXCII. Conſtantini XII.

Pipinus filius Caroli ex concubina quibusdam Francis agentibus conſpiravit contra Patrem, itemque alii propter Faſtradam reginam, cujus crudelitatem ſe ferre non poſſe Franci dicebant: Quæ conſpiratio cum per Fardolfum Longobardum detecta fuiſſet, ipſe ob meritum fidei ſervatæ, monaſterio ſancti Dionyſii donatus eſt, autores verò conjurationis partim gladio cæſi, partim patibulo ſuſpenſi ſunt.

Annus Dni. DCCXCIII. Conſtantini XIII.

Carolo in Francoford paſcha celebrante Synodus Epiſcoporum magna collecta eſt ex omnibus regni provinciis, legati quoque Adriani Papæ in ejus vice affuerunt. In hac Synodo hæreſis cujusdam Epiſcopi nomine Felicis damnata eſt, qui Chriſtum, ſecundum quod homo eſt, adoptivum Dei Filium dicebat, & liber contra eam communi Epiſcoporum autoritate compoſitus eſt, in quo omnes ſubſcripſerunt. Mortua eſt autem ibi Faſtrada regina & Mogontiæ apud ſanctum Albanum eſt ſepulta.

Annus

Annus Dni. DCCXCIV. Conſtantini XIV.

Carolus diviſo inter ſe & Filium Carolum exercitu Saxoniam cum magno apparatu intravit, ſed ipſi faciem ejus reveriti datis obſidibus ſe per omnia obſecuturos juraverunt.

Annus Dni. DCCXCV. Conſtantini XV.

Carolus generalem conventum habuit, ultra Renum in villa quæ dicitur Cufeſtein, indeque Saxoniam ingreſſus pene totam populando peragravit, itemque acceptis obſidibus in Galliam remeavit.

Annus Dni. DCCXCVI. Conſtantini XVI.

Carolus Saxoniam petens filium ſuum Pipinum Italiæ Regem in Pannoniam miſit ipſeque depopulata Saxonia Aquisgrani revertitur, Pipinus verò fugatis ultra fluvium *Tizaba* Hunis cum magno Hunorum theſauro ad patrem revertitur.

Annus Dni. DCCXCVII. Conſtantini XVII.

Carolus rurſus expeditionem in Saxoniam movit, & usque ad Oceanum ultra omnes paludes & invia loca transivit, totamque Saxoniam per obſides in deditionem accepit, deinde Aquisgrani reverſus, Abdellam Sarracenum filium Ibimaugæ Regis à fratre depulſum ſibique ſe commendantem ſuſcepit. Mediante autem menſe Novembre rurſus cum exercitu Saxoniam intravit, poſitisque caſtris apud Wiſaram, locum caſtrorum *Hereſtal* vocari præcepit. Illuc Legati Hunorum cum magnis muneribus venerunt, indeque Abdellam Sarracenum cum filio ſuo Ludovico in Hiſpanias reverti fecit, Pipinum in Italiam remiſit, ipſe verò ad diſponendam Saxoniam totum hyemis tempus impendens, natale Domini & Paſcha ſequentis anni ibi celebravit.

Annus Dni. DCCXCVIII. Conſtantini XIIX.

Conſtantinus Imperator ob inſolentiam morum ſuorum ſive ut quidam verius fatentur matris ſuæ Irenæ conſilio, ut ipſa ſola imperaret, excœcatus eſt, ac deinde poſt breve tempus obiit, ſicque mater de cætero ann. V imperavit. Obſcuratus autem eſt ſol eo tempore per dies XVII, ita ut oberrarent naves in mari, & omnes dicerent, quod propter Imperatoris excœcationem Sol obſcuratus ſit.

Annus

Annus Dni. DCCXCIX.

Romanis in ſua ſecuritate gloriantibus levatum eſt cor ſecundum morem illorum, volueruntque ea quæ imperialis erant poteſtatis ſibi vendicare. Reſiſtente autem Leone Papa, quidam ex cognatis beatæ memoriæ Adriani Papæ ſeditionem moventes in populo concitaverunt eos adverſus Papam, unde cum in Letania majore proceſſurus de Lateranis ad Eccleſiam ſancti Laurentii, quæ ad craticulam vocatur, equo ſedens pergeret, inſidias à Romanis diſpoſitas juxta eandem Eccleſiam incidit, dejectusque de equo & erutis oculis ejus, linguaque amputata nudus ac ſemivivus in media platea dimiſſus eſt, deinde juſſu eorum, qui hujus facinoris autores erant, in monaſterium ſancti Heraſmi martyris miſſus, & à Winigiſo Duce Spoletano ſuſceptus ac Spoletum ductus eſt, cujus rei nuntium dum Carolus accepiſſet, ipſum quidem ut vicarium beati Petri cum ſummo honore ad ſe adduci præcepit, iter tamen quod in Saxoniam diſpoſuerat non intermiſit, habito itaque conventu ſuper Renum in loco qui dicitur Lippeheim transfretavit, & ad Paderbrunnam veniens miſit Carolum filium ſuum ad Albim cum exercitu propter quædam negotia cum Wilcis & Abodritis diſponenda, & cum ejus reditum expectaret, venit ad eum Pontifex bene videns & loquens ſuſceptoque ab eo honorifice, cum aliquot dies apud eum manſiſſet, intimatis Regi omnibus, pro quibus venerat, per legatos Regis honorifice loco ſuo reſtitutus eſt. Huni à fide defecerunt, & Geroldus Bavariorum præfectus pugnans contra eos in prælio occiſus eſt, de quo in viſione Wetini [vide ann. DCCCXXVIII] legitur, quod inter martyres annumeratus ſit.

Annus Dni. DCCC.

Carolus orationis cauſa Turonis venit, ibique uxor ejus Luitgarda mortua & ſepulta eſt. Deinde Romam tendens pridie quam urbem intraret, occurrit illi Leo Papa apud monumentum XII lapide ab urbe, prandensque cum eo dimiſit eum ibi nocte illa, & præceſſit eum ad urbem. In craſtinum verò ordinatis per loca congrua turbis, ipſe ſtans in gradibus cum Epiſcopis & Clero honorificè illum ſuſcepit,

cunctisque pſallentibus in Baſilicam ſancti Petri illum introduxit. Poſt VII verò dies Rex concione vocata omnibus cur veniſſet patefecit, inter quæ potiſſimum erat de diſcutiendis quæ objecta ſunt Pontifici criminibus; ut enim ſe quaſi abſolutiores redderent ejus calumniatores, mortiferum ei crimen impoſuerunt. Rege autem de hoc inquirente, cum nullus eſſet criminis probator, Pontifex aſſumto Evangelii textu coram Rege & omni populo Ambonem conſcendit, aſtantibusque accuſatoribus invocato ſanctæ Trinitatis nomine de objectis ſe expurgat.

Annus Dni. DCCCI. Caroli I.

Carolus magnus Rex Francorum LXVII loco ab Auguſto Romanorum Imperatore conſecratus eſt anno regni ſui XXXIII imperavitque annos XIV. Cum enim pro calumnia Papæ ingeſta Romam veniſſet, & natalem Domini ibi celebraret, & ipſa die ſacratiſſima ad miſſarum ſolennia veniens, dum ante confeſſionem beati Petri ab oratione ſurgeret, nihilominus ſperanti Leo Papa coronam impoſuit, & Imperatorem Romanorum pronuntiavit, & à cuncto populo Romano acclamatum eſt : Carolo Auguſto à Deo coronato magno & pacifico Imperatori Romanorum vita & victoria. Poſt quas laudes ab Apoſtolico unctus Imperator & Auguſtus eſt appellatus. Poſt paucos dies habita quæſtione de adverſariis Papæ, ſecundum legem Romanam ut rei Majeſtatis decollatione adjudicati ſunt. Pro quibus tamen Papa pio affectu interceſſit, nam vita & membrorum integritas eis conceſſa eſt, ſed pro facinoris magnitudine exilio deportati ſunt, fertur tamen quod de Majoribus eorum uno die in Lateranenſi campo CCC decollati ſint. Innocentiam verò Leonis Papæ ita Dominus approbavit, ut clariores ei oculos donaverit, ſed in ſignum virtutis ejus pulcherrima cicatrix in modum tenuiſſimi fili turturinas acies niveo candore decoravit.

Annus Dni. DCCCII. Caroli II.

Hirene Imperatrix de Conſtantinopoli miſit legatos ſuos ad Carolum pro pace firmanda inter Francos & Græcos, & Carolus viciſſim miſit

misit Jesse Episcopum Ambianensem & Helmgaudum Comitem Constantinopolim pro eâdem causâ, & ut postularent Hirenem Imperatricem, ut illi jungeretur in conjugio. Quæ in hoc consensissent, si non ejus Patritius inhibuisset prævalens & imperium ad fratrem suum Nicephorum transferre satagens. Nam cum adhuc in urbe essent legati Caroli, Nicephorus imperium invasit, & Hirenem in monasterium, quod ipsa construxerat, misit.

Annus Dni. DCCCIII. Caroli III.

Venerunt de Constantinopoli legati Caroli & Apocrisarii Nicephori, qui tunc rem publicam apud eos gerebat : Michael Episcopus & Petrus Abbas & Calistus candidatus, qui invenerunt Imperatorem in Germania, in loco qui dicitur Salz, & pactum pacis in scripto ab eo susceperunt.

Annus Dni. DCCCIV. Caroli IV.

Imperator ducto exercitu in Saxoniam, omnes qui trans Albiam habitabant Saxones cum mulieribus & parvulis transtulit in Franciam & pagos transalbianos Abodritis dedit.

Annus Dni. DCCCV. Caroli V.

Imperator misit Carolum filium suum in Bohæmiam, qui depopulatis omnibus Ducem terræ illius nomine *Lechonem* occidit, indeque regressus ad patrem in Vosego sylva venatui studentem invenit.

Annus Dni. DCCCVI. Caroli VI.

Imperator habito conventu cum primoribus Francorum de pace constituenda & de divisione regni facienda inter tres filios suos, ut sciret unusquisque illorum, quam partem tueri & regere deberet, si sibi superstes deveniret, de hâc partitione testamentum fecit, & optimatum juramento firmavit.

Annus Dni. DCCCVII. Caroli VII.

Legati Persarum venerunt ad Imperatorem deferentes ei munera, papylionem & tria tentoria varii coloris, miræ magnitudinis & pulchritudinis, omnia bissina tam funes quam tentoria. Præterea pallia serica multa & pretiosa atque unguenta & balsamum, nec non & horologium

logium ex aurichalco arte mechanica mirifice compoſitum, in quo XII horarum curſus ad clepſydram vertebatur, cum totidem ex eis pillulis, quæ ad completionem horarum decidebant & caſu ſuo ſubjectum ſibi cymbalum tinniri faciebant, additis in eodem ejusdem numeri equitibus, qui per XII feneſtras completis horis exibant, & impulſu ſuo è regione totidem feneſtras, quæ prius erant apertæ, claudebant, alia quoque multa erant in ipſo horologio, quæ enumerare longum eſt.

Annus Dni. DCCCVIII. Caroli VIII.

Carolus Imperator audiens Godefridum Danorum Regem in Abodritos cum exercitu trajeciſſe, Carolum filium ſuum cum validâ Francorum & Saxonum manu miſit contra eum, ſi fortè Saxoniæ terminos aggredi tentaret. Ille autem expugnatis aliquot Sclavorum caſtellis, cum magna copiarum ſuarum detrimento reverſus eſt.

Annus Dni. DCCCIX. Caroli IX.

Ludovicus Rex Filius Imperatoris cum exercitu Hiſpaniam ingreſſus Dertoſam civitatem obſedit, ſed eam capere non valens ſoluta obſidione in Aquitaniam ſe recepit.

Annus Dni. DCCCX. Caroli X.

Pipinus Rex Italiæ, filius Imperatoris, perfidia Ducum Venetiorum incitatus Venetiam bello terra marique juſſit appetere, ſubjectaque Venetia Duces ejus in deditionem accepit. Eo anno Sol & Luna bis defecerunt, Sol VII Id. Junii & II Cal. Decembr. Luna XI Kal. Jul. & XVIII Kal. Januar. Pipinus Rex obit. Godefridus Rex Danorum obit, cui Hemmingus filius Fratris ſui ſucceſſit.

Annus Dni. DCCCXI. Caroli XI.

Imperator pace cum Hemmingo Rege Danorum firmatâ & placito generali Aquisgrani habito in tres partes regni ſui totidem exercitus miſit, unum trans Albiam in Limones [Linones] qui & ipſos vaſtavit & caſtellum Hochburi ſuperiori anno à Wilcis deſtructum reſtauravit; alterum in Pannonias ad controverſias Hunorum & Sclavorum finiendas; tertium in Brittones ad perfidiam eorum puniendam, qui omnes proſpere egerunt. Carolus filius Imperatoris major natu obit.

Annus

Annus Dni. DCCCXII. Caroli XII.

Nicephorus Imperator pugnans contra Bulgares occiditur, & Michaël gener ejus imperio potitur, qui legatos Caroli Imperatoris ad Nicephorum missos suscepit, & cum eis legatos suos misit & pacem à Nicephoro ceptam firmavit.

Annus Dni. DCCCXIII. Caroli XIII.

Imperator Carolus filium suum Ludovicum Regem Aquitaniæ ad se vocavit, eique coronam imponens imperialis nominis consortem fecit. Bernhardum verò nepotem suum Pipini, filii sui filium, Italiæ Regem constituit. Michaël Imperator Bulgares bello appetens, ubi malè pugnavit, domum reversus, deposito diademate Monachus efficitur, pro quo Leo filius Bardæ Patritii constituitur.

Annus Dni. DCCCXIV. Caroli XIV.

Carolus Imperator dum Aquisgrani hyemaret, febre & pleurisi, id est lateris dolore tactus, V Kal. Febr. moritur anno ætatis suæ LXXI, regni autem XLVI, Imperii verò XIV. Quod cum audisset Ludovicus filius ejus, XXX obitus illius die ab Aquitania Aquisgrani venit, summoque omnium Francorum consensu ac favore patri successit.

Annus Dni. DCCCXV. Ludovici I.

Ludovicus qui cognominatur pius filius Caroli Magni LXVIII loco ab Augusto regnavit annos XXVII.

Annus Dni. DCCCXVI. Ludovici II.

Ludovicus Imperator Aquisgrani magnam Synodum habuit, ubi constituta est *regula Canonicorum.*

Annus Dni. DCCCXVII. Ludovici III.

Ludovicus generalem conventum Aquisgrani habens, filium suum primogenitum Lotharium imperii sui socium sibi constituit, cæteros Reges appellatos, unum Aquitaniæ, alterum Bajoariæ præfecit. Post hæc nunciatum est ei : Bernhardum nepotem suum Italiæ Regem quorundam consilio tyrannidem meditari, ad quos motus comprimendos Imperatore, celeriter cum exercitu veniente, Bernhardus rebus suis diffidens, apud Cabilonem Imperatori se tradidit.

Annus

Annus Dni. DCCCXIIX. Ludovici IV.

Imperator Aquisgrani reverſus autores conjurationis ſimul & Regem judicio Francorum capitali ſententia damnatos luminibus tantùm privari juſſit, Irmengardis Imperatrix obit.

Annus Dni. DCCCXIX. Ludovici V.

Imperator Welffi Comitis filiam nomine Judith duxit uxorem, quæ genuit ei Carolum Calvum.

Annus Dni. DCCCXX. Ludovici VI.

Propter juges pluvias & aërem nimio humore reſolutum hominum & jumentorum peſtilentia graſſata eſt, frumenta quoque & legumina corrupta ſunt.

Annus Dni. DCCCXXI. Ludovici VII.

Imperator filio ſuo Lothario deſponſavit Irmingardam Hugonis Comitis filiam, de qua ille ſuſcepit Lotharium, Ludovicum & Carolum.

Annus Dni. DCCCXXII. Ludovici VIII.

In regione Thyringorum quodam loco ceſpes longitudine pedum L, latitudine XXIV, altitudine ſeſquipedali de terrâ ſine manibus præciſus & ſublatus, ab eo loco, in quo ſumtus eſt XXV pedum ſpatio diſtans inventus eſt.

Inchoatio monaſterii novæ Corbejæ per ſanctum Adelhardum antiquæ Corbejæ in Francia Abbatem.

Annus Dni. DCCCXXIII. Ludovici IX.

In territorio Tullenſi juxta villam Commerciacum puella quædam annorum circiter XII poſt ſacram communionem, quam in Paſcha de manu ſacerdotis accepit, ſine omni victus deſiderio plenum biennium usque in tertium annum dimidium complevit, nulla penitus corporis alimenta percipiens: Jejunavit autem ab hoc anno à Paſcha usque in annum Dominicæ incarnationis DCCCXXV ac circa initium Novembris peracto jejunio cibum ſumere & cæterorum hominum more cepit vivere. In Saxonia quoque in pago Firicſaze XXIII Villæ igne cœleſti crematæ ſunt, & fulgura in ſereno viſa ſunt.

In

In territorio Cumetenſi Civitatis Italiæ in vico Grabadona in Eccleſia ſancti Johannis Baptiſtæ imago ſanctæ Mariæ puerum Jeſum gremio continens in abſida ejusdem Eccleſiæ depicta & ob nimiam vetuſtatem pene deleta tanta claritate per biduum effulſit, ut omnem ſplendorem novæ picturæ ſua pulchritudine penitus vincere videretur, imagines etiam Magorum munera offerentium juxta eam depictæ erant, quas præter munera quæ offerebant claritas illa minime irradiabat.

Annus Dni. DCCCXXIV. Ludovici X.

Legati Michaëlis Imperatoris Conſtantinopolitani ad Imperatorem Ludovicum pro pace confirmanda cum muneribus & epiſtolis venerunt, deferentes inter cætera libros Dionyſii Ariopagitæ ab eo conſcriptos de hierarchia, id eſt, ſacro principatu, petente ipſo Ludovico de Græco in Latinum translatos, qui libri Pariſiis in ipſo ſancti Martyris feſto miſſi, cum gaudio ſuſcepti ſunt, quod gaudium virtus ſancti Martyris auxit XIX ægrotis ipſa die ibi ſanatis.

Annus Dni. DCCCXXV. Ludovici XI.

In territorio Auguſtodunenſi aëre in tempeſtatem ſubita mutatione converſo *ingens fragmentum ex glacie ſimul cum grandine deciſſe narratur*, cujus longitudo pedes XV, latitudo VII, craſſitudo duos habuiſſe dicitur.

Annus Dni. DCCCXXVI. Ludovici XII.

Hildewinus Abbas Monaſterii ſancti Dionyſii ab Eugenio Papa corpus ſancti Sebaſtiani martyris impetratum, apud Sueſſionum civitatem in baſilica ſancti Medardi collocavit, ubi dum adhuc inhumatum in loculo, quo allatum fuerat, jaceret, tanta ſignorum multitudo enituit, ut à nullo aut numero comprehendi, aut verbis valeat enarrari, quorum quædam tanti ſtuporis eſſe narrant, ut humanæ imbecillitatis fidem excederent, ni certum eſſet, Dominum, pro quo ipſe paſſus eſt, omnia poſſe.

Annus Dni. DCCCXXVII. Ludovici XIII.

Hildigrimus primus Halberſtadenſis Eccleſiæ Epiſcopus obit: eique Thiatgrimus ſucceſſit.

Annus

Annus Dni. DCCCXXVIII. Ludovici XIV.

In Waſconia in pago Aginenſi, annona de cœlo pro pluvia deſcendiſſe fertur, ſed grana frumento paululum breviora ac rotundiora habuiſſe, de quo Imperatori allatum eſt ad palatium Aquisgrani. Witinus Augiæ Monachus in Spiritu raptus mirabilem vidit viſionem. [add. ann. DCCXCIX.]

Annus Dni. DCCCXXIX. Ludovici XV.

In quadrageſima Aquisgrani terræ motus ventusque tam validus noctu factus eſt, ut non ſolum humiliores domos, verum etiam ſanctæ Dei genitricis baſilicam tabulis plumbeis tectam totam pene nudam reddiderit.

Annus Dni. DCCCXXX. Ludovici XVI.

Michaël Imperator Conſtantinopolitanus obit.

Annus Dni. DCCCXXXI. Ludovici XVII.

Amalarius Epiſcopus librum de Eccleſiaſticis officiis ad Ludovicum Imperatorem ſcribit.

Annus Dni. DCCCXXXII. Ludovici XVIII.

Corpora Sanctorum, Valentis, Seneſii, Theopontii, in Augiam inſulam deferuntur.

Annus Dni. DCCCXXXIII. Ludovici XIX.

Imperator Carolo filio ſuo ex Judith nato dedit Alemaniam, Rhetiam & partem Burgundiæ indignantibus cæteris filiis.

Annus Dni. DCCCXXXIV. Ludovici XX.

Brittones fœdera violant & rebellare incipiunt, contra quos Imperator exercitum duxit, ſed non prævaluit.

Annus Dni. DCCCXXXV. Ludovici XXI.

Murmanus, Rex Britonum obit & Numenojo ſucceſſit.

Annus Dni. DCCCXXXVI. Ludovici XXII.

Adventus ſancti Viti in Saxoniam ad Novam Corbejam.

Annus Dni. DCCCXXXVII. Ludovici XXIII.

Ludovicus Imperio privatur à filiis ſuis, & privatus cuſtodiæ traditur: regnum *per electionem fratrum* filio ejus Lothario datur.

Annus

Annus Dni. DCCCXXXIIX. Ludovici XXIV.

Ludovicus à filio ſuo Ludovico & Francis de cuſtodia ereptus in regnum reſtituitur. Fuit autem hæc dejectio ex maxima parte facta propter multimodam fornicationem Judith uxoris ejus.

Annus Dni DCCC XXXIX. Ludovici XXV.

Lotharius derelicta Francia Italiam petiit : Eboremorum Epiſcopus in generali Synodo deponitur & multi alii exilio damnantur, qui in dejectione Imperatoris conſpiraverant.

Annus Dni. DCCCXL. Ludovici XXVI.

Ludovicus Imperator dum filium Ludovicum trans Rhenum perſequeretur, morbo gravatus in inſula juxta Inglinheim moritur, inde ad Mediomatricorum civitatem delatus in Baſilica ſancti Arnolffi honorificè ſepelitur, ſtatimque Lotharius de Italia regreſſus imperium arripuit. [Eodem anno Heimo Hersfeldenſis Eccleſiæ Monachus tertius Epiſcopus Halberſtadenſis à Ludovico filio Ludovici pii mittitur & anno XIII ordinationis ſuæ VI Kal. April. obiit & Halberſtadii ſepelitur. Hæc recentiore manu inferiùs.]

Annus Dni. DCCCXLI. Ludovici junioris I.

Ludovicus ſuperioris Ludovici filius LXIX loco ab Auguſto regnavit annos XXXVI. Poſt mortem enim Patris iſte Ludovicus & Carolus Calvus indigne ferentes, regnum à Lothario invaſum & ſe paterna hæreditate privatos, exercitum undequaque contrahunt fratremque bello apud Fontiniacum aggreſſi ſunt, in qua pugna ita Francorum vires attenuatæ ſunt, ac famoſa virtus infirmata, ut non modo ad amplificandos regni terminos, verum etiam ad proprios tuendos impoſterum vix ſufficerent : Tamen licet cum nimio ſuorum diſpendio Ludovicus & Carolus vicerunt.

Annus Dni. DCCCXLII. Ludovici II.

Tres prædicti fratres imperium inter ſe diviſerunt & Carolo occidentalia regna ceſſerunt à Britannico Oceano usque ad Moſam fluvium; Ludovico verò orientalia, ſcilicet omnis Germania usque ad Rheni fluenta & nonnullæ civitates cum adjacentibus pagis propter vini

vini copiam : Lotharius verò qui major natu erat, totam Italiam cum urbe Romana ſimulque nomen Imperatoris obtinuit.

Annus Dni. DCCCXLIII. Ludovici III.

Rex Bulgarum ad Chriſtianiſmum converſus cum gente ſua, miſſis ad eum à ſede Apoſtolica miniſtris ſacri ordinis, adeo in fide ſolidatur, ut non multo poſt filio majore in regnum ordinato ipſe abrenuncians ſeculo Monachus factus ſit, cum filius ejus juveniliter agens ad gentilitatis cultum vellet redire, militiæ cingulo & regio cultu reſumto filium perſequutus cepit & oculis ejus effoſſis eum in carcerem truſit, & filio juniore in regnum locato ſacrum habitum recepit, & in eo usque ad finem vitæ perſeveravit.

Annus Dni. DCCCXLIV. Ludovici IV.

Bellum fuit inter Pipinum filium Pipini & Carolum. Eccleſia in nova Corbeja dedicatur.

Annus Dni. DCCCXLV. Ludovici V.

Rabanus Fuldenſis Abbas expulſus eſt de Monaſterio.

Annus Dni. DCCCXLVI. Ludovici VI.

Ludovicus Rex filius Ludovici Pannoniam ſubegit, indeque reverſus Boëmios vaſtavit.

Annus Dni. DCCCXLVII. Ludovici VII.

Otkerus Mogontinus Archi-Epiſcopus obit, cui Rabanus Fuldenſis Abbas ſucceſſit.

Annus Dni. DCCCXLVIII. Ludovici VIII.

Judith Imperatrix uxor Ludovici prioris obit.

Annus Dni. DCCCXLIX. Ludovici IX.

Luidericus tertius Bremenſis Epiſcopus obit.

Annus Dni. DCCCL. Ludovici X.

Irmingardis regina uxor Lotharii Imperatoris venerabilis matrona obit, quæ tres filios genuit Lothario, Ludovicum, Lotharium & Carolum.

Annus Dni. DCCCLI. Ludovici XI.

Nortmanni Britannicum mare navigantes, oſtia Ligeris fluminis occu-

occupaverunt, & repentina irruptione civitatem Namnetis invadunt, omniaque cædibus, incendiis ac rapinis vastantes, Pontificem civitatis ipso paschali sabbatho cum baptismum ex more celebraret in Ecclesia interficiunt, clerum trucidant omnemque circumquaque regionem vastantes primum Andegavensem, deinde Turonicam occupant urbem, templumque sancti Martini incendio cremant.

Annus Dni. DCCCLII. Ludovici XII.

Carolus Pipinum Regem Aquitaniæ nepotem suum cepit, & attonsum habituque Monachico indutum Svessionis in Monasterium sancti Medardi misit pro eo, quod pace solutâ eadem provincia à suis indigenis vastaretur, & multa illic mala impune patrarentur. Fuit autem iste Pipinus filius Pipini, filii Ludovici Imperatoris.

Annus Dni. DCCCLIII. Ludovici XIII.

Hemmo Episcopus Halberstadensis obit, cui Hildigrinus junior successit.

Annus Dni. DCCCLIV. Ludovici XIV.

Terræ motu, aëris insolita commotione, turbinibus & multis incommodis homines quassantur, quidam quoque homo igne cœlesti consumtus est veste illæsa manente, Ecclesia quoque sancti Chiliani Wurciburgi fulmine exusta est.

Annus Dni. DCCCLV. Ludovici XV.

Lotharius coram primoribus regni imperium divisit filiis suis: Ludovico Italiam tradidit eumque Imperatorem vocari fecit, æquivoco verò Lothario regnum quod ex suo nomine vocatur, Carolo autem, qui junior natu erat, provinciæ regnum largitus est. Dispositis itaque omnibus reliquit seculum, atque in Prumia Monasterio comam capitis deposuit & habitum Monachicum suscepit.

Annus Dni. DCCCLVI. Ludovici XVI.

Lotharius Rex Thietburgam Reginam in matrimonium sumsit, ex qua conjunctione non solum ipsi, sed etiam omni regno ejus ruina maxima provenit.

Annus Dni. DCCCLVII. Ludovici XVII.

Hildegard regina obit.

Annus Dni. DCCCLVIII. Ludovici XVIII.

Carolus Rex filius Lotharii Imperatoris moritur qui provinciam regebat, & de regno ejus facta eſt non modica controverſia inter Lotharium Regem & patruum ejus Carolum.

Annus Dni. DCCCLIX. Ludovici XIX.

Lotharius Hucberto Abbati ducatum inter Juram & montem Jovis commiſit, eo quod tunc fideliſſimus putaretur, utpote affinitate conjunctus propter ſororem Thietburgam.

Annus Dni. DCCCLX. Ludovici XX.

Ludovicus Senior frater Lotharii Imperatoris bella plurima ſtrenuiſſime peregit contra Sclavos, ſiquidem Ramahenſium [Marahenſium] regna ingreſſus, armis cuncta perdomuit, captoque Principe nomine Raſtiz eum cœcari fecit.

Annus Dni. DCCCLXI. Ludovici XXI.

Brittones Franciam devaſtant : Ob eam rem ulciſcendam Carolus cum ingenti exercitu Britanniam intravit, pugnamque commiſit; Brittones more ſolito huc illucque cum equis ad talem conflictum exercitatis diſcurrentes in Francos ſpicula torquent. At Franci qui comminus ſtrictis gladiis pugnare conſueverant, attoniti ſtabant novitate ante inexperti diſcriminis perculſi nec ad reſiſtendum nec ad fugiendum idonei. Sequenti die iterum pugna inchoatur, ſed graviori Francorum infortunio finitur : Unde Carolus nimio terrore diſſolutus, nocte inſcio exercitu aufugit relictis tentoriis & omni regio apparatu. Mane facto cum exercitus Regem fugiſſe conſpiceret, cum ingenti formidine & confuſione in fugam verſus eſt : Brittones cum clamore irruunt, caſtra Francorum omnibus referta bonis invadunt, omnem belli copiam rapiunt, Francos fugientes, totumque exercitum usque ad internecionem pene proſternunt.

Annus Dni. DCCCLXII. Ludovici XXII.

Sanctus Meginradus Eremita occiditur.

Annus

Annus Dni. DCCCLXIII. Ludovici XXIII.

Fames magna & morbus in Germania & in aliis Europæ partibus graſſatur.

Annus Dni. DCCCLXIV. Ludovici XXIV.

Carolus cum grandi exercitu fines Brittonum intravit, ſed minime prævaluit, novisſimè verò pacem cum eis fecit.

Annus Dni. DCCCLXV. Ludovici XXV.

Lotharius Rex cepit occaſiones quærere, ut Thietburgam reginam à ſuo conſortio ſepararet, quatenus Waldradam quæ ejus fuerat concubina, cum adhuc eſſet adoleſcens in domo paterna, ſibi legitimè copularet, Guntharium itaque Colonienſem præſulem aggreſſus promiſit ſe neptem illius in matrimonium accepturum tantum ut Thietburgam ejus & aliorum Epiſcoporum autoritate repudiare potuiſſet. Qua ille ſpe ſeductus Thietgaudum Trevirenſem Archi-Epiſcopum de hac cauſa alloquitur : Quid plura ? Concilium Metris convocant Reginam canonice vocatam in medio ſtatuunt, teſtes producunt, quia gravia crimina ei imponentes inter alia proteſtati ſunt, quod eadem Thietburga confeſſa fuiſſet, ſemetipſam fratris Germani inceſtuoſo concubitu eſſe pollutam, ſic illa non ſolum à legitimo viro ſeparatur, verum etiam omnis copula maritalis inhibetur, pœnitentia juxta modum culpæ indicitur : his itaque patratis, Waldrada jam in publicum procedit, omnisque regia aula reſultat Waldradam Reginam eſſe. Guntharii Epiſcopi neptis accerſitur, ac ſemel ut ajunt ab eo conſtupratur atque cum cachinno & omnium deriſione ad avunculum remittitur. Igitur agentibus fratribus Thietburgæ Reginæ, hæc omnia ad notitiam Nicolai Papæ referuntur.

Annus Dni. DCCCLXVI. Ludovici XXVI.

Miſſi ſunt Hagano & Rodoaldus à ſede Apoſtolica ad diſcutiendam Thietburgæ cauſam. Qui in Franciam venientes pecunia corrupti ſunt reſponſumque à Rege acceperunt, ſe nihil alid egiſſe, niſi quod Epiſcopi in generali Synodo agendum demonſtraſſent. Interea Thietgaudus & Guntharius Archi-Epiſcopi Romam profecti ſunt, ut Re-

ut Regem innoxium à ſupradicto facto, ſe quoque Eccleſiaſtica exercuiſſe Decreta, monſtrarent, itaque cum in præſentiam Nicolai Papæ veniſſent, eorum anatematizata ſunt ſcripta, & ipſi à tota Synodo ſunt abjudicati depoſiti, & omni Eccleſiaſtica dignitate ſunt privati, communione tantum Laicali eis conceſſa. Sic turpiter dehoneſtati in patriam regreſſi ſunt : Licet Imperator omni conamine eis ſuffragari niteretur, conatus omnis fruſtratus eſt : Thietgaudus prolatam in ſe ſententiam patienter ſervavit. Guntharius verò ſuperbiæ ſpiritu inflatus vetitum ſibi officium auſu temerario uſurpare præſumſit : Sed cum poſtea iterum atque tertio ſedem Apoſtolicam reſtitutionis ſuæ cauſa adiſſent in Italia infirmitate præventi peregrini & exules moriuntur.

Annus Dni. DCCCLXVII. Ludovici XXVII.

Arſenius Epiſcopus & Apocriſiarius Nicolai Papæ vice ipſius in Franciam directus, tanta autoritate uſus eſt, ac ſi ipſe veniſſet Apoſtolicus. Convocato namque Epiſcoporum conventu Lotharium Regem gladio anathematis Waldradam vellet nollet relinquere, & Thietburgam Reginam interpoſito jurisjurandi Sacramento in matrimonium recipere coëgit. Quod tamen juramentum ille non diu ſervavit. Redeunte enim Romam Apoſtolico legato, rurſus Waldrada ejusque amicis decertantibus Thietburga Regina deſpicitur, abominatur, rejicitur, crimen adulterii impingitur. Illa mortis periculum timens, latenter ad Carolum Regem auffugit, ejusque tuitioni ſe commiſit, ſicque Lotharius rurſus Waldradam recepit.

Annus Dni. DCCCLXIIX. Ludovici XXIIX.

Baſilius occiſo ſuo Domino Michaële, regnavit pro eo.

Annus Dni. DCCCLXIX. Ludovici XXIX.

Nicolaus Papa obit, cui Adrianus CV ſucceſſit.

Annus Dni. DCCCLXX. Ludovici XXX.

Lotharius Romam profectus eſt. Quo veniente cum Adrianus Papa benigne ſuccepiſſet, ſciſcitatus eſt ab eo, ſi monita Nicolai Papæ, nec non & jusjurandum inviolatum cuſtodiſſet, qui reſpondit, ſe omnia

ac ſi

ac ſi divinitus imperata eſſent cuſtodiſſe. Cumque proceres & optimates ejus eadem teſtificarentur, nec ullus adverſus regiam autoritatem legitimum auderet perhibere teſtimonium, Papa talia proſequitur: Si veræ teſtificationi veritas ſuffragatur, reſtat, fili cariſsime, ut ad confeſsionem beati Petri pro tuâ tam corporis quam animæ incolumitate hoſtiam ſalutarem immolemus, ex qua te nobiſcum particivi oportet, ut per hanc membris Chriſti, unde abſciſſus videbaris, merearis incorporari. Finitis igitur Miſſarum ſolenniis ſummus Pontifex, accepto in manibus corpore & ſanguine Domini, ita Regem allocquitur: Si innoxium te recognoſcis à prohibito tibi adulterii crimine, & hoc ſtatutum habes, quod nunquam Waldradæ nefario miſcearis concubitu, fiducialiter Sacramentum ſalutis æternæ in remiſsionem peccatorum tuorum percipe: Si verò te conſcientia accuſat nefarie ſauciatum, aut iterum redire mente diſponis, nequaquam ſumere præſumas, ne ad judicium & damnationem tibi eveniat. Qui mente captus & obduratus absque retractatione communionem percepit. Deinde idem Præſul converſus ad ſequaces Regis unicuique communionem obtulit in hæc verba: Si Domino ac Regi tuo Lothario in objecto crimine favorem non præſtitiſti, & Waldradæ & aliis ab hac ſede Apoſtolica excommunicatis non communicâſti, corpus & ſanguis Domini noſtri JEsu CHRISTI proſit tibi in vitam æternam. Igitur quisquis ſub tali conteſtatione mali conſcius ſacram communionem temerare præſumſit, divino judicio percuſſus ab hac luce ſubtractus eſt ante ſequentis anni principium. Pauci qui ſe à communione ſubtraxerant, vix mortis periculum evasére. Porro Lotharius Româ egreſſus morbo corripitur & apud Placentiam civitatem moritur: Tanta autem ſtrages in præfati Regis populo facta eſt, ut non peſte periiſſe, ſed hoſtili gladio corruiſſe tota nobilitas videretur.

Annus Dni. DCCCLXXI. Ludovici XXXI.

Ludovicus & Carolus una cum optimatibus & proceribus ſuis ad Marſanam venientes, regnum Lotharii æquis inter ſe partibus diviſerunt.

Annus

Annus Dni. DCCCLXXII. Ludovici XXXII.

Carlomannus filius Caroli à primæva ætate in clericatus officio educatus & Diaconatus officium promotus : velut alter Julianus per apoſtaſiam ab Eccleſia recedens, collecta prædonum multitudine Eccleſias cepit devaſtare & alia multa mala exercere, quem cum Carolus benignis correptionibus compeſcere non poſſet, captum cæcari juſſit. Orbatus itaque Lodowicum patruum ſuum adiit, miſeriarum ſuarum ærumnas apud eum lugubriter deplorans, qui miſeratione motus Epternacum Monaſterium ſancti Wilibrordi ad ſubſidium præſentis vitæ ei concesſit, ubi non multò poſt tempore mortuus eſt ac ſepultus.

Annus Dni. DCCCLXXIII. Ludovici XXXIII.

Ludovicus Imperator contra Adalgiſum Ducem Beneventanum conjugem ſuam cum exercitu miſit, qui faciem illius reveritus in Corſicam inſulam fugit, ibique latuit.

Annus Dni. DCCCLXXIV. Ludovici XXXIV.

Locuſtarum inæſtimabilis multitudo totam pene vaſtavit Galliam.

Annus Dni. DCCCLXXV. Ludovici XXXV.

Ludovicus Imperator obit. Fuit vero princeps iſte pius & miſericors, juſtitiæ deditus, ſimplicitate purus, Eccleſiarum defenſor, orphanorum Pater, eleemoſynarum largitor, ſervis Dei humiliter ſe ſubmittens.

In Italia Brixæ tribus diebus & tribus noctibus ſanguis de cœlo pluiſſe narratur.

Carolus Romam tendens à Johanne Papa Imperator efficitur.

Annus Dni. DCCCLXXVI. Ludovici XXXVI.

Cometes ſolito clarior apparuit : Subita & nimia aquarum inundatio facta eſt menſe Junio, ita ut in Saxonia villa quædam longe à torrentibus & fluminibus remota in momento cum hominibus & jumentis, cum arboribus & ædificiis, cum Eccleſia & altari penitus abſorpta ſit, nullumque habitationis veſtigium remanſerit.

Annus

Annus Dni. DCCCLXXVII. Caroli junioris I.

Carolus junior filius Ludowici, qui fuit Nepos Caroli, LXX loco ab Augusto regnavit annos XI, cum fratribus suis Carlomanno & Ludewico, Ludovicus quippe tenuit Ostrofranciam, Carolus Alemanniam, Carlomannus Bajoariam, cujus filius Arnolffus postmodum obtinuit Monarchiam.

Annus Dni. DCCCLXXIIX. Caroli II.

Carolus Rex Galliarum, frater Ludowici, cognomento Calvus obit.

Annus Dni. DCCCLXXIX. Caroli III.

Ludewicus Balbus filius Caroli obit.

Annus Dni. DCCCLXXX. Caroli IV.

Ludovicus comperto quod frater obiisset, Bajoariam ingressus Ratisbonam venit, ubi omnes optimates ad eum venientes ejus ditioni se subdiderunt.

Annus Dni. DCCCLXXXI. Caroli V.

Carolus de Alemannia egressus Longobardorum fines occupavit, ac in paucis diebus totam Italiam in deditionem accepit & Romam perveniens, à Johanne Papa & omni Senatu favorabiliter susceptus & cum magna gloria Imperator ordinatus est.

Annus Dni. DCCCLXXXII. Caroli VI.

Ludovicus Rex Francorum frater Caroli Imperatoris obiit. Carlomannus frater illius regnum obtinuit.

Annus Dni. DCCCLXXXIII. Caroli VII.

Hugo filius Lotharii Wichbertum Comitem sibi fidelissimum dolo trucidari fecit, pulchritudine uxoris ejus captus, quam absque morâ in matrimonium recepit, cui nomen Friderada fuit.

Annus Dni. DCCCLXXXIV. Caroli VIII.

Carlomannus in venatione ab apro graviter vulneratus moritur, & ad sanctum Dionysium sepelitur. Fertur autem, quod à quodam suo satellite inprovide arma ferente vulneratus fuerit, & quia non sponte hoc facinus commiserat, idcirco à Rege celatum sit, ne innoxius

xius morti traderetur. Carolus Imperator regnum illius obtinuit.

Annus Dni. DCCCLXXXV. Caroli IX.

Wilfrarius Epiſcopus cum aliis multis occiſus eſt à Sclavis.

Annus Dni. DCCCLXXXVI. Caroli X.

Hildigrimus Epiſcopus obit, cui Ajulffus ſucceſſit.

Annus Dni. DCCCLXXXVII. Caroli XI.

Carolus Imperator ad Triburias placitum habuit, ubi conſpiratione facta contra eum Orientales Franci elegerunt Arnulfum Regem, cui ſe Carolus ſubjecit.

Annus Dni. DCCCLXXXIIX. Arnulfi I.

Arnolfus filius Carlomanni fratris Caroli junioris LXXI loco ab Auguſto XII annos regnavit, V verò imperavit, hujus anno primo Carolus Imperio privatus obit. Principabatur autem jam dictus Arnolfus Bajoariis, Svevis, Francis orientalibus, & poſt mortem Caroli Calvi Lotharingiis, audacibusque Saxonibus.

Annus Dni. DCCCLXXXIX. Arnulfi II.

Arnolfus Wirciburgenſis Epiſcopus in Saxonia occiſus eſt inter miſſarum ſolempnia.

Annus Dni. DCCCXC. Arnulfi III.

Ratispona incendio flagrat.

Annus Dni. DCCCXCI. Arnulfi IV.

Arnulfus Rex exercitum Nortmannorum delevit.

Annus Dni. DCCCXCII. Arnulfi V.

Poppo *Dux Thyringorum* dignitate ſua exſpoliatur & ducatus ejus Conrado commendatur.

Annus Dni. DCCCXCIII. Arnulfi VI.

Sunderoldus Archi-Epiſcopus à Nortmannis occiditur, pro quo Hatto ordinatur, obſcurus quidem genere ſed acutus ingenio, & qui difficile diſcerneretur melior conſilio foret an pejor.

Annus Dni. DCCCXCIV. Arnulfi VII.

Arnolfus Rex Zuendebaldum filium ſuum ex concubina natum facit Regem Lotharienſium. Annus

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 90;Leibn. Marg. 90, Stück 1, [166] - 146
PUBLIC DOMAIN

Annus Dni. DCCCXCV. Arnolfi VIII.
Arnolfus Rex Italiam Burgundiamque ſibi ſubjecit.
Annus Dni. DCCCXCVI. Arnolfi IX.
Arnolfus Rex Romam veniens Imperator efficitur.
Annus Dni. DCCCXCVII. Arnolfi X.
Carolus jam quindennis creatur in Regem Galliæ.
Annus Dni. DCCCXCVIII. Arnolfi XI.
Ungarii Italiam ingreſſi multa mala commiſerunt.
Annus Dni. DCCCXCIX. Arnolfi XII.
Magna fames homines ſe invicem comedere compulit.
Annus Dni. DCCCC. Arnolfi XIII.

Arnolfus Imperator de Roma reverſus, afflictus à minutis vermibus, quos pediculos vocant, adeo in corpore ejus ſcaturientibus, ut à nullo medicorum minui poſſent, moritur : Nam cum Formoſus Papa à Romanis affligeretur, ejus hortatu Arnolfus Rex Romam advenerat, qui ingreſſus urbem multos Romanorum Principes obviam ſibi properantes ulciſcendo Apoſtolici injuriam decollari præcepit. Cauſa autem ſimultatis inter Apoſtolicum & Romanos hæc fuit : Formoſi deceſſore defuncto, quædam pars Romanorum Sergium quendam Romanæ Eccleſiæ diaconum, quædam verò non infima natu Formoſum Portuenſem Epiſcopum pro vera religione, & doctrinæ ſcientia Papam fieri anhelabant. Cum autem in eo eſſet, ut Sergius ordinari debuiſſet, pars quæ Formoſo favebat non ſine militari tumultu Sergium ab altari expulit, & Formoſum Papam conſtituit. Unde Sergius deſcendit in Thuſciam, ut per Adelberti Marchionis juvaretur potentiam, quod & factum eſt : Nam Formoſo defuncto, & Arnolfo in patria morte qua diximus extincto, is qui poſt Formoſum conſtitutus eſt, expellitur : Sergius per Adelbertum Papa conſtituitur. Qui conſtitutus ut impius & ſacrarum Scripturarum inſcius, Formoſum è ſepulchro extrahi, & in ſede Romani Pontificatus ſacerdotalibus veſtimentis indutum locari, ſicque decollari præcepit, cui & ait : Cum Portuenſis eſſes Epiſcopus, cur ambitionis ſpiritu univerſalem ſedem uſurpaſti, deinde

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 90;Leibn. Marg. 90, Stück 1, [167] - 147
PUBLIC DOMAIN

deinde ſacris exutum veſtibus abſciſſisque digitis tribus in Tiberim jactari præcepit, cunctosque ab illo ordinatos gradu proprio depoſitos iterum ordinavit, quod quam malè & injuſtè actum ſit, quilibet in Eccleſiaſticis ſanctionibus peritus facile agnoſcit : Quantæ autem autoritatis & ſanctitatis idem Formoſus Papa fuerit, hinc colligere poſſumus, quemadmodum à Piſcatoribus poſtmodum inventus atque ad Eccleſiam beati Petri Principis Apoſtolorum eſſet deportatus, Sanctorum imagines quæ ibi erant ſe inclinantes hunc in loculo poſitum venerabiliter ſalutarunt.

Annus Dni. DCCCCI. Ludevvici I.

Ludovicus Arnolfi Imperatoris filius LXXII loco ab Auguſto, admodum puer imperavit annos XII. Ungarii Bajoariorum, Svevorum, Francorum regna devaſtant.

Annus Dni. DCCCCII. Ludevvici II.

Ungarii Charentaniam invadunt & commiſſa in Sabbatho ſancto Paſchæ pugna omnes occiduntur.

Annus Dni. DCCCCIII. Ludevvici III.

Zventebaldus Rex à Lotharienſibus in bello perimitur, in quo bello quicunque vulneratus eſt aut mortem non evaſit, aut nunquam ſanari meruit, *Franco* Leodicenſis Epiſcopus obit, cui Stephanus ſucceſſit, vir ſanctitate & ſcientia clarus, qui vitam ſancti Lamperti ad Herimannum Colonienſem Epiſcopum ſcripſit, cantum quoque nocturnum de eodem martyre, ſed & de ſancta Trinitate, & de inventione ſancti Stephani Prothomartyris dulci & regulari modulatione compoſuit.

Annus Dni. DCCCCIV. Ludevvici IV.

Folco Remorum Archi-Epiſcopus à quodam Winimaro ſatellite Baldwini Comitis occiſus eſt.

Annus Dni. DCCCCV. Ludevvici V.

Heriveus Remorum cum multis Epiſcopis Winimarum excommunicavit, & pro tam inaudito ſcelere perpetuo anathemate condempnavit.

Annus

Annus Dni. DCCCCVI. Ludewici VI.

Beringer, Reginolt, & Gerhard Germani fratres occiduntur.

Annus Dni. DCCCCVII. Ludewici VII.

Adelbertus prædictorum primatum frater contra Conradum Ludovvici Imperatoris fratrem ob ultionem fratrum bella continua tamque ingentia commisit, ut nec ipse Imperator animositatem ejus aliqua vi vel arte sedare potuerit, donec eundem Conradum occidit.

Annus Dni. DCCCCIIX. Ludevvici IIX.

Ludovicus Imperator sciens se fratris sui Conradi necem non posse ulcisci in rebellione Principis tam violenti, nisi quadam tergiversatione, Hattonem Mogontinum Archi-Episcopum, quid super hac re faciendum esset, consuluit, qui ut erat versutia plenus, desine ait, ego te securum meis solicitudinibus faciam, ego ut ad te ille veniat provideo, tu ne redeat curato: Hatto itaque fraude animatus, Adelbertum in castello *Bavenberch* quasi rebus ejus consulturus adiit, multaque in dolo locutus suasit ei ad Regem venire, promittens ei jurejurando, aut ei pacem cum Rege facturum, aut incolumem eum suo loco restiturum. His pactis consentiens Adelbertus fidei & amicitiæ causa ut dignaretur prandere rogavit Episcopum, & calliditatis obtentu negante illico urbem egressi sunt, Episcopo dextram Adelberti tenente. Cum pertransissent oppidum cum omni comitatu, Episcopus exclamavit dicens: Proch quam sæpe petit, qui oblata spernit! Tædet me longioris viæ, & tardioris horæ, nam jejuni tota die non possumus pergere: Hæc audiens Adelbertus nihil mali suspicatus ad genua Pontificis se lætus inclinavit, & ut in urbem prandendi gratia reverteretur rogavit: Pontifex cum Adelberto in urbem revertitur, deputans se liberatum à vinculo juramenti, eo quod incolumem illum sic restituisset loco suo: Posthæc cum Pontifice exiens, Regi Ludevvico ab eo præsentatur, moxque habito judicio, Principum, qui affuêre, decreto, capitalem subiit sententiam & in proprio castello *Thariſſa* accepit sepulturam.

Annus

Annus Dni. DCCCCIX. Ludevvici IX.
Ungarii Saxoniam & Thuringiam vaſtant.

Annus Dni. DCCCCX. Ludevvici X.
Ungarii Alemanniam vaſtant.

Annus Dni. DCCCCXI. Ludevvici XI.
Franci pugnant cum Ungariis.

Annus Dni. DCCCCXII. Ludevvici XII.

Ludevvicus Rex obit. Poſt cujus mortem cum non eſſet ei filius, omnis populus Francorum & Saxonum quærebat magno Duci Ottoni, qui erat frater Machtildæ Reginæ, uxoris Ludevvici Regis, diadema regni imponere, ſed ille jam gravior quaſi, recuſabat onus imperii, ejus tamen conſultu Conradus Francorum quondam Dux, *filius Conradi, quem Adelbertus* occidit, ungitur in regnum. Summa tamen Imperii penes Ottonem ſemper & ubique fuit: Natus eſt autem Ottoni filius mundo neceſſarius optimus Henricus, qui primus libera poteſtate regnavit in Saxonia, cui pater moriens totius Saxoniæ Ducatum reliquit.

Annus Dni. DCCCCXIII. Conradi I.

Conradus filius Conradi ex genere Francorum oriundus, vir ſtrenuus bellorumque exercitio doctus, communi electione LXXIII loco ab Auguſto regnavit annos VII. Otto Imperator naſcitur.

Annus Dni. DCCCCXIV. Conradi II.

Conrado Regi rebellant Principes potentiſſimi, Arnoldus de Bajoaria, Burchardus de Svevia, Eberhardus Comes de Francia, Giſelbertus Dux Lotharingiæ, & inter eos præcipuus Henricus Dux Saxonum & Thyringorum, quos tamen Rex tam ſapientiæ vigore quam fortitudinis robore ſuperavit & ad ſuam fidelitatem perduxit: Otto Dux magnus obit.

Annus Dni. DCCCCXV. Conradi III.

Ungari Alemanniam vaſtant: Hatto Archi-Epiſcopus Mogontinus obit, cui Heriger ſucceſſit.

Annus

Annus Dni. DCCCCXVI. Conradi IV.

Remvvardus Archi-Epiſcopus Bremenſis obit.

Annus Dni. DCCCCXVII. Conradi V.

Ungari Alemanniam totam devaſtantes usque ad Fuldam perveniunt.

Annus Dni. DCCCCXVIII. Conradi VI.

Baſilea ab Ungaris deſtruitur.

Annus Dni. DCCCCXIX. Conradi VII.

Conradus Rex moriens coram Principibus regni Regem deſignat Henricum filium Ottonis Saxonum ducis ex Luitgarda filia Arnolfi Imperatoris.

Annus Dni. DCCCCXX. Henrici I.

Henricus genere Saxo filius Ottonis Ducis LXXIV loco ab Auguſto regnavit annos XVII. Cui cum unctio offerretur & diadema à Herigero Archi-Præſule, non ſprevit nec tamen ſuſcepit, ſatis, inquiens, mihi eſt, ut præ majoribus meis Rex dicar, & deſigner divina annuente clementia veraque pietate; penes meliores verò nobis unctio & diadema ſit; tanto honore nos arbitramur indignos. Placuit iſte ſermo coram omni multitudine & dextris in cœlum levatis nomen novi Regis laude frequentabant.

Annus Dni. DCCCCXXI. Henrici II.

Arnoldus Dux Bajoariæ ſolus ex omnibus Principibus Regi Henrico rebellat: Contra quem ille cum valida manu in Bajoariam tendens in urbe Ratiſpona eum obſedit. At ille videns ſe Regi non poſſe reſiſtere, portis apertis egreſſus eſt ad Regem, tradens ſe ei cum omni regno ſuo, & honorifice ſuſceptus ab eo amicus Regis appellatus eſt.

Annus Dni. DCCCCXXII. Henrici III.

Stephanus Leodicenſis Epiſcopus obit, cui Richarius ſucceſſit.

Annus Dni. DCCCCXXIII. Henrici IV.

Ungaris Franciam, Alſatiam, Alemanniam, Saxoniamque vaſtantibus, Henricus Rex congreſſus juxta Merſeburg inæſtimabili cæde usque ad internicionem pene delevit.

Annus

Annus Dni. DCCCCXXIV. Henrici V.

Rex Henricus & Francorum Rex Carolus apud Bunnam confœderantur Episcopis & Comitibus rem utrimque juramento confirmantibus, redditque Carolus Henrico Regi regnum Lotharingiæ. Sanguis Domini crucifixi venit in Augiam insulam, forte ille qui de imagine Domini fluxit, cum secundo in imagine sua à Judæis priora pateretur.

Annus Dni. DCCCCXXV. Henrici VI.

Carolus Rex Francorum à Comite Heriberto captus, Petronæ in custodiam traditur. Heinrico Rege ad dilatandum imperium super Lotharios tendenti in ipsa profectione, ubi Renum transiit, Caroli legatus occurrit salutato eo verbis humillimis: Dominus meus, inquit, Carolus regia quondam dignitate præditus, modo privatus, misit me ad te, demandans tibi, quia sibi ab inimicis circumvento nihil possit esse dulcius quam de tui magnifici profectus gloria aliquid audire, & hoc signum fidei tibi transmisit, protulitque de sinu manum pretiosi Martyris Dionysii auro gemmisque inclusam, hoc, inquiens, habeto pignus amoris perpetui, hanc partem unici solatii Francorum Galliam inhabitantium, postquam nos Sanctus Martyr Vitus ad nostram perniciem deseruit, & ad vestram perpetuam salutem Saxoniam visitavit, communicare maluit. Neque enim ex quo corpus ejus translatum est à nobis civilia vel externa cessavere bella, & sicut res Francorum minui, sic Saxonum postea ceperunt dilatari. Rex autem divinum munus omni gratiarum actione suscipiens *reliquiis sanctis prosternitur*, & deosculans eas summa veneratione veneratur. Rudolfus Rex Burgundionum eodem fere tempore Henrico Regi lanceam misit, quam Constantini magni sanctæ Helenæ filii fuisse dicebant, quæ novo quodam opere novaque elaborata arte & figura juxta mediam spinam habuit utrobique quasi fenestram, & in media spinâ cruces ex clavis manibus & pedibus Salvatoris Domini nostri JESU CHRISTI affixis. Per hanc igitur Rex idem de hostibus sæpe triumphavit, eamque filio suo Ottoni magno moriens cum regno reliquit, eamque credimus esse,

quæ

quæ ex tunc usque hodie in Imperatorum tutela ſolet manere. Hiltine Auguſtenſis Epiſcopus obit, cui ſanctus Odalricus ſucceſſit.

Annus Dni DCCCCXXVI. Heinrici VII.

Heinricus Rex Sclavos, qui Hevelli dicuntur, cum exercitu petit, & multis eos præliis fatigans, tandem hieme aſperrima caſtris ſuper glaciem poſitis cepit urbem quæ dicitur Brandenburg fame, ferro, frigore. Qua urbe potitus omnem ſimul per eam tenuit regionem vertitque ſigna ſua contra Dalmatiam, [Dalmantiam] adverſus quam jam olim pater ſuus ei reliquit militiam.

Annus Dni. DCCCCXXVII. Heinrici VIII.

Heinricus Rex Boemos hoſtiliter invaſit, & præſtante Deo glorioſe triumphavit.

Annus Dni. DCCCCXXIIX. Heinrici IX.

Carolus Rex Franciæ ſub cuſtodia Heriberti Comitis exul & martyr moritur.

Annus Dni. DCCCCXXIX. Heinrici X.

Otto magnus Edith filiam Erthmundi Regis Anglorum matrimonio ſibi jungendam Saxoniæ advexit, eique urbem *Magdeburg*, quæ nunc metropolis eſt Saxoniæ, tunc verò Halberſtadenſi diœceſi ſubjecta fuit, inter cæteras opes pro dote obtulit. Ratherius Lobienſis Monachus, vir nimiæ ſimplicitatis, ſed experientia liberalium artium nominatus, à Hugone Rege Veronæ Epiſcopus conſtituitur.

Annus Dni. DCCCCXXX. Heinrici XI.

Pugna valida facta eſt juxta Albiam prope Lungini, in qua Saxones glorioſe vicerunt, proſtratis Sclavorum CXX millibus, in captivitatem verò DCCC ductis.

Annus Dni. DCCCCXXXI. Heinrici XII.

Heinricus Rex Regem Abodritorum & Regem Danorum efficit Chriſtianos. Ingreſſus namque Daniam cum exercitu Regem nomine Wrm vicit, & apud Sliasvvick, quæ nunc Heidiba dicitur, regni terminum ponens Marchionem ibi ſtatuit.

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 90;Leibn. Marg. 90, Stück 1, [173] - 153
PUBLIC DOMAIN

Annus Dni. DCCCCXXXII. Heinrici XIII.

Tietlo Wurciburgenſis Epiſcopus obit.

Annus Dni. DCCCCXXXIII. Heinrici XIV.

Ratherius à Hugone Rege Epiſcopatu pulſus, quia Bavvaris faverat, Papiæ exiliatur, ubi & *librum* de ſuis ærumpnis edidit, ſcripſit & alia multa legentibus utilia.

Annus Dni. DCCCCXXXIV. Heinrici XV.

In Genuenſi urbe fons ſanguinis erupit.

Annus Dni. DCCCCXXXV. Heinrici XVI.

Heinricus Rex Ungros in *Suvirbia* multa cæde proſtravit, pluresque ex eis comprehendit : Eodem anno Sclavos, qui Urcani [Ucrani] vocantur, hoſtiliter invaſit & vicit ſibique tributarios fecit.

Annus Dni. DCCCCXXXVI. Heinrici XVII.

Heinricus Rex paraliſi percutitur, cumque in caſtello, quod dicitur Hiemelevva, [Minnelevva] quod eſt inter Saxoniam & Thuringorum confinia, lecto decumberet, ubi & mortuus eſt, convocato omni populo deſignavit Ottonem filium ſuum Regem, quia eum prudentiſſimum & religioſum noverat, licet in imperio natus non eſſet. Cæteris autem filiis prædia cum theſauris diſtribuens, teſtamentum legitime fecit, rebusque omnibus rite completis defunctus eſt anno regni ſui XVII, vitæ autem ferè LX. Translatum eſt autem corpus ejus in Quidelingaburg & in Baſilica ſancti Petri ante altare ſepultum. Quo defuncto Machthild inclita Regina cænobium in monte Quidelingeburgenſi, ut ipſe prius decreverat, conſtruere cepit.

Annus Dni. DCCCCXXXVII. Ottonis I.

Otto Magnus Heinrici filius LXXV loco ab Auguſto ab omni populo Francorum & Saxonum in Regem electus regnavit annos XXXVIII. Electus autem apud Aquisgrani, mox ibidem unctus eſt in Regem à Pontifice Mogontino nomine Hildeberto. Unctione verò benedictionis percepta quam ſapientem in regni moderamine, quam fortem in adverſantium certamine, quam ſtrenuum in religione ſe exhibuerit, facile enarrari non poteſt. Primum itaque barbaris ad no-

ad novas res moliendas desevientibus Bolislaus occidit fratrem suum Wentizlaum virum Christianum, regno fidelem & religiosum Dei cultorem. In cujus ultionem cum Rex exercitum mitteret adversus Bolislaum, primò nostri victores extiterunt, deinde pro recenti victoria securiùs agentes, repentina incursione omnes ab eo occisi sunt, & bellum hoc perseveravit usque ad XV Regis Imperii annum, ex eo Regi fidelis & utilis permansit.

Annus Dni. DCCCCXXXIIX. Ottonis II.

Eberhardus Dux Francorum, Giselbertus Dux Lotharingiæ, Wigmannus & improbus Tancmarus conspiravére contra Regem, sed illa iniqua conspiratio sapienter oppressa est: Nam Tancmarus miserabiliter occisus est, cæteri verò suspensi sunt: Eberhardus in exilium missus: Wigmannus pedibus Regis provolutus reconciliatus est, ut plenius post docebimus. Eodem tempore prædictus Rex instinctu & petitione piæ conjugis suæ Edith Reginæ Abbaciam regalem intra urbem Magdeburg fundavit: Sed antequam de hac fundatione pleniùs dicamus, non otiosum putamus, si de tam famosæ civitatis prima fundatione, & unde hoc nomen Parthenopolis sive Magdeburg susceperit, penes traditionem veterum paucis perstringamus. Cæsar igitur ille quondam potentissimus ab Yulo Æneæ filio stirpis dirivatione cognominatus Julius, dictatoris ordine cum Crasso & Pompejo sublimatus Romæ, cum totam Galliam ternæ divisionis Romano Imperio armis subjugandam suscepisset, in has susceptæ gentis partes veniens, tum ut eo tutius cum exercitu pausaret, tum ut circumpositas nationes facilius coërceret, plures competentibus in locis civitates condidit, quarum nonnullas terræ lignique materia circumvallatas plerasque etiam murorum ambitu cinctas munire studuit, quantum opere festinato valuit inhianter accedens multitudo. Inter quas & hanc non infimam ad honorem Dianæ condidit, quæ quia apud gentiles Dea virginitatis stulto errore credebatur, à parthenu, quod Græce virgo dicitur, ipsa parthena quoque vocabatur, sicque à Parthena, id est Diana Parthenopolim, id est Parthenæ urbem appellavit, quod etiam barbarum

barum nomen teſtatur, quia Magdeburg quaſi virginis urbs dicitur: Fecit quoqe idem Cæſar intra urbem ut fertur juxta ripam Albiæ fluminis templum, immo ydolium ejusdem Dianæ ubi ad ſupplementum religionis pluribus virginibus dicatis ſacræ deæ ſtatuit, quæ poſteritas celebravit. Decurſis poſthæc pluribus annis cum ſummæ virtutis Carolus Magnus ſceptrum regni gerens, ut ſuo in loco plenius digeſſimus, Saxoniam continuis bellorum procellis ſubactam ad fidem Chriſti convertiſſet, hujus ydolii aras deſtruxit, & oratorium Prothomartyris Stephani ibi dedicari fecit, & diœceſi Halberſtadenſi ipſam civitatem ſubjecit, ſed jam dicto *Albiæ flumine* jugi impulſu usque ad Eccleſiæ parietes *litus ſuum cavante*, illa tandem corruit, pro qua hanc permodicam, quam usque hodie cernimus, vulgi paupertas erexit. Præfatus autem Imperator Otto magnus & poſt tempora Caroli nulli inter omnes Romana ſceptra gerentibus ſecundus, volens non ſolum ſuæ, ſed & futuræ ætatis generationibus relinquere nominis ſui memoriale celebrandum, ſimulque ob æternæ remunerationis præmium novum hujus civitatis poſuit fundamentum. Volebat enim ibi ſedem Epiſcopalem facere, ſed partem parrochiæ, quæ Halberſtadenſi diœceſi ſubjacebat, à Bernhardo ejusdem Eccleſiæ Epiſcopo, quamdiu ille vixit, impetrare non potuit. Fundavit ergo inibi regalem, ut diximus, Abbatiam in honore beati Petri Apoſtolorum Principis, ac Mauricii egregii Thebeorum ducis, dignique contubernalis illius Innocentii militis fundavit, cujus corpus Rudolffus Rex Burgundionum ei ac Reginæ transmiſſum, regium imò divinum munus donavit, maximam quóque partem corporis ſancti Mauritii & quorundam ſociorum ejus cum plurimis Apoſtolorum martyrum, confeſſorum ac virginum reliquiis in eandem civitatem tranſtulit eodem anno jam dictus Otto Rex glorioſus XI Kal. Octob. Præfecit autem Abbatiæ Annonem virum venerabilem Treviris de Cœnobio ſancti Maximini aſſumtum, transductis inde & aliis fratribus numero & ſanctitate monaſticæ diſciplinæ perfectionem informare ſufficientibus, qui Dominus Anno, poſtquam Abbatiam per annos *quos nos invenire nequivimus*, [vid. tamen DCCCCL] ſtrenue

ſtrenue rexit, Wormacienſis præſul eligitur, eique Othwinus in Abbatia ſubſtituitur.

Annus Dni. DCCCCXXXIX. Ottonis III.

Otto Imperator Brandeburg & Havelberg Epiſcopia fundat, & Mogontini ſuffraganeos eſſe conſtituit. Rodolfus Rex Burgundiæ, & Arnolfus Dux Bajoariæ moriuntur : Eberhardus & Giſelbertus Heinricum fratrem Regis capiunt, eumque aſtutia ſuâ à regis fidelitate disjunctum factioni ſuæ applicant, ſuggerentes ei regnum magis competere in patris regno nato, quam Ottoni ante regnum nato, ſed Otto Rex à Bajoariis ſibi reſiſtentibus reverſus Eberhardum comprehenſum exiliat, iterumque Bajoarios aggreſſus omnes ſibi ſubdidit præter unum filium Arnolfi.

Annus Dni. DCCCCXL. Ottonis IV.

Eberhardus ab exilio remittitur, rurſusque totum regnum rebellionibus & inimicitiis confunditur. Eberhardus enim & Giſelbertus cum Heinrico Regis fratre contra Regem iterato conjurant, & cum eis etiam quidam Eccleſiaſtici viri. Tunc Rege Lotharingienſes, ubi tunc rebellionis ſumma erat, adeunte, Giſelbertus cum fratre Regis tranſitum Rheni Regi prohibere volens, ſociis regis congreditur, Rege interim in alio Reni littore *ante clavos Domini lanceæ ſuæ infixos in oratione proſtrato;* ſed Deo victoriam præſtante, & fratre Regis in brachium inſanabiliter vulnerato plurimisque ſuorum occiſis Giſelbertus, & ipſe frater Regis, fugæ præſidia petunt, quos rex inſequens usque ad capri montem pervenit, & eos in caſtello in eodem monte ſito firmâ obſidione vallavit.

Annus Dni. DCCCCXLI. Ottonis V.

Ludevvicus Rex Francorum, Filius Caroli conſilio inimicorum regis, ſub obtentu requirendi Lotharingiam, quam pater ſuus Carolus Heinrico regi remiſerat, Alſatiam invaſit, ubi quæque poterat plus hoſtiliter quam regaliter geſſit, quod rex Otto non ferens Caprimontem obſidione abſolvit, & Alſatiam petens Ludevvicum regem expulit, quo expulſo, Briſacam caſtellum munitiſſimum obſedit, ubi utrim-

utrimque fortia bella gesta sunt. Unde Fridericus Mogontinensis & Rodhardus Strazburgensis Episcopi, fixis in obsidione tentoriis, relictis ibi omnibus copiis suis, noctu clam aufugerunt & Mettensem urbem adeuntes Giselberto & Heinrico se occursuros, ut conjuraverant, speraverunt. Sed longe aliter eis evenit, quia Giselbertus & Eberhardus juxta Anternacum castellum cum suis Renum transituri, ab Vdone & Conrado Comitibus cæterisque regis fidelibus bellica manu intercepti, Eberhardus occiditur, Giselbertus in Reno submergitur, plurimi ex sociis eorum gladio vel aqua submersi, reliqui verò fugati aut capti sunt. Quo audito Brisacenses castellani regi subduntur, sicque obsidio solvitur. Tunc Rex iterum Lotharienses adiens omnes suo subjecit imperio, sed & fratrem suum projectis armis ad se venientem solita suscepit clementia. Solus Adelbertus Mettensis Episcopus aliquamdiu resistere conatus est : Fridericus Archi-Episcopus ad Fuldam monasterium, & Rothardus Corbejæ monasterio destinantur. Dum hæc aguntur, Tancmarus regi rebellis in Eresburg castello occiditur & ejus complices suspenduntur, Wigmannus frater Hermanni Saxonici Ducis regi reconciliatur. [vid. DCCCCXXXIIX.]

Annus Dni. DCCCCXLII. Ottonis VI.

Heinrico fratri regis Lothariensis Ducatus committitur, qui eodem anno à Lothariensibus expellitur, eique Otto Comes subrogatur, Fridericus Episcopus à Fulda remittitur.

Annus Dni. DCCCCXLIII. Ottonis VII.

Heinricus frater regis cum quibusdam Saxonibus in paschali festivitate, celebrante rege eandem, in Quidelingeburg contra ipsum conspirat, quorum qui Majores videbantur Rex decollari fecit, quosdam verò exilio religavit, fratrem verò suum Inglinheim custodiæ mancipavit, Fridericus Archi-Episcopus, quia conspirationis hujus particeps videbatur, publica se examinatione, perceptione corporis & sanguinis Domini coram populo in Ecclesia purgavit.

Annus Dni. DCCCCXLIV. Ottonis IIX.

Rex natalem Domini Frankenvord celebravit, ubi frater ejus per Rodber-

Rodbertum Mogontinæ Ecclesiæ Diaconum è custodia noctu clam aufugiens, antelucano tempore, Regis ad Ecclesiam euntis pedibus se prostravit, & misericordiam cum pacis osculo obtinuit. Stephanus & Constantinus filii Romani Græcorum Imperatoris ægrè ferentes, se justa patris severitate à juvenili levitate coërceri, dispositis in palatio insidiis, ignorante altero Constantino Leonis Imperatoris filio, patrem de solio deponunt, & tonso ei capite ad vicinam Insulam in cœnobium Monachorum transmittunt. Sol horribilem eclypsin passus est. Ungri à Carantanis graviter cæduntur.

Annus Dni. DCCCCXLV. Ottonis IX.

Stephanus & Constantinus videntes post patris depositionem Constantinum filium Leonis Imperatoris ab omnibus sibi ad imperium præferri, & se jam vix in secundis haberi, cum deliberarent hoc quod patri fecerant, etiam Constantino facere, publicato eorum consilio, cum ad convivium ex condicto consedissent, & de prioratu sedendi inter se consulto decertarent, dato signo à viris Constantini, ambo fratres de solio deturbantur, & tonsis capitibus ad idem monasterium, ad quod patrem miserant, etiam ipsi transmittuntur. Bertholdus Dux Bavvariæ obit, cui Heinricus frater Regis in ducatu successit.

Annus Dni. DCCCCXLVI. Ottonis X.

Ludovvicus Rex Francorum à suis regno expulsus auxilium petens, Regem Ottonem adiit, & ut desideraverat obtinuit. Nam manu valida Rex Galliam intravit, & Remensem urbem & Laudunum aliaque castella perplura firma & munita Ludovvico reddi fecit, ipseque usque Rothomagum hostili manu pervenit, indeque omnibus pene, excepto Hugone Rotberti filio, regni majoribus regi suo subactis, in patriam regreditur.

Annus Dni. DCCCCXLVII. Ottonis XI.

Regina venerabilis Edith Anno XIX, postquam Ottoni matrimonio conjuncta est, *ordinationis* verò suæ anno XI VII Kal. Febr. amarum mortis poculum degustavit, sepultaque est Magdeburg in majori Ecclesia in oratorio Aquilonari. *Conradus Dux Lotharingiæ* Luitgardam

dam filiam Regis in matrimonium ſumpſit. Rex quoque filio ſuo Liudolpho deſponſavit Idam Herimanni Ducis Svevorum filiam communi totius ſenatus conſenſu eum regni conſortem conſtituens ſibique ſuccedere optans.

Annus Dni. DCCCCXLVIII. Ottonis XII.

Synodus Inglinheim XXXIV Epiſcoporum habetur, cui præſidente Marino Epiſcopo, Romanæ Eccleſiæ legato, Reges Otto & Ludovvicus affuerunt. Ubi inter cætera Eccleſiæ negotia cauſa Hugonis, qui Althardum Epiſcopum expellens ſedem Eccleſiæ Remenſis invaſerat, ventilatur, & omnium qui affuerant Epiſcoporum judicio dampnatur.

Annus Dni. DCCCCXLIX. Ottonis XIII.

Hermannus Dux Sveviæ vir ſapiens obit : Taxis Rex Ungariorum in Italiam veniens, decem modios nummorum à Berengario pro reditu accepit.

Annus Dni. DCCCCL. Ottonis XIV.

Rex purificationem ſanctæ Mariæ Franckenford celebravit, inde Wormatiam adiit, ubi viduam prædicti Hermanni ducis ad ſe venientem benignè ſuſcepit, & filio ſuo Liudolfo Ducatum Alamanniæ commiſit. Tunc quoque defuncto Rihgovvo ejusdem civitatis Epiſcopo ſucceſſit illi venerabilis Anno, primus Abbas ſancti Mauritii in Magdeburg, eique in Abbatia ſubſtituitur Otvvinus.

Annus Dni. DCCCCLI. Ottonis XV.

Rex Otto in Italiam iturus multo ſe ad hoc iter apparatu præſtruxit, quam Adelheidam viduam Lotharii Regis Italici filiam Rodolfi Regis, à vinculis & cuſtodia, qua à Berengario tenebatur, liberare, ſibique eam in matrimonium aſſumere & per eam regnum Italicum acquirere deliberavit, quod iter filius ejus Liudolfus anticipans patrique, ſi quid ibi ad ingreſſum ſuum fortiter ageret, placere deſiderans, nil tale ut ſperaverat peregit, ſed potius patrem inconſultum offendens totius inde rebellionis & diſcordiæ ſeminarium ſumpſit. Patruus enim ejus Heinricus Dux omnium honorum ejus invidus, de Bavvariæ legatos ſuos in Italiam præmiſit, omniumque Italicorum ab eo mentes avertit,

in tan-

in tantum ut nec civitas nec caſtellum, quæ ſubſequenter Regis piſtoribus & cocis patuerant, filio Regis aperiretur, omniaque ibi incommoda pateretur. Rex autem ut deſideraverat Deo propitio Adelheidam venerabilem Reginam à cuſtodia liberatam in matrimonium ſumpſit, & nuptias regales regali munificentia Papiæ celebravit, indeque totum regnum Italicum, ſicut optaverat, obtinuit. Tunc Liudolfus Dux hæc omnia ægre ferens. inconſulto patre cum Friderico Archi-Epiſcopo in patriam revertitur.

Annus Dni. DCCCCLII. Ottonis XVI.

Rex expulſo Berengario in patriam rediit, ducemque Conradum ad perſequendum Berengarium in Italia reliquit : Liudolfus dux de Italia reverſus regio ambitu Natalem Domini Saleveld celebravit, ubi Fridericum Archi-Epiſcopum omnesque qui in promtu erant principes ſecum detinens, verbis & donis regalibus rebellare regi perſuaſit: Conrado autem Duce ad perſequendum Berengarium relicto, Berengarius ejusdem Ducis conſilio in Saxoniam ad regem venit, nil tamen proſperum obtinuit, ſed machinatione Heinrici Ducis, fratris regis, vix vita & patria indulta Italiam rediit. Unde etiam Conradus Dux multum offenſus à regis fidelitate defecit : Unde etiam Fridericus Archi-Epiſcopus eidem Duci reconciliatus eſt, nam antea inimicus erat : Eodem tamen anno menſe Auguſto conventus Francorum, Saxonum, Bavvariorum, Svevorum *& Longobardorum* publicus apud Auguſtam Rhetiæ provinciæ urbem agitur, ubi rurſus Berengarius cum filio ſuo Adelberto & uxore Willa vocata, ſe regis dominationi ſubdidit, & reginæ iram ſuplex placavit, & tunc Italiam cum gratia & dono regis accepit regendam, Marca tantùm Veronenſis & Aquilejenſis excipitur & Henrico fratri regis committitur. Igitur rex Otto, poſtquam omnia fere regna, quæ poſt mortem Caroli magni defecerant, ſuo imperio ſubjugavit, in Danos arma convertit. Dani enim tunc rebellare moliti apud Sliaſvvik legatos Ottonis cum Marchione trucidarunt, omnem Saxonum coloniam funditus extinguentes. Ad quam rem ulciſcendam rex cum exercitu ſtatim invaſit in Daniam, transgreſſusque

ſusque terminos Danorum apud Sliasvvick olim poſitos, ferro & igne totam vaſtavit provinciam usque ad *mare noviſſimum, quod Northmannos à Danis dirimit*, & usque hodie à victoria Regis Ottenſund dicitur. Cui egredienti Haroldus Danorum Rex, filius Worm Regis, apud Sliasvvik occurrens bellum intulit, in quo utrisque viriliter concertantibus Saxones victoriâ potiti ſunt, Dani victi ad naves ceſſerunt, tandemque conditionibus ad pacem inclinatis, Haroldus Ottoni ſubditur, & ab eo regnum ſuſcipiens Chriſtianitatem in Dania recipere promiſit. Nec mora baptizatus eſt ipſe Rex Haroldus cum uxore Gunhild, & filio parvulo, quem Rex à ſacro fonte ſuſceptum Sueinotto vocavit. Eodem quoque tempore Daniam ciſmarinam, quam Judland incolæ vocant, Rex Otto ſubjiciens tributo, in tres diviſit Epiſcopatus, & Hamanburgenſi Dyoceſi ſubjecit, unum conſtituens apud Sliasvvik quæ & Heidiba dicitur, quam brachium quoddam Barbari maris alluit, quod incolæ Sliam vocant, unde & civitas Sliasvvick nomen trahit: Ex eo portu naves emitti ſolent in Sclavoniam, vel in Svethiam, vel ad Seland, usque in *Græciam*. Alterum fecit Epiſcopatum in civitate quæ dicitur Ripa, quæ civitas alio cingitur alveo, qui ab Oceano influit, per quem vela torquentur in Freſiam, vel in Angliam, vel in *noſtram Saxoniam*. Tertium Epiſcopatum conſtituit in Arhuſan, & hanc fretum quoddam à Fune dirimit breviſſimum, quod ab Orientali pelago ingrediens longis anfractibus, inter Funem & Judland protenditur in boream usque ad eandem civitatem Arhuſan. A qua navigatur in Funem aut Seland, vel in Sconiam vel usque in Norvvejam. Servantur autem in Bremenſi Eccleſia privilegia Regis, quæ ſignant Ottonem regem in ſua ditione regnum Danicum tenuiſſe, adeò, ut etiam Epiſcopatus ille donaverit.

Annus Dni. DCCCCLIII. Ottonis XVII.

Rex Otto natalem Domini Franckenford celebravit, indeque in Alſatiam progrediens ſocrui ſuæ Berthæ, matri ſcilicet Adelheidis Reginæ, Abbatiam in Exeſtein dedit. Tunc jam animoſitates & conſilia occultè contra eum facta ceperunt palam apparere, ut unusquisque eorum

eorum quæ in corde contexerant aperire. Redeunte enim illo de Alsatia & Inglinheim pascha celebraturo, Liudolfus filius & ejus Conradus Dux fautoribus maximè juvenibus, de Francia, Saxonia & Bavvaria sibi coadunatis conspiraverant, & quascunque poterant munitiones seu castella futuræ seditioni muniebant: Nec enim clam agebatur quò tendebant, sed aperta rebellionis signa monstrabantur. Rex igitur Inglinheim perveniens, paucis suorum secum habitis, non tutum ratus inter hostes pascha celebrare, Mogontiam secessit, ubi aliter quam regem decebat diutius ante portas expectans Friderico Archi-Episcopo jam cum illis conspirante vix urbis ingressum obtinuit. Tunc Liudolfus & Conradus ibi ficta ad eum humilitate venientes nichil talium se in ejus contrarietatem egisse dicebant, sed si Heinricus frater ejus in Pascha Inglinheim veniret, illum se comprehensuros non negabant, quod Rex tranquille ac modeste suscipiens navigio Coloniam, indeque Drotmanni vico deveniens ibi pascha celebravit. Post pascha coadunata fidelium suorum multitudine, iterum Coloniam rediit, ibique Metensem Episcopum, in quo maxima spes & fiducia Liudolfo & Conrado erat, omnesque Lotharienses exceptis paucis, quibus prædæ & rapinæ cordi erant, obvios habuit, & ab inimicis suis deficientes benigne suscepit, & in sua fidelitate firmos & stabiles coadunavit. Quibus dispositis, in Saxoniam revertitur, ubi firmatis nichilominus rebus suis iterum in Franciam hostili manu regreditur. Quo audito, Fridericus Archi-Episcopus Mogontia cessit, & civitatem inimicis regis tuendam commisit, ipseque Brisacam castellum latibulum Deo regique semper rebellantium intravit, totam pene æstatem rei eventum ibi præstolando. Rex autem audiens Mogontiam Metropolim Franciæ regiamque civitatem inimicis suis traditam, collecta fidelium suorum multitudine Francorum, Saxonum & Lotharienſium firma eam obsidione vallavit, sed & frater ejus Heinricus de Bavvaria regi auxilium collaturus advenit, sed plus incommodi ibi quam utilitatis conquisivit. Nam interim Liudolfus Bavvarios ab eo avertit & Ratisbonam intromissus omnes ejus thesauros rapiendos distribuit. Quæ ejus incommoda

moda rex ſuis præponens Mogontiam obſidione abſolvit, & in Bavvariam iter dirigens Ratisbonam obſedit, Bajoarii autem regi reſiſtere non valentes, nam paulo ante ab Ungariis non parum bello læſi fuerant, petunt pacem & inducias, ut locus eſſet dandæ pro ſe rationis. Pax igitur usque XVI Kal. Jul. firmatur & conventus publicus tunc apud curinam futurus indicitur. Eodem anno Wigfridus Colonienſis Archi-Epiſcopus obit, cui Bruno frater regis ſuccedens, totius Lotharienſis regni ducatum cum Epiſcopatu ſuſcepit, qui quantus qualisve fuerit apud Deum & homines, ediſcat lector in vita ipſius quam *Rotgerus* luculenter deſcripſit.

Annus Dni. DCCCCLIV. Ottonis XIIX.

Rex omiſſa obſidione natalem Domini in Saxonia celebravit: Fit deinde univerſalis populi conventus tempore & loco conſtituto, ubi Liudolfus pro ſe rationem redditurus procedens ait: Conductos adverſum me pecuniâ fateor obtimui, ne me mihique ſubjectos læderent, ſi in hac parte culpabilis prædicor, ſciant me omnes hoc non voluntarie, ſed ultima neceſſitate coactum feciſſe. Poſthæc quoque Pontifex Fridericus pro ſe rationem redditurus intravit, dixitque ſe nunquam contra regem ſenſiſſe vel egiſſe, timore coactum à Rege diſceſſiſſe, quia eum pravorum delatione ſibi iratum cum ſenſiſſet, ſe innocentem graviſſimis accuſationibus obrutum, de cætero quæcunque rex imperâſſet judicio ſe expurgaturum & fidem deinceps ſervaturum: Ad hæc rex reſpondit: A vobis ego non exigo judicium neque juramentum, niſi pacis & concordiæ, & hoc dato, in fide ac pace eum dimiſit. Liudolfus autem cum nullatenus ad pacis conditionem inclinari potuiſſet, proxima nocte cum ſuis à rege diſcedens Ratisbonam cum exercitu intravit: Rex autem ſequens filium & urbem offendens quæ dicitur Roſſedal, obſedit eam factaque eſt ibi pugna magna nimis, multis ex utraque parte cæſis pluribusque ſauciatis crepuſculum diei prælium diremit. Die ſequenti rex non utile arbitratus ibi diutius morari ad majora tendentibus, recenti prælio attritum exercitum inde abſtraxit, triumque dierum itinere proinde ad Ratisbonam

bonam pervenit, & eam obsidione vallavit : Urbanis autem machinas muris applicari viriliter prohibentibus satis dure frequenter ab utrisque pro muris pugnatum est. Cumque diu in hunc modum obsidio protraheretur, coacti sunt obsessi de belli negotiis aliquid altius actitare. Arbitrati sunt enim, si ad id cogerentur, pejus esse fame torqueri, quam in acie strennuè mori. Placuit itaque, ut equites quasi impetum in castra facturi de porta occidentali erumperent, & alii interim naves ascendentes per flumen urbi contiguum, dum equestri prælio pugnaretur, castra armatis deserta invaderent. Ad quod agendum cum urbani signo nolæ congregarentur, hostes in castris hujus rei non ignari, ipsi quoque non segniter præparantur. Cumque equites in erumpendo moram facerent, navigantes ab urbe longius elapsi, exilientes de navibus in castra irruunt, ubi armatos offendentes ab ipsis circumfusi undique cæduntur. Alii naves ingredi volentes, sed nimio timore perculsi deviantes flumine absorbentur, alii naves plus æquo ingressi nichilominus demerguntur, adeo ut vix pauci de pluribus superessent, equites verò subsequentes ab equitibus victi fugatique in urbem coguntur. Sic ergo urbani crebris præliis triti, fame quoque pericitari ceperunt, unde egressus urbe Liudolfus cum principalibus viris pacem postulat, sed non impetrat, quia patri obedientiam negat. Ingressus verò urbem, Geronem Comitem portam Orientalem obsidentem armis temptat, cumque ab horâ tertia usque in horam nonam acriter pugnaretur, Arnolfus junior, Arnolfi Ducis filius, ante portam urbis equo cui insederat cadente armis exutus telisque perfossus occubuit. Cujus morte urbani satis confusi, iterum de pace tractabant. Interventu deinde Principum, tertium Liudolfus cum sociis urbe egressus, dum mense integro & dimidio obsideretur, pacem obtinuit usque ad concilii diem apud Frideslare constitutum. Rege igitur in patriam redeunte Ratisbona proximâ nocte pene omnis concremata est. Cumque Rex exercitandi gratia venationem ageret in loco, qui dicitur Suveldun, Liudolfus adveniens nudis pedibus illi prosternitur intimâ tactus pœnitentia & oratione flebili primum patris, deinde

omnium præſentium lacrymas extorquet. Amore itaque paterno ſuſceptus in gratiam, ſpondet ſe obtemperaturum omni paternæ voluntati, ducatumque ſuum patri reddidit, quem Burchardus ſuſcepit. Dux autem Conradus Dei & Regis transfuga ad Ungarios ſe conferens eos in Lotharingiam usque ad Carbonariam ſilvam perduxit, & virtute Dei apud Lobias contra eos oſtenſa ultra prodire prohibiti, impunè redeunt. Eodem anno Fridericus Mogontinus Archi-Epiſcopus obit, vir apud Deum & homines valde laudabilis, excepto, quod ſicubi vel unus Regis inimicus emerſit, ipſe ſe ſtatim ſecundum apposuit. Cui ſucceſſit Regis filius Willehelmus à populo & Clero in *Arneſtadt* concorditer electus. Ratherius bis Epiſcopatu Veronenſi depulſus, Leodicenſium Epiſcopus ordinatur per Brunonem Archi-Epiſcopum poſt Farabertum. Lodewico Rege Francorum mortuo, Lotharius fillus ejus ex Gerberga Ottonis Regis ſorore regnavit annos XXXII.

Annus Dni. DCCCCLV. Ottonis XIX.

Ungarii ductu Conradi Ducis iterum regnum Ottonis Regis depopulaturi cum tanta multitudine advenerunt, ut niſi terra eis dehiſceret, vel cœlum eos obrueret, à nullo ſe vinci poſſe dicerent; quod cum Rex audiſſet, quaſi nil laboris præterito bello tolerâſſet, cepit ire contra hoſtes, ſumptis ſecum admodum paucis ex Saxonibus eo quod bellum Sclavonicum jam illos urgeret. Caſtris igitur poſitis in confinio Auguſtanæ urbis, Conradus Dux ab Ungariis refugiens ad Regem pœnitendo venit, tanta ductus pœnitentia, ut Deum oraverit, ut pro pœna perfidiæ ſuæ in ipſo bello ab Ungariis perimeretur. Omnium igitur quas habuit divitiarum nudus omiſſo ducatu in gratiam regis recipitur, vita & patria & prædio ſuo contentus. Occurritque ibi Regi exercitus Francorum & Bavvariorum. Cum prævalido quoque equitatu venit in caſtra prædictus Conradus, cujus eventu erecti milites jam optabant non differre certamen, erat enim naturâ audacis animi & quod rarum eſt audacibus, bonus conſilio, & dum eques & dum pedes iret in hoſtem, bellator intolerabilis, domi militiaque clarus.

rus. Jejunio ergo in castris prædicato jussum est omnes in crastino paratos esse ad bellum. Primo diluculo ordinatus exercitus procedit de castris octo tantum legiones habens erectaque signa sequens. Primam & secundam & tertiam legionem direxerunt Bavvarii, quibus præfuerunt præfecti Ducis Heinrici. Nam ipse bello interim aberat, infirmitate detentus, qua & mortuus est. Quartam ordinavêre Franci, quorum Rector erat Dux Conradus. In quinta quæ erat maxima, quæ & dicebatur regia, ipse Rex princeps erat vallatus electis militum millibus : Sextam & septimam tenuerunt Svevi, quibus præfuit Dux Burchardus, cui nupserat filia fratris Regis. In octava erant Boëmi, electi milites armis potius instructi quam fortunâ, in qua & sarcinæ omnes ac impedimenta quæque, quasi ipsa esset tutissima, quæ esset novissima. Sed aliter quam arbitrati sunt eis evenit. Nam Ungarii nichil cunctantes Lech fluvium transierunt circumeuntes exercitum extremam legionem sagittis lacessere ceperunt, & impetu cum ingenti clamore facto aliis cæsis & captis, sarcinis omnibus potiti, cæteros legionis illius armatos fugere compulerunt. Similiter septimam & sextam agressi, plurimis occisis, reliquos in fugam verterunt. Rex autem cum intellexisset bellum ex adverso esse & post tergum novissima agmina periclitari, misso duce cum quarta legione captivos eripuit, præda excussit, hostium agmina fudit, sicque victor Dux Conradus ad Regem rediit. Postera die, quæ tunc erat festivitas Christi Martyris Laurentii, Rex Deo humiliter prostratus, seque solum præ cæteris culpabilem Deo professus, hoc fecit profusis lacrymis votum, ut in civitate Merseburgensi Episcopatum in honore victoris ignium construeret, *domumque suam magnam noviter ibi inceptam* sibi ad Ecclesiam ædificaret, si intercessione tanti præconis sibi vitam & victoriam dare dignaretur : Nec mora erectus à terrâ post missæ celebrationem susceptamque communionem, sumsit Rex clypeum & sacram lanceam, suosque breviter allocutus, primus in hostes impetum fecit, eorumque agmina perrumpens fortissimi militis ac optimi Imperatoris officium strenuè gessit. Hostium audaciores primum resistentes, ut socios

ſocios viderunt terga vertere, obſtupefacti noſtrisque intermixti extinguuntur. Alii equis fatigatis villas proximas intrant, circumfuſique armatis cum ipſis villis pariter concremantur. Alii flumen contiguum transnatantes, dum ripa altior aſcendentes non recipit, undis obvoluti pereunt. Dux verò Conradus dum fortiter pugnans animi fervore ſolisque ardore, qui eo die nimius erat accenſus, æſtuaret, loricæ vinculis ſolutis dum auram captat, vulnere ſagittæ adverſo gutturis defixæ ſecundum votum ſuum ibi occubuit. Proſtratis igitur usque in veſperam hoſtibus caſtra eorum invaſa captivique omnes erepti ſunt. Sic tandem cæde peracta, qua tantum attenuati ſunt Ungarii, ut nec quidem ultra jam mutire auſi fuerint, Rex cum victrice turba pratis virentibus conſidens, populum recenſens, Conradum Ducem generum ſuum militem egregium ibi oppetiiſſe comperit, cujus corpus merito defletum, aromatibusque conditum, Wormatiæ miſit tumulandum. Ipſe verò in Saxoniam reverſus, quantâ laude & gloria à matre ſua, ac cunctis principibus omnique lætantium ſexu & ætate ſuſceptus ſit, nullius, ut reor, lingua explicare ſufficit. Deinde matri cæterisque familiaribus ſuis Rex pandens votum ſuum ad id perficiendum eorum obnixè petiit conſilium. Abbatiam quoque quam in Magdeburgenſi civitate conſtruxerat variis & multiplicibus rebus, incipiens Eccleſiam mirum in modum in loco, ubi ſancta requieſcit Edith, juxta quam & ipſe poſt obitum ſuum pauſare optavit. Quicquid in prædiis, vel rebus in aliis promiſſo contraxit, in tempore totum hoc Deo militique ejus Mauritio conceſſit heredi. Pretioſum quoque marmor cum auro gemmisque ad Magdeburch adduci & in omnibus columpnarum capitellis ſanctorum reliquias diligenter includi juſſit: Eodem anno Ratherio ab Epiſcopatu Leodicenſium ejecto Baldericus ſubſtituitur.

Annus Dni. DCCCCLVI. Ottonis XX.

Rex in pace & otio degens, maximo ſuorum fidelium conventu Coloniæ placitum regale habuit: Eodem anno Luidolfum in Italia ad deprimendam Berengarii tirannidem dirigens, in brevi expulſo Berengario totius penè Italiæ poſſeſſor efficitur. Brun Archi-Epiſcopus

pus Colonienſis frater Regis cœnobium ſancti Pantaleonis conſtruxit.

Annus Dni. DCCCCLVII. Ottonis XXI.

Rex iterum Sclavos hoſtiliter invaſit. Liudolfus filius Regis in Italia moritur, cujus corpus inde translatum, à venerabili Archi-Epiſcopo Wilehelmo fratre ejus Mogontiæ apud ſanctum Albanum honorifice tumulatum eſt. Brun Archi-Epiſcopus Colonienſis plures Northmannorum cum principibus eorum baptizari fecit.

Annus Dni. DCCCCLVIII. Ottonis XXII.

Rex paſcha celebravit in Inglinheim, unde navigio Coloniam placitum ibi acturus venit. Eo anno ſignum crucis in veſtimentis hominum apparuit, illis qui deriſui illud habebant, mortem inferens, illis verò qui hoc pie & religioſe venerabantur nichil nocuit.

Annus Dni. DCCCCLIX. Ottonis XXIII.

Rex iterum Sclavos invaſit, ubi Thietmarus occiditur. Legati Helenæ Rugorum Reginæ, quæ ſub Romano Conſtantinopolitano Imperatore Conſtantinopoli baptizata eſt, ficte, ut poſt claruit, ad Regem Ottonem venientes. Epiſcopum & presbyteros eidem genti ordinari petebant. Quod ille audiens nimium gaviſus conſenſit deprecationi eorum, fecitque eis ordinari venerabilem & Catholicum virum Libuſus XV Kal. Martii diem clauſit extremum, cui Adelbertus ex cœnobitis ſancti Maximini, machinatione & conſilio Willehelmi Archi-Epiſcopi licet meliora in eum confiſus fuerit & nichil unquam in eum deliquerit, peregrè mittendus in ordinatione ſucceſſit, quem piiſſimus Rex ſolita ſibi miſericordia omnibus quibus indigebat copiis inſtructum genti Rugorum honorifice deſtinavit. Sed & hic nichil in his, ad quæ miſſus fuerat, proficere valens & inaniter ſe fatigatum videns, revertitur, & quibusdam ſuorum in redeundo occiſis ipſe cum magno labore vix evaſit, adiensque Regem, caritativè ſuſcipitur, & à Deo amabili Willehelmo Archi-Epiſcopo pro retributione tam incommode ab eo ſibi machi-

 natæ

natæ peregrinationis, bonis omnibus & commodis quaſi frater à fratre amplectitur & ſuſtentatur.

Annus Dni. DCCCCLX. Ottonis XXIV.

Rex natale Domini Franconofurd celebravit : Gallia & Germania jam bene pacata intendens idem Rex fortisſimus & Italiam pacare, præſertim ad hoc eum anxiè evocantibus Papa Johanne cæterisque Italiæ Epiſcopis. Subjiciens itaque ſuo Imperio univerſos Sclavorum populos, quos pater ſuus uno grandi domuerat bello, ipſe deinceps tanta conſtrinxit virtute, ut tributum & Chriſtianitatem pro vita pariter & patria victori libenter offerrent. Baptizatusque eſt in Sclavonia totus gentilium populus, ædificatæ Eccleſiæ, monaſteria etiam virorum ac mulierum Deo ibidem ſervientium plurima conſtructa ſunt. Tunc *Sclavonia in duodeviginti pagos diſpertita* ad Chriſtianam fidem fertur omnes fuiſſe converſos, *absque tribus*. Pax fuit continua, Slavi ſub tributo ſerviverunt.

Annus Dni. DCCCCLXI. Ottonis XXV.

Regnante ſerenisſimo Imperatore Ottone anno regni ejus XXV præſentibus misſis univerſalis Papæ Johannis : Johanne ſcilicet Archidiacono ſanctæ Romanæ Eccleſiæ & Azone Protoſcriniario cum XIII Epiſcopis vocantibus eum contra ſeverisſimam Berengarii filiorumque ejus inſaniam, quam ſuper ſpecialis poteſtatis exercuerat imperium. In vigilia nativitatis Domini corpus ſancti Mauritii & quorundam ſociorum ejus, inſuper & plurimorum reliquiæ ſanctorum Apoſtolorum: item Martyrum confeſſorum, atq; ſcripturarum præfato regi glorioſisſimo Ratisponæ allatæ ſunt. Celebrata igitur ibidē nativitate Domini, accelerato Romam itinere venit, ibique à ſummo Pontifice honorificè ſuſceptus, auguſtalis ſedem principatus ſuperſedit & pro tantæ dilectionis præmio aucta ſuper eum ſummi Pontificis benedictione IV Non. Febr. Imperator & Auguſtus appellatur. Eodem anno conſenſu & unanimitate regni procerum, totiusque populi filius ejus Otto in regem eligitur, omniumque Lotharienſium electione Aquis Rex ordinatur. Eclipſis Solis XVI Kal. Jun. facta eſt.

Annus

Annus Dni. DCCCCLXII. Ottonis XXVI.

Imperator Romam egreſſus, Papiæ paſcha celebravit, indeque progreſſus Berengarium tyrannum in quodam monte, qui dicitur ad ſanctum Leonem, conjugemque ejus nomine Willam in Inſula quadam, quæ dicitur ad ſanctum Julium, [Felicem] timore Imperatoris incluſam Deo propitio celeriter capit, mittensque eos in caſtellum Bavenberch dictum, ubi & præſentem vitam finierunt, totius Italiæ poſſeſſor efficitur. Eodem anno reliquiæ ſanctorum Martyrum Fabiani, Euſtachii, Pantaleonis, Ypoliti, Eugei, Miniatis, Valentis & corpus ſanctæ Laurentiæ virginis à prædicto Imperatore Quidilingeburgenſi civitati transmiſſæ, religioſisſime ſuſceptæ ſunt.

Annus Dni. DCCCCLXIII. Ottonis XXVII.

Imperator iterum Papiæ natale Domini & paſcha celebravit. Interim Adelbertus filius Berengarii ſupramemorati Regis Longobardorum circumquaque diſcurſans, tandem Corſicam ſe tueri nitens intravit, Romanumque Pontificem tum per ſe, tum per internuncios in ſuum adjutorium multipliciter ſollicitabat. Tandem petitionibus atque muneribus victus isdem Pontifex Johannes fidelitatem jam dudum Imperatori factam oblivioni tradidit, prædictum Adelbertum Romam intromittens, quas doloſitatis ejus fraudes Imperator agnoſcens cum milite armato Romam verſus pergit continuo, cujus ipſi metuentes adventum plurimum ſancti Petri rapientes theſaurum fugæ ſubſidia petunt. Tunc Romani in plura diviſi, partim Imperatori faventes, partim Apoſtolico blandientes, licet diverſa ſentirent: Imperatorem tamen debito cum honore urbem intromittunt, datisque obſidibus ſe per omnia illius ditioni ſubjungunt. Imperator verò plurimorum collecta multitudine Epiſcoporum Synodum coadunavit, miſſaque legatione aufugam Apoſtolicum Canonica autoritate ad ſedem Apoſtolicam remeare præcepit: Illo tamen hoc omnimodis renuente, plebs Romana Leonem protoſcriniarium virum ſtrenuum & induſtrium, communi conſenſu in locum ejus elegit, & præſentibus ferè omnibus Romaniæ & Italiæ Epiſcopis ordinavit. Poſthæc

hæc Johannes, qui & Octavianus, videns ſe Pontificatu orbatum, ſera pœnitentia ductus ab Adelberto disjungitur, Adelbertus verò in Corſicam revertitur, Imperatoris præſentiam ad tempus latere deſiderans.

Annus Dni. DCCCCLXIV. Ottonis XXVIII.

Imperator natale Domini Romæ celebravit. Romani iterum ab Imperatore ſolito more deficientes pluribus caſtellanis extrinſecus ſibi per conjurationem adjunctis, eum occidere moliebantur, ſed patefactis eorum inſidiis necem ſibi paratam anticipans III Non. Januar. cum pauciſſimis ſuorum eos aggreſſus non modicam illorum multitudinem infra urbis muros proſtravit. Die verò ſequenti Romani iterum venientes, centum obſides dederunt, ſupraque corpus beati Petri ſub jurejurando fidelitatem Imperatori ac Papæ Leoni promiſerunt. Imperator autem plenam adhuc apud illos ebdomadam manens, Spoletinum & Camerinum ducatum ordinaturus exivit, & ad pedes Leonis Papæ obſides Romanis remiſit. Sed his beneficiis ingrati, non longe illo ab urbe poſito, Johannem ſupramemoratum urbi intromittentes, fidem Imperatori & Apoſtolico promiſſam violare non metuunt, ſed idem Papa Leo omnium facultatum nudus, vix cum paucis evadens, Imperatorem in Camerino Ducatu poſitum adiit, ibique cum eo paſcha celebravit. Johannes autem, qui & Octavianus, Johannem Diaconum & Azonem protoſcriniarium crudeliter detruncavit, Ottgerum quoque Spirenſem Epiſcopum comprehenſum & flagellatum, aliquamdiu licet incommode ſecum detinuit, ſed poſtea eum ſpe impetrandæ ab Imperatore veniæ remiſit. Quæ ſpes divina eum ordinatione fefellit: Nam V Idus Maji rebus humanis exceſſit: Romani verò Imperatores adventum non modice metuentes, Benedictum quendam Romanæ Eccleſiæ Diaconum fidei & electionis Domini Leonis immemores eligunt, ordinatumque ſedi Apoſtolicæ imponunt, quo comperto Imperator, collecta undiqueſſecus ſuorum fidelium multitudine, firmâ Romam obſidione ne quis pateret exitus ex omni parte munivit. Præfatus autem Benedictus falſo nomine

Apoſto-

Apoſtolicus Romanos diutius ad reſiſtendum Imperatori animavit, ipſique Imperatori ſuisque fidelibus excommunicationem comminans, muros urbis aſcendit. Ad ultimum Romani fame atque obſidione conſtricti ſe errâſſe, inque Imperatorem injuſte deliquiſſe pœnitentes, in vigilia præcurſoris Domini portas urbis aperiunt intromiſſoque Imperatore debito cum honore Benedictum ſacrilegum Imperatoriæ ditioni reddunt & Dominum Leonem ſedi Apoſtolicæ reſtituunt. Isdem autem Leo coadunata multorum Epiſcoporum Synodo prædictum Benedictum Apoſtolicæ ſedis invaſorem ab invaſo gradu dejectum, pallium Pontificale, quod ſibimet impoſuerat, abſcindens, ferulamque paſtoralem manu ejus arreptam coram omnibus in fruſta confringens, ad preces Imperatoris diaconatus tantum gradu eum uti conceſſit. Celebrata igitur ibidem beati Johannis Baptiſtæ nativitate, à ſanctorum Apoſtolorum feſtivitate Imperator urbem egreſſus infeliciori, quam ſperaverat, omine in redeundo fruitur : Nam tanta exercitum ejus peſtis & mortalitas invaſit, ut vix vel ſanus quis à mane usque ad veſperam, vel à veſpera usque ad mane ſe victurum ſperaverit. Tandem miſeratione divinâ ceſſante peſtilentia, Imperator Liguriam pervenit, ibique autumnali tempore pace vacans & otio ſe venationibus exercitabat.

Annus Dni. DCCCCLXV. Ottonis XXIX.

Otto Imperator Longobardiam egreſſus Franconofurd venit, totumque annum illum degens in regno Francorum interim omnes ad pacem & concordiam adunavit. Benedictum quoque ſuperius memoratum Adaldago Archi-Epiſcopo cuſtodiendum committens, ſecum vexit in Franciam : Corpus etiam ſanctæ Juſtæ virginis idem Rex religioſus honorifice transmiſit in Saxoniam, Halverſtadenſis Eccleſiæ baſilica II Kal. April. cecidit. Eodem anno Dominus Leo Papa obiit. Brun quoque Dux & Archi-Epiſcopus Agrippinæ civitatis frater Imperatoris ad pacificandos nepotes ſuos in Franciam pergens, ubi compendium venit, febre correptus Remis redit, ubi quicquid habuit jure mancipii delegato per teſtamentum Eccleſiis ſanctorum vitâ diſcef-

diſceſſit. De hoc venerabili Antiſtite cuidam ſacerdoti oſtenſa eſt viſio talis ; Isdem Sacerdos cum diu fideliter Imperatori ſerviret, nimium infirmatus & in extaſi effectus, in montem excelſum ducitur, ubi civitatem magnam pulchraque ejus conſpicatur ædificia. Inde perveniens ad turrim arduam, laborioſos ejusdem ſcandit aſcenſus, in cujus ſummitate Chriſtum cum ſuis omnibus videre meruit. Ibi Brun Archi-Epiſcopus ob inanem Philoſophiæ executionem à ſummo judice accuſatus, ſed à beato Paulo Apoſtolo defenſus iterum intronitatur: Eodem fere tempore legati Romanorum Azo videlicet protoſcriniarius & Marinus Sutrienſis Eccleſiæ Epiſcopus, Imperatorem pro inſtituendo quem vellet Romano Pontifice in Saxonia adeuntes honorifice ſuſcipiuntur, & remittuntur. Otgerus etiam Spirenſis Epiſcopus & Liuzo Cremonenſium Epiſcopus cum eisdem Romam ab Imperatore diriguntur. Eligitur ergo ab omni populo Romano Johannes Narnienſis Eccleſiæ Epiſcopus ſedique Apoſtolicæ intronizatur, ſed isdem Johannes dum majores Romanorum elatiore, quam oporteret, animo inſequitur, in brevi inimiciſſimos patitur. Nam ab urbis præfecto & à quodam Rothfredo comprehenſus, & urbe expulſus, in Campania cuſtodiæ mancipatur.

Annus Dni. DCCCCLXVI. Ottonis XXX.

Imperator natale Domini Coloniæ celebravit, ibique omnia Lotharienſis regni negotia pro libitu ſuo diſponens, Erkanberto Wizinburgenſis cænobii Abbate jam defuncto, Adalbertum Rugis jam antea ordinatum Epiſcopum electione Monachorum eidem Monaſterio præfecit. Poſt hæc habito Wormatiæ cum omnibus Regni majoribus concilio, feſtinus alpium juga transgrediens Italiam intravit, cujus adventum Romani metuentes, Rothfredo ſupra memorato jam defuncto, Johannem Apoſtolicum à cuſtodia, qua tenebatur, abſolvunt, veniamque pro malis, quæ ei ingeſſerant, poſcentes ſedi ſuæ debito cum honore reſtituunt. Eodem anno Berengarius quondam Rex Italiæ exul moritur, ac regio more Bavenberch ſepelitur, cujus vidua Willa, antequam ſepeliretur, velum ſanctimoniale aſſumpſit.

Annus

Annus Dni. DCCCCLXVII. Ottonis XXXI.

Imperator Romæ natale Domini celebravit, exceptoque præfecto urbis qui aufugerat. XIII ex majoribus Romanorum, qui auctores expulsionis Domini Johannis Papæ videbantur, suspendio interire jussit. Posthæc Ravennam adiens ibique Pascha cum Domino Johanne Papa celebrans, habita Synodo utilitati sanctæ Ecclesiæ in multis prospicere studuit, reddiditque prædicto Apostolico urbem & terram Ravennatium, aliaque complura multis retro temporibus Romanis Pontificibus ablata. Eodem tempore misit legatos suos Willehelmo Archi-Episcopo Mogontino, aliisque principibus regni præcipiens eis filium suum Ottonem cum omni regali dignitate in Italiam ducere, ubi illum pater suscipiens honorificè Romam perduxit, quem Johannes Apostolicus sua benedictione augustum fecit. Commorante autem adhuc apud Ravennam eodem Imperatore glorioſissimo, legati Nichophori Græcorum Imperatoris venerunt, honorifica secum munera ferentes, & pacem ab eo vel amicitiam poscentes. Quibus honorabiliter susceptis decenterque remissis, Dominus Imperator Nuncium suum eidem Imperatori Græcorum direxit pro conjungenda in matrimonium filio suo Ottoni Regi, privigna ipsius Nichophori, filia scilicet Romani Constantinopolitani Imperatoris. Eodem anno Willehelmus filius Imperatoris sereniſſimi Ottonis Archi-Episcopus Mogontinus, cui cura à patre suo commissa fuerat Parthenopolim disponendi, cum ægrotantis matris finem, venerabilis scilicet Reginæ Machthildis, expectaret, in Redulverothe VI Non. Martii moritur.

Annus Dni. DCCCCLXIIX. Ottonis XXXII.

Insigniſſima regina Machthild Imperatoris genitrix, optimatum ac Principum dominatrix, pauperum egenorumque consolatrix, monasteriorum constructrix, ovibus materno lacte pro Christo hactenus à se nutritis II Id. Martii corporali specie subtracta est. Quæ piis admodum studiis adornata, ut è plurimis pauca referamus, cœnobium sanctorum confessorum Dionysii & Servatii in monte Quidilingburgensi situm, alterum in eadem civitate sub honore sanctorum Jacobi Apo-

stoli

ſtoli & Wicberti confeſſoris in curte regia, tertium ſanctæ Dei genitrici Mariæ in Northuſun, quartum in Aggeri ſancto Dionyſio, quintum iterum ſancto Servatio in Polithi, plena religione conſtruxit. Et licet omnium ſtatus Eccleſiarum, quas vel nunciis inviſere, vel per ſe ipſam poterat adire, totis viribus opibusque curaret ſuſtentare, hæc tamen quæ prædiximus monaſteria quaſi propriori quodam affectu ſibi ſuoque nomini ſingulariter aſſcripta, fovere non deſtitit omnigenis commodis. Eodem anno Bernhardus venerabilis Epiſcopus præſenti luce exceſſit, in cujus locum Hildiwardus Dei famulus à clero ſimul & ab omni populo electus paſtorali culmine ſubrogatur, vir ſummæ caſtitatis ac caritatis & ultra humanum modum humilitatis ac patientiæ, virtute laudabilis. Hujus Hildiwardi pater Ericus nomine Ottonem Imperatorem quibusdam aliis ſibi ſociatis Quidlingeburch in paſcha occidere volens, ab eodem decollari juſſus eſt. Luitharium verò Comitem ejusdem conſilii participem idem Imperator perdere volens, ſed devictus conſilio principum eidem familiarium, captum eum miſit in Bavvariam ad Comitem Bertoldum, ablatis rebus omnibus ac latè diſtributis usque in annum integrum, poſtea Regis gratiam ſuaque omnia cum magna pecuniâ, & prædio in Sonterslevo & in Wodenefwege jacenti acquiſivit, poſtquam autem in Dominum ſuum Regem taliter deliquit, culpam hanc abluere ſedulo cogitans monaſterium in loco, qui dicitur Walbizi, in honore ſanctæ Dei genitricis conſtruxit, concedens fratribus ad victus veſtitusque neceſſaria, decimam hæreditatis ſuæ partem. Hujus Comitis uxor Machthild dicebatur, quæ genuit ei duos filios Sigfridum & Weirnharium. Sigifrido conjuncta eſt in matrimonio Kunigundt ſoror Heinrici, Sigifridi & Udonis, qui navali prælio contra Northmannos dimicantes victi ſunt & capti. Hæc genuit viro ſuo quinque filios, Thietmarum, Sigifridum, Brunonem, Heinricum & Frithericum. Ex quibus duo, Sigisfridus ſcilicet & Bruno, Abbatiæ ſanctæ Johannis Baptiſtæ Magdeburch præfuerunt, poſtmodum verò Sigifridus Monaſterienſis Eccleſiæ, Bruno Verdenſis, Thietmarus Merſeburgenſis Epiſcopi facti ſunt, Heinricus autem Comitatum

tum patris obtinuit. Fridericus præfecturam in Magdeburg amministravit. Quidam Ottonis Imperatoris familiaris ante oculos omnium à Diabolo arreptus, ita ut seipsum decerperet, jussu Imperatoris ad Papam Johannem adductus, ut catena sancti Petri collo ejus circundaretur, dum à fallacibus clericis semel & bis alia catenâ furenti adhiberetur, nec quicquam remedii proveniret, ubi nichil erat virtutis; tandem vera sancti Petri catena allata, & collo furentis adhibita, Diabolus spumans & multum clamans abcessit. Quam catenam Theodericus Metensis Episcopus arreptam cum diceret, se eam non nisi manu abcisâ dimissurum, tandem Imperator sedato litigio à Papa Johanne optinuit, ut anulum hujus catenæ exsertum Episcopus mereretur.

Annus Dni. DCCCCLXIX. Ottonis XXXIII.

Magdeburgense Archi-Episcopium ab Ottone Christianissimo Imperatore fundatur, anno regni sui XXX, Imperii verò VI, atque Adelbertus primus ibidem Episcopus ordinatur, qui primitus Ruscis ad prædicandum directus vix evasit. Et quomodo in superioribus hujus opusculi de fundatione istius tam inclitæ, tamque famosæ civitatis, prout potuimus, disseruimus, de fundatione etiam Archi-Episcopatus in eadem civitate aliquid differere, utilitati legentium censuimus esse proficuum. Anno igitur incarnationis Dominicæ plus minusve nongentesimo sexagesimo septimo, regnante Ottone Imperatore Augusto, Christianæ religionis ac divinæ servitutis propagatore sollertissimo, ejusdem Imperatoris industriâ habita est synodus Ravennæ in suburbio in Ecclesia beati confessoris & Episcopi Severi residentibus Domino Johanne summo & universali Pontifice, & pluribus Italiæ, Germaniæ, ac Galliæ præsulibus, & de statu Ecclesiæ tractantibus, astante etiam innumerabili Clero & populo. Idem ergo Serenissimus Imperator Augustus Otto, qui eandem sanctam Synodum ob communem imperii sui salutem congregaverat, plurimas Sclavorum nationes ultra flumen Albiæ in confinio Saxoniæ multo se labore & maximis sæpe periculis ad Christum convertisse coram omnibus retulit. Et quia rudes & nec dum stabiles erant, qua tuitione, quave custodia & cottidiana sollicitu-

licitudine in fide corroborari deberent, ſanctam ſynodum conſuluit, rogans ut quod ipſe ſummo ſtudio Deo mancipaverat, paſtorum negligentia ad vomitum redire non ſineret. Hujus dignam relationem, & tantam fidei confeſſionem ſancta ſynodus benigna aure ſuſcipiens, Deoque in his omnibus gratias agens, tot Sclavorum populos ad Deum noviter converſos, non niſi per Epiſcopos in convenientibus locis in unaquaque eorum provincia ſecundum populi quantitatem & rationabilem terræ diviſionem conſtituendos ad hoc animari atque erudiri poſſe cenſuit, & ratum æſtimavit. Ad quod agendum ut major firmitas & tutior in Epiſcopis ordinandis ſit oportunitas, Archi-Epiſcopum, ad quem negotium ſuum & controverſiam, ſi qua orta fuerit, quaſi ad caput referre & diſcutere valeant, eis conſtitui atque proponi communi deliberatione cenſuit, & hoc ejus judicio & diſcretione, in quo maxima reparandæ & confirmandæ religionis poſt Deum fiducia erat, fieri debere omnino judicavit. Eſt præterea civitas in parochia Halberſtadenſis Epiſcopii Magdeburch dicta, in confinio Saxonum & Sclavorum in ripa prædicti fluminis Albiæ, in qua isdem Sereniſſimus Cæſar populi multitudinem adunavit, Eccleſias conſtruxit plurimorumque martyrum beati ſcilicet Mauritii & Innocentii aliorumque innumerabilium corpora ſanctorum illuc transferens, canonicosque inibi Deo famulantes conſtituens, ad eorundem victum & Eccleſiæ utilitatem, caſtra, villas, prædia, decimasque cum univerſis adjacentiis affluenter ex proprio conceſſit. Placuit ergo omnibus apud prædictam civitatem Magdeburch archi-epiſcopalem fieri cathedram, eò quod hæc in confinio Sclavorum, ut prædiximus, loco videretur oportunior, & in ejus propagatione voluntas Imperatoris eſſet amplior. Ad hæc Imperator precibus & Dei voluntate commotus ſanctæ congregationis decreto paruit, & hoc privilegio Apoſtolicæ ſedis corroborari dignum duxit, quod & actum eſt, & à ſummo Pontifice omnibusque Præſulibus Italiæ, Galliæ & Germaniæ, qui aderant, propriis manibus corroboratum. Cæterum, quia Præſul Halverſtadenſis Synodo huic non affuit, cauſæ clauſulam in ejus adventum differre placuit, ut civitatem ipſe à

debito

debito ſubjectionis abſolveret, & tunc demum privilegium & ſubſcriptio illibata fieret. Anno igitur integro & dimidio jam evoluto, cum Hatto Archipræſul Mogoncienſis cum præfato Hildevvardo ſuo videlicet ſuffraganeo eò deveniſſet & Imperator illos pro prædicta cauſa blanda petitione conveniſſet, Hildevvardus Epiſcopus tam ex Archi-Epiſcopi conſenſu quam omnium qui aderant conſulto, promta & hilari mente piæ ejus petitioni annuit, ac facto in præſentiarum pari æſtimatione concambio ſynodali Decreto ſancto Mauritio Magdeburch, ſanctoque Laurentio Merſeburg quæque petita tradidit, id eſt omnem parochiam ſitam inter fluvios Albiam, Salam, Horam & Bodam, usque ad ea loca, ubi caſtra Unnesburg, Wanzleva, Hortersleva, cum omnibus pertinentiis & villis quæ *Burchvvart* appellantur, verſus occidentem longius protenſo fine terminantur, cum omni decimatione, banno, ſubjectione, obedientiis & omni Eccleſiaſtico ordine, prout Halverſtadenſis Eccleſia viſa eſt eatenus poſſediſſe. Recepit autem ad vicem ab Imperatore in partem & utilitatem ſuæ Eccleſiæ, omnem decimationem in *Hosgovve*, ut terminatur in fluviis Sala, Willerbike & Wipperra, cum omni poſſeſſione, quam de Abbatia in honore beati Wicberti in territorio Herolvesfeld conſtructa, ~~idem~~ Imperator æqua commutatione acquiſierat, *cujus etiam Abbatiæ ipſe fundator erat.* Huic autem concambio confirmando juſſione Domini Johannis ſummi & univerſalis Pontificis & Cæſaris Auguſti Ottonis, petitione quoque Hildevvardi Halverſtadenſis Antiſtitis, Ambroſius Palatinus Cancellarius, & Petrus ſanctæ Ravennatis Eccleſiæ Archi-Epiſcopus, alii quoque quam plurimi Epiſcoporum Italiæ & Germaniæ ſubſcripsêre, quorum etiam nomina in præſenti paginula ſtuduimus annotare.

Hatto Mogontinus Archi-Epiſcopus interfuit & S.
Hildevvardus Halverſtadenſis Epiſcopus interfuit & S.
Reginoldus Rubilonenſis Eccleſiæ Epiſcopus.
Adelbertus Rugorum Epiſcopus.
Alberiſus Tarviſianenſis Eccleſiæ Epiſcopus.
Lantvvardus Mindenſis Eccleſiæ Epiſcopus.

Everacrus Leodicenſis Eccleſiæ Epiſcopus.
Teupertus Feltrenſis Eccleſiæ Epiſcopus.
Gauslinus Patavianenſis Eccleſiæ Epiſcopus.
Sichelmus Florentinæ Eccleſiæ Epiſcopus.
Adelbertus Bononienſis Eccleſiæ Epiſcopus.
Arnadus Foro populi Epiſcopus.
Johannes Imolenſis Epiſcopus.
Ingizo Caſtellanæ Eccleſiæ Epiſcopus.
Martinus Epiſcopus, fratres Eccleſiæ.

His ita peractis Cæſar admodum lætatus nec minus pro adhuc peragendis ſecundum Deum ſollicitus, accerſito Richario Magdeburgenſis cœnobii Abbate tertio, ~~coram Annone Wormatienſi & Othwino Hildenesheimenſi Epiſcopis ſecum tunc forte commorantibus~~, volebat illum officio Epiſcopatus fungi in ipſa mutatione ſedis ſuæ, ſed impedierunt quidam occulto conſilio & Imperatori pro hoc ſecreto delatæ litteræ, qui dum ſe tanto honore privatum intelligens minus æquo animo ferret, ac in impediendo tam ſancto propoſito Imperatori quoque pacto obviare proponeret, ne malitia mutaret intellectum illius, brevi pulſatus valetudine, terrena mutavit cœleſtibus, ſucceſſitque in ipſa ſedis mutatione Herdingus in eadem congregatione nutritus & electus. Transmutata eſt itaque Abbatia in montem ſuburbio ejusdem civitatis adjacentem, deputaturque ſancto Johanni Baptiſtæ & adhuc habetur, & ô utinam diu feliciterque habeatur famulatura! Monachi quoque ſuccedentibus ſibi clericis reliquerunt in libris & aliis rebus plurima ornamenta, quæ ibidem Imperiali munere & propria induſtria fuerant congregata. Cumque illorum corda de hac migratione non immeritò gravaret triſtitia; Cæſar eis pro conſolatione prædiorum ſuæ hæreditatis non parva dona adjecit, & quocunque in loco cum canonicis in una ſtatione conveniant, ipſi dextra in parte ~~ſub præmii~~ ſupremum locum obtineant conſtituit; ſed & præterea, ut recurrente annuatim translationis hujus die, quæ eſt V Idus Auguſti, id eſt, in vigilia Victoris ignium Levitæ Laurentii, pedibus nudis proceſſione lugubri

ſedem

ſedem ſuam viſitantes miſſam celebrent, quo dum apud Canonicos quam & apud Monachos facti hujus perpetim ſtaret inviolabilis memoria, eos quoque dilectio jungeret indivulſa, quatenus illi hos tanquam primos Eccleſiæ ſuæ patres omni honoris exhibitione præveniant, illique non diſpari talione, quod membra debent capiti, quod etiam teſtator heredi plena devotione reſtituant. Sed nec fefellit adinventorem tam prudens conſilium, ſicut eſt usque hodie, cuique ſcire volenti publicum. Erat tunc temporis quidam magni nominis & meriti Adelbertus, qui dudum Treveris de Cœnobio ſancti Maximini Monachus abſtractus & Epiſcopus conſecratus, ſicut in ſuperioribus partim tractavimus, ad prædicandum Rugis fuerat deſtinatus. Sed populus exaſperans dura fronte & indomabili corde expulit illum de finibus ſuis, contemnens Evvangelium pacis, quia Dei providentia in terra noſtra populus illi committendus erat novæ acquiſitionis.

Annus Dni. DCCCCLXX. Ottonis XXXIV.

Igitur Imperator prædictum Adelbertum de Wizinburgenſi Abbatia, quam interim regebat, aſſumptum prædictæ Eccleſiæ per omnia dignum & probatum ſacerdotio promovit, eumque pro pallio & privilegio ab Apoſtolica ſede ſuſcipiendo cum literis ſuæ auctoritatis direxit. Quem Johannes Apoſtolicus nominis illius XIII, in ordine verò Romanorum Pontificum CXXXVI, benignisſime ſuſcipiens pro pio etiam ſtudio glorioſiſſimi Imperatoris, quod in amplificatione divini cultus habebat gaudens, ideoque juſtis ejus peticionibus annuens Apoſtolica illum autoritate Archi-Epiſcopum fore ejusque ſucceſſores decrevit. Dans etiam eidem pallium ad miſſarum ſolemnia celebranda nimia electione commonitus XV Kal. Novembr. id eſt in feſto ſancti Lucæ Evvangeliſtæ ipſe circumpoſuit, & privilegio Apoſtolicæ autoritatis ſanxit & confirmavit eum in omni ordine eccleſiaſtico primatum habere omnium Eccleſiarum Archi-Epiſcoporum, qui in Germania ordinati ſunt. In Gallia quoque Colonienſi, Mogontinenſi, Trevirenſi Archi-Epiſcopis per omnia honore ſimilem eſſe. [Hic quædam deſunt.] Præterea ſtatuit eum eſſe Metropolitanum totius

totius ultra Salam & Albiam Sclavorum gentis tunc ad Deum converſæ vel convertendæ, & ut ſecundum deſiderium Imperatoris in his civitatibus, in quibus olim barbari ritus maxima viguit ſuperſtitio, id eſt Cizi, Miſni, Merſeburch, Brandeburch, Havelberga, Poznani, in honore Domini Epiſcopia fundarentur, quorum Paſtores ſecundum canonicam autoritatem Magdeburgenſi Archi-Epiſcopo fidem & ſubjectionem debendo ſociarentur. His & aliis quæ privilegia adhuc inibi conſervata teſtantur, ſynodali Decreto ordinatis & ſub interminatione Dei & Apoſtolici nominis confirmatis, præfatus Archi-Epiſcopus cum Legatis Romanæ Eccleſiæ, Widone ſcilicet Epiſcopo Bibliothecario & Benedicto Cardinali, qui illum cum Hildewardo Halverſtadenſi Epiſcopo ſedi ſuæ inthronizarent, dimiſſus, ad Imperatorem remeavit lætus, quam Imperator nichilominus gaudens, utpote beati deſiderii compos, cum literis commendatitiis Magdeburg deſtinavit: Illuc ergo ex præcepto Imperatoris, Epiſcopi, Marchiones, & reliqui Saxoniæ Principes convenientes, ipſum honorifice ſuſceperunt, & vocum acclamatione manuumque elevatione electum cum præfatis Apoſtolicæ ſedis legatis celebri ritu inthronizaverunt. Affuit omnis ſexus & ætas gaudentium, fuit prorſus generale tripudium, ubi ad confirmationem ſui idem Archi-Epiſcopus in præſentia eorundem nativitatem Domini ſecum celebrantium Boſonem Monachum Merſeburgenſi, Burchardum Miſnenſi, Hugonem Cizenſi Eccleſiis primos Epiſcopos ordinavit, & Adeldagum primum Eccleſiæ Magdeburgenſi præpoſitum inſtituit. Dudo quoque Havelbergenſis & Dudelinus Brandeburgenſis Epiſcopi prius quidem Mogontino Archi-Epiſcopo ſubjecti, ſed tunc agente Imperatore à debita ſibi obedientia abſoluti, Magdeburgenſi Eccleſiæ ejusque Archi-Epiſcopo cum præfatis confratribus fidem & ſubjectionem promiſere. Ipſe namque felicis memoriæ Imperator Otto conſtructor omnium harum, quas Epiſcopatui ſubjecerat, Epiſcopalium ſedium, nimirum *infinitæ hæreditatis ſuæ* potiſſimum cupiens hæredem eſſe Dominum, non pauca tamen relinquens ſucceſſioni filiorum. In tanti ergo talisque ſolempnii pro ſummi Regis exortu celebratione,

bratione, tum etiam pro nova populi ipsius vel cultus augmentatione, gaudebat chorus Magdeburgensium, & à summo Principe missum *principem*, canit frequentia Principum, palamque à Pastoribus Ecclesiæ laudabili numero hic adauctis, laudatur pastor creator omnium.

Annus Dni. DCCCCLXXI. Ottonis XXXV.

Eodem anno sanctæ Colonienſis Ecclesiæ Archi-Episcopus Gero ejusque germanus Marchio Thietmarus Ecclesiam sanctæ Deigenitricis Mariæ in Thancmaresfeld fundaverunt, partemque hæreditatis suæ monastici ordinis fratribus Deo ibidem militaturis tradiderunt. Transactis posthæc quinque annorum curriculis translata est de loco eodem religio Monastici ordinis in quoddam castellum *Nigenburg* dictum, in ripa Salæ fluminis, in pago *Northuringa* situm. Nam ipsis inibi Christo militantibus ac compluribus Christo fidelibus loci ipsius asperitas, omnigenaque incommoditas obstare videbatur. Prædictus igitur Gero dum ab omni clero & populo pari voto ad Pontificatus apicem eligitur, hoc Imperatori felicis memoriæ Ottoni absque dilatione nunciatur. Qui quomodo fratri suo prædicto Thietmaro multis de causis admodum iratus fuit, dare huic Episcopatum noluit, sed isdem Gero, quia interim Regis capellanus erat, in uno dierum missam celebrans in Papia civitate, vidit solus sanctum Petrum & Ambrosium sancto se benedicentes oleo, quod tamen nulli mortalium prodidit, sed divinæ pietatis munus æqua mente portavit. Imperatori autem in sancto Dominicæ resurrectionis die evaginato apparuit angelus gladio, cum jam præparatus excepta coronâ ad Ecclesiam pergere voluisset, nisi, inquiens, in Gerone hodie compleveris electionem, securus non evades hanc sedem. Expavescens ob hoc Cæsar, Dominum, infit, vocate Geronem, eique protinus venienti curam baculo pastoralem commisit & indulgentiam humiliter postulavit. Igitur quomodo de meritis tanti Pontificis brevitati studentes pauca diximus, plura silentio teximus, de obitu ejusdem unum non mediocriter mirandum dignum duximus ponere miraculum. Hujus obitum cuidam Abbatissæ Gerbergæ, quam propter castitatem mentis & corporis idem multum dilexerat,

lexerat, ſecumque ſæpe detinuit, Diabolus bonorum invidus omnium, ſic ut prius ſolebat in cæteris prodidit: Vellem tibi, inquit, meum aperire ſecretum, nî te ſcirem cuncta hactenus nunquam ſervâſſe commiſſa, ſed ſi fideliter hoc promittis, continere ea dico ratione, ut quandocunque alicui volueris aperire, vitam tibi me non dubites tollere. Gero tuus familiaris hoc anno tantam incidet infirmitatem tribus diebus, ut mortuus eſſe credatur, & ſi ab aliquo ſpatium hoc cuſtoditur, tale poteſt ſecurus evadere periculum, ſed ancilla Chriſti, verbis obſtupefacta talibus, fideli ſe ſilentio promiſit omnibus occultare. Cum autem eundem videret evaneſcere, directo mox itinere Archi-Epiſcopo univerſa narravit. Quod Diabolus intelligens in tantum eam cecîdit, ut poſt paucos dies vitam hanc fragilem vita mutaret æterna. Archi-Epiſcopus autem in die depoſitionis ejus miſſam celebrans, meritum ejus cunctis indicavit, indulgentiamque ei ab his poſtulavit & ipſe fecit. Poſt hæc infirmitate prædicta gravatus, ſe cuidam Evurgero cuſtodi Eccleſiæ cuſtodiendum commiſit, qui eundem acri dolore defatigatum quaſi mortuum lavari, ac feretro impoſitum ad Eccleſiam portari, poſteraque die juſſit ſepeliri. Sed isdem Epiſcopus, ut ajunt multi, tertia nocte quaſi de gravi ſomno evigilans, campanam ſonantem audivit & ut ſibi aperirent velociter terna exclamatione rogavit. Obſtupefactus his qui audivit, Evurgerum præfatum cuſtodem Eccleſiæ, ut Epiſcopo laboranti ſuccurreret, interpellavit. Qui eundem per omnia fuiſſe mentitum affirmans, magno percuſſit baculo, ſicque quievit III Kal. Junii divæ præſul memoriæ.

Annus Dni. DCCCCLXXI. Ottonis XXXVI.

Imperator natale Domini Romæ, paſcha Ravennæ celebravit: Eodem anno honorabile templum in Thornburg exuſtum eſt una cum theſauris Regis.

Annus Dni. DCCCCLXXII. Ottonis XXXVII.

Otto Romanorum Imperator Auguſtus filio ſuo unice dilecto Ottoni agnomine ruſo hiſce regionibus nullam tantæ copulationi dignam niſi in ſua coguatione, cui nequaquam jungi licebat, reperiri non

non neſciens fæminam, Græciam miſit & græcam illuſtrem Imperatoriæ ſtirpi proximam ingenio facundam, vultuque elegantiſſimam Theophanu nomine Conſtantinopolitanam in paſcha Romam adduci fecit, & regales nuptias regali apparatu celebravit, peractisque rite nuptialibus in octava Paſchæ nurum filio felici omine junxit, arridentibus cunctis Italiæ Germaniæque primatibus. Eodem tempore idem Imperator Sereniſſimus terrenis licet implicatus curis, cœleſtis tamen Regis & Domini cultum ſive ſervicia multis in locis maximeque in ſuâ ſibique dilecta civitate Magdeburch omni conamine augmentare ſtuduit, mittens ab Italia eidem civitati per Dodonem Capellanum ſuum plurima ſanctorum corpora. Dum itaque prædictæ civitatis honoribus ſemper proſpiceret intentæ, liquido oſtendit ſibi gratiſſimam eſſe, quia illam præ aliis exaltare & decorare ſtuduit, divitiis & honoribus eaque tempore quodam licet modicum violata graviter eſt offenſus. Ipſe namque diſcedens à Saxonia diutius commoraturus apud Italiam, Hermanno Duci ſtrenuiſſimo regis vice regendam commiſerat provinciam, qui Hermannus advocata aliquando Magdeburch concione more Imperatoris ſuſceptus eſt ab Archipræſule, manuque ad Eccleſiam ductus, accenſis luminaribus & campanis cunctis ſonantibus. Heinricus autem *Comes de Staden*, tantæ inſolentiæ obſiſtere volens, non valuit quidem ad præſens, ſed à duce ob vindictam injuriæ juſſus, iter aggreſſus & transcenſis Alpibus venit ad Imperatorem. Qui ſe apud hunc accuſatum metuens ſolotenus proſtratus placare eum ſtuduit, & quare ſe illum offendiſſe timeret, & quam ob rem juſſus advenerit enarravit. Cui de ſtatu Saxoniæ & præcipue ſuæ Magdeburch plurima ſollicitè perquirenti ſingula intimavit, & de ſuſceptione Ducis, quomodoque hic in medio Epiſcoporum illic diſcubuiſſet, ad menſam loco Imperatoris. Unde Cæſar graviter commotus, aliquam excepto Imperatore Laicam perſonam ab Archi-Epiſcopo in Eccleſia tanta magnificentia à ſe ſublimatâ ſuſceptam doluit, quamvis eundem Ducem pro ſuæ probitatis excellentia præ aliis ſemper dilexiſſet, eumque idcirco patriæ ſuæ ut diximus *regis vice* prætuliſſet. Quapropter ut in fu-

in futurum hujuſcemodi præſumtionem memorabili auctoritatis ſuæ exemplo reprimeret, mandavit per literas eidem Archi-Epiſcopo, ut pro hujus delicti ſatisfactione quot campanas pulſari, vel coronas accendi præcepiſſet, tot ſibi equos mitteret. Archi-Epiſcopus autem juſſa complens hoc emendationis ſuæ dampno poſteris exemplum tradidit, & quibus poterat modis offenſum Cæſarem placare ſtuduit. Præfatus autem Comes Heinricus pro fidelitatis ſuæ indicio gratiam Cæſaris circa ſe auctam confirmavit, & torque aurea donatus, ab illo honorificè repatriavit.

Annus Dni. DCCCCLXXIII. Ottonis XXXVIII.

Ipſe autem Cæſar Otto, poſtquam de Italiæ, immo totius Europæ gentibus glorioſisſimè triumphavit, & Romanæ reipublicæ dignitatem excellentiſſimè ſublimavit, ut teſtatur ſupramemoratus Papa Johannes, à quo vocatus & deſcriptus eſt *tertius poſt Conſtantinum & Carolum auguſtorum auguſtiſſimus*, ipſe inquam tandem dilectam reviſens Saxoniam, Dominicam Palmarum in ſua Magdeburg poſt conſtitutionem Archi-Epiſcopatus primam & heu! ultimam ſuæ præſentiæ ſolempnitatem cum venerabili Adelheida Imperatrice & filio æquivoco Imperatore celebravit. Ipſe quippe tenax divinæ religionis in diebus feſtis ad veſperas, ad matutinos atque ad miſſam cum honorabili Epiſcoporum ac totius Cleri proceſſione ad Eccleſiam duci ſolebat, ibique cum magno timore Dei & reverentia ſtans aut ſedens nihilque præter divinum loquens, donec finirentur univerſa, perſiſtebat, deinde ad cubiculum ſuum cum luminaribus multis comitatuque magno ſacerdotum, Ducum ac Comitum rediebat. Illic ergo ſecunda feria, id eſt, XVI Kal. Aprilis confirmante ac favente præſentia omnium multiplicavit locupletare Eccleſiam varietate donorum Imperialium, & vel tunc vel ante collata roboravit ſcripto teſtamentorum fidelium atque ſtabilium, inæſtimabile beati deſiderii ſui votum his oſtendens quaſi primitiis, quibus quantisve in futuro illam propoſuerit amplificare beneficiis, cui & antea in Italia conſtitutus multis ſanctorum corporibus per Dodonem Capellanum ſuum, aliosque perſæpè transmiſſis innumerabilibus re-

bus reliquiis, ipſorum eam ſublimaverat patrociniis. Poſthæc Quidelingeburch Abbatiam quam venerabilis mater ſua Machthildis condidit adiens, advenientibus ibi Polanici ac Boëmici Ducum Græcorum quoque Beneventorum, Ungariorum, Bulgariorum, Danorum & Sclavorum legatis cum totius regni principum concurſu, paſchalia gaudia feſtivo honore peregit, licet illa Hermannus prædictus Saxoniæ Dux ſibi dilectiſſimus tunc moriens non modicum conturbaverit. Deinde cunctis pacifice conſummatis, dimiſiſque legatis ac magnis muneribus ditatis, dum peragrans provinciam Merſeburch, celebrâſſet aſcenſionem Dominicam, ibique ſuppleſſet omnem quam diſtulerat de Magdeburch promiſſionem ſuam, tertiâ feriâ ante Pentecoſten Mimminleve deveniens, poſtquam illum & ſequentem diem ibidem explevit lætus veſpertinum auditurus officium, ſubito infirmari caputque cepit declinare, moxque Chriſti Sacramentis refocillatus feſſus & emeritus felici fine potitur, pax ubi vera datur ad cælica regna vocatur. Sic proch dolor immatura morte migrans migravit Otto pius, Otto rigidus, & fluxa regere doctus, migravit inquam ſummæ famæ & felicis memoriæ magnus ille Romanorum Imperator auguſtus Anno Dominicæ incarnationis DCCCCLXXIII, anno verò regni ſui XXXIIX, Imperii autem XII, indictione prima, anno quinto, ex quo fundavit Archi-Epiſcopium Magdeburgenſe. Hujus aurea tempora merito nunc gravi gemitu memorat, quando preſſa malis ſancta Eccleſia absque ulla requie hoſtes inſurgere dolet, verè inquiens meus, *felix mundus erat, Otto dum ſceptra gerebat.* Nemo Rex ſtudium habet, ut convertat paganum, diligunt magis honorem ſuum quam Chriſti lucrum. Poſt ſanctum enim & Imperatorem magnum Conſtantinum, poſt optimum exemplar fidei Carolum, poſt ſereniſſimum divinæ religionis ſpeculum Ottonem magnum, ut ad Chriſtum paganos converterent, nomen & rem gloriæ coram Deo & hominibus pauci acceperunt, & eſt eheu! pro peccatis qui perſequatur Chriſtianum & nullus prope Dominus rerum, qui Eccleſiam intrare compellat paganum; corpus autem præfati glorioſiſſimi Regis Ottonis, ab Ottone ſecundo Imperatore filio

filio ejus ad Magdeburgensem delatum civitatem, ab Adelberto & Gerone Archi-Episcopis aliisque compluribus marmoreo sarcofago impositum honorifice tumulatur, ubi permanens in seculum non delebitur memoria ejus. Etenim *tres luctus causæ sunt hoc sub marmore clausæ, Rex, decus Ecclesiæ, summus bonor patriæ.*

Annus Dni. DCCCCLXXIV. Secundi Ottonis I.

Sedente posthæc in paterni regni solio præmemorato Ottone Secundo ab habitu faciei agnomine Rufo, uti per quendam figurate dicitur, decolor argento mundi succesit imago. Neglecta namque justitia & judicio quæ fuerant aurea præparatio sedis paternæ, misericordia & veritas quæ faciem ejus præcessere, post obitum sui dilectoris à prævalente iniquitate fugatæ terris terga dedere. Surrexit gens contra gentem commovens prælia, & fomes malorum in medio grassabatur discordia, quodque potentum invicem sævit commotio, Ecclesiarum & pauperum gravis luit oppressio, juventus quippe Regis effrœna, sana seniorum spernebat consilia, dumque omne quod libet licere credit, viam erroris sine Magistro ductus currit. Erant tamen in eo multarum insignia virtutum, quarum erat præcipuum cum hilaritate laudabilis munificentia. Sublevabat modo nobilium, modo ignobilium inopias, extollebat tam prædiis quam honoribus circumquaque Christi Ecclesias, unde & inter cætera velut dote memorabili sibi subarrans Ecclesiam Magdeburgensem, perpetuo illi liberam præficiendi sibi antistitis concesit electionem, offerens eum ejusdem concessionis privilegio librum ex auro & gemmis, imaginem ipsius & Theophanu conjugis ejus continentem, qui ob memoriam ibi cum veneratione habetur usque in hodiernum diem. Eodem anno sanctus Odhelricus Episcopus signis ac miraculis coruscans ex hujus vitæ erumnis subtractus totus in Christo quievit. Heinricus Dux Bavvariorum captus est & ad Engilenheim perductus.

II.

Annus Dni. DCCCCLXXV. Ottonis II.

Otto Imperator piæ genitricis suæ Adelheidis instinctu, cujus guber-

bernaculo vigebat Mimminlevo ubi felicis memoriæ pater ſuus obiit, decimasque, quæ Heresfeldenſi cœnobio pertinebant, juſto acquirens concambio adunavit ibidem quamplurimos monaſtici ordinis idoneos miniſtros liberam perpetuo conſtituens eſſe Abbatiam, datis inſuper rebus neceſſariis Apoſtolico ſuoque corroboravit privilegio. Facta eſt eodem anno hyemps duriſſima & importuna, adeo ut in Idus Maji extenſa nix magna noviter lapſa totam operuerit terram. Rothbertus Archi-Epiſcopus Mogontienſis obiit, cui ſucceſſit Willigiſus.

Ruſi

Annus Dni. DCCCCLXXVI. Ottonis III.

Imperator natale Domini in Hereſtein, Paſcha in Altſtidi celebravit, Heinricus Dux Bavvariorum ſua poteſtate privatus & excommunicatus cum Sclavis degebat vagus & profugus.

Ruſi

Annus Dni. DCCCCLXXVII. Ottonis IV.

Ottoni ſecundo Imperatori ex Theophanu auguſta nata eſt filiola, quam egregio nomine genitricis ſuæ Imperatricis Auguſtæ inſignivit, quo & ejus vocabuli decore niteret, & meritis juvaretur. Eodem anno Lotharius Rex Francorum Lotharingiam recipere volens usque ad palatium Aquisgrani venit. Quem Otto Imperator inſecutus usque Pariſius nullo obſiſtente omnia vaſtando pervenit, in redeundo autem circa Axonam fluvium partem impedimentorum amiſit. Et quia nil penſi neque moderati habuerunt, quin & Eccleſias ſanctorum depopularentur, quidam famulus Dei recluſus prædixit, quod nullus auctorum hujus mali usque ad ſeptennium vivendo duraret. Heinricus quondam Dux cum conſilio minoris Heinrici Pataviam civitatem invaſit, ſed ibidem continuò ab Imperatore obſeſſus illius ſe ſubdidit poteſtati coactus.

Ruſi

Annus Dni. DCCCCLXXIIX. Ottonis V.

Heinricus Dux cum Heinrico juniore filio Bertoldi apud Imperatorem accuſati, ejus juſſu Magdeburg capti ſunt una cum Ekberto Comite, ac exilio deputati. Adelheida Imperatrix Illuſtriſſima cum filia ſua

ſua ſereniſſimâ Machthilde Abbatiſſa nimii doloris acerbitate viſcerotenus ſauciata, quorundam delatorum indebitas inter ſe & filium diſcordias ſeminantium culpa in Longobardiam eſt profecta. Eodem anno Otto Imperator cum magno exercitu Galliam, quæ dicitur *Karlingia*, invaſit & devaſtavit. Igneæ acies in cœlo per totam noctem V Kal. Novembr.

Rufi

Annus Dni. DCCCC LXXIX. Ottonis VI.

Gero Comes apud Imperatorem à quodam Waldone accuſatur, & in loco qui Sumeringe dicitur ortatu Adelberti Magdeburgenſis Archipræſulis & Thiederici Marchionis captus, cuſtodiæ mancipatur. Deinde convocatis Magdaburg cunctis regni principibus congreſſi ſunt in Inſula quadam ſingulari certamine vulneratusque binis ictibus in verticem Waldo, ardentiùs inſequitur hoſtem, cujus caput percutiens ictu valido, terræ proſtravit eundem. Interrogatus autem ab eodem Gero Comes, ſi plus pugnare potuiſſet, coactus eſt profiteri quod jam defeciſſet. Waldo itaque egreſſus dum armis depoſitis aqua refocillatur, poſt tergum cadens amaro mortis poculo juſto Dei judicio debriatur. Decreto verò judicii & voce Imperatoris Gero juſſus eſt à quodam carnifice decollari III Idus Auguſti. Hæc pugna nulli placuiſſe dignoſcitur, excepto Adelberto Archipræſule, ac Thiederico Marchione, correptusque eſt non modice Imperator ab Ottone Bavvariorum Duce filio Luidolfi eodem die veniente, & à Comite Bertoldo, quod ob tam vilem cauſam tam induſtrium virum dampnari decreviſſet. Isdem autem Comes Gero in propria urbe, quæ *Aleslove* dicitur, congregationem ſanctimonialium in honore ſancti Johannis Baptiſtæ conſtruxerat, poſt cujus decollationem ſoror ipſius Tetta & conjux ejus Adhela pro ejusdem memoria omnem ſuam tradiderunt hæreditatem. Factum autem eſt poſt tres annos, ut corpus præfati Comitis, cum juxta illud contectalis ſuæ poneretur, integrum una cum veſtimentis inveniretur.

Annus

Rufi.

Annus Dni. DCCCCLXXX. Ottonis VII.

Lotharius Rex Galliæ cum magnis muneribus ad Imperatorem veniens, seſe cum filio ſubjecit voluntati ipſius. Ipſo anno firmata pace Imperator in Italiam ivit, hasque regiones proch dolor nunquam amplius inviſit. Hildiwardus quoque venerabilis Halverſtadenſis Eccleſiæ antiſtes ſanguinem ſancti Stephani Protomartyris cum articulis duobus donante Theoderico Metenſi Epiſcopo Halverſtadenſem tranſtulit ad Eccleſiam, ubi cum maximo honore & gloria à clero simul & populo ſuſcipitur & ſanctitas ejus ſignis evidentibus divinitus declaratur; facta eſt autem hæc translatio VII Idus Maji, ſuæ verò ordinationis anno XII : Otto tertius, nominis ac culminis clauſula Imperatorii, floſculi more purpurei ex illuſtris prati virecto naſcendo enituit.

Rufi.

Annus Dni. DCCCCLXXXI. Ottonis VIII.

Otto Imperator Apuliam & Calabriam Italiæ provincias adjus regni Græcorum appendentes, ad Romanum transferre conatur propter affinitatem, quam per uxorem ſuam Theophanu cum Imperatore Græcorum habebat. Celebravit autem eodem anno paſcha in urbe Romana cum Imperatrice Theophanu, præſente matre ſua Adelheida Imperatrice auguſta una cum ſorore Machthilde Metropolitanenſe Abbatiſſa, convenientibus quoque ex Burgundia Regibus Conrado ſcil. & Machthilde, rege etiam Carlingorum Hugone aliisque optimatum & principum pluribus regio luxu atque tripudio univerſis exultantibus. Interim Adelbertus primus Magdaburgenſis Eccleſiæ Archiepiſcopus XIII Pontificatus ſui anno conſummatus in bonis, cum ex more partes diœceſis ſuæ ac Giſilharii, qui interim in ſervitio Imperatoris apud Italiam morabatur, ſuos docendo & confirmando circuiret, veniensque Merſeburch XIII Kal. Junii miſſam celebrâſſet, proximâ nocte in loco nomine Cruwati pernoctans, altera luce exurgens conqueſtus eſt ſe vehementer capitis dolore detineri, nec tamen ob hoc ceptum iter omittens Frekenlove cum ſuis cepit proficiſci. Cumque

Crimini

Crimini villam præteriſſet, languore ſubito prævalente, quaſi caſurus paulatim de equo nutando cepit declinare. Mox igitur à ſuis ſuſtentatus & ibidem tapeti ſuppoſitus, atque his quæ à clericis dicenda erant cum feſtinatione completis omnibus, ſuavi obitu rite ſupernorum factus conſors Monachorum, ut nova ſtella chorum conregnans fulcit eorum, juxta illud : Qui ad juſtitiam erudiunt multos, tanquam ſtellæ fulgebunt in perpetuas æternitates. Corpus verò ad Givekenſtein caſtrum delatum, ibique Pontificialibus indumentis velatum, navigio Magdaburg eſt usque transvectum. Ubi à clero & populo & præcipue à Monachis flebiliter ſuſceptum coram altari ſanctæ crucis ſanctorumque Apoſtolorum Philippi & Jacobi in medio majoris Eccleſiæ à venerabili Hildewardo Halverſtadenſis Eccleſiæ Epiſcopo, & Herdingo primo ſancti Johannis Baptiſtæ Abbate condigno eſt cum honore tumulatum talique ſepulchrum Epitaphio decoratum:

Præſul Adelbertus omni virtute refertus,
Membra ſolo clauſus lætos agit æthere plauſus,
Clerus eum plangit nec non populum dolor angit,
Ipſius hoc pietas meruit, fleat omnis ut ætas.

Rufi

Annus Dni. DCCCCLXXXII. Ottonis IX.

Græci offenſi, eò quod Imperator Otto *contra jus & fas* provincias eorum invaderet, bello eidem in Calabria congrediuntur, in quo bello omnes Romanorum copiæ usque ad internecionem pene deletæ ſunt. Imperator verò nando evadere nitens à nautis ignorantibus eum, capitur, & à quodam eorum qui negotiator erat agnitus nec proditus, & per illius miſerationem & induſtriam re delata ad Imperatricem Theophanu & Theodericum Metenſem Epiſcopum, qui in civitate Thoſan rei eventum præſtolabantur, cum magna difficultate per Sclavum & Epiſcopum de manibus nautarum liberatus vix evaſit. Omnibus itaque pro infortunio & pudore Reipublicæ animo conſternatis ſola Imperatrix Theophanu fœminea & Græca levitate inſultabat eis, quod ab exercitu ſuæ nationis tam miſerabiliter victi eſſent Romani.

Quod

Quod verbum altius quam rata erat in pectus omnium descendit, ac per hoc cepit primatibus exosa haberi. Interea dum hæc aguntur, Magdeburgensis Ecclesiæ filii pastore destituti omnes pari consilio & voluntate Ochtricum suum confratrem, tunc verò in aula Imperatoris degentem elegerunt, sed hoc nullatenus fieri posse, præfatum Archi-Episcopum Adelbertum dum adhuc viveret prædixisse non adverterunt vel advertentes parvi penderunt. Cum enim idem Ochtricus Episcopi moribus non conveniret & ob hoc animum erga se non rectum persentiret, postquam multos liberalium artium disciplinis nobiliter instruxerat, quia sapientia & facundia sui temporis magistris incomparabilis erat, ibidemque scolis præfuerat, deliberavit impetrata per Ottonem Cæsarem Rufum licentia claustrum exire, & potius in aula & regia capella deservire, unde illo absente cum in die resurrectionis Dominicæ Archi-Episcopus ad missarum solempnia paratus staret, Subdiacono ex more coram se crucem sanctam tenente piis illam amplexus palmis, cum lacrymis petiit, ut Ochtricus & Hico nunquam sedi suæ præficerentur. Peracto autem divino officio ipse ad mensam sedens pro tali supplicatione se exauditum à Domino cunctis assidentibus Spiritu revelante palam indicavit, quod & postea rerum eventus comprobavit. Nam illo ad Deum assumto cum præfatum Ochtricum cuncti, ut diximus, elegissent, Walthardo sibi dilecto suæque sedis successori quarto, qui & vocabatur Dodico, de tali electione merenti, sed solummodo causa obedientiæ & concordiæ assentienti, quadam hora facto in excessu mentis, idem Episcopus coram australi ostio monasterii stans cum baculo & pera quasi Romam iturus apparuit, eumque stupentem blande affatus omnia affirmabat, quæ de Ochtrico sedem suam nunquam possessuro prophetico instinctu adhuc seculo vivens prædixerat. Clerus autem & populus pro sua electione Imperatori insinuanda nuntios idoneos in Italiam, ubi Imperator tunc morabatur, miserunt. Quo venientes pro suæ legationis causa graviter peragenda, Giselharii Episcopi suffragium precantur, quia eum sicut res erat apud Imperatorem plurimum posse rebantur. Qui licet in dolo benignum

& fidum pro Ochtrico ſuo jam dudum amico favorem promiſit, & ingreſſus ad Imperatorem eique mortem Archipræſulis inſinuans mox ſolotenus veſtigiis ejus provolvitur, & ut devotæ ſervitutis illi à ſe impenſæ vicem modo inventa oportunitate ſibi recompenſare dignaretur obnixe deprecatur. Imperatore autem voluntati ejus ſe ſatisfacturum pollicente egreſſus & à legatis vel præfato Othrico quid eis ſperandum de commiſſo à Cæſare referret perquiſitus, cum irriſione reſpondit vix ſibi ipſi nedum illis in hoc ſuffragari potuiſſe, cum ſibi quisque ſit proximus. Sic ergo Othricus caſſatus, dum mox reverti ad ſuos diſponens Beneventum deveniſſet, ſubito infirmatus obiit ſeptima die Menſ. Octobr. & ibidem ſepultus, clarum ſapientiæ ſuæ memoriale reliquit pluribus, ut dicitur in paſſione beati Adelberti Epiſcopi & martyris, qui & ipſe fuit ex diſcipulis ejus. Otto igitur Imperator, ut pollicitus erat Giſelhario Magdaburgenſem Archi-Epiſcopatum IV Id. Septembr. ut mos exegit commiſit, eumque data licentia honorifico comitatu Theoderici Metenſis Epiſcopi ad ſuam ſedem direxit. Quo illum II Cal. Decembr. id eſt in feſtivitate ſancti Andreæ venientem, clerus & populus feſtivo ritu ſuſcepit. Eundem igitur Giſelharium Otto Imperator magnus, quia ſtirpis, morum & induſtriæ nobilitate pollere cognoverat, de clauſtro Magdeburgenſi aſſumptum, capellæ ſuæ præfecerat, & defuncto Merſeburgenſi Epiſcopo Boſone, quorundam interventu ipſum illi ſubſtituerat. Sed adeptus à ſecundo Ottone deſideratum utpote longe potioris dignitatis & opulentiæ Magdaburgenſem Archi-Epiſcopatum, ambitionis cæca cupidine ductus, aſſentiente ſibi ad malum Imperatore, poſtpoſito Dei & vindicis Laurentii honore, Merſeburgenſis Epiſcopatus ſedem pariter cum nomine deſtruxit, illumque pro Abbatia Archi-Epiſcopio adjiciens tenuit. Unde plura ſcribere ſuperſedimus, quia quorundam pro conceſſis ab eo ſive ab Imperatoribus ex petitione ipſius temporalibus beneficiis *actis illius faventium, offenſam incurrere vera proſequentes metuimus*, falſa verò adulationis cauſa dicere ut nefas refugimus, cum & ipſe Dominus hæc ſibi non placuiſſe, in utroque [utriusque] detrimento indiciis declaraverit

raverit evidentibus, ut apparebit in ſequentibus. Nam ut refert ſanctus Epiſcopus & Martyr Bruno, poſt deſtructionem Epiſcopatus cuidam ſapienti talis divinitus oſtenſa eſt revelatio, in qua viſus eſt illi præfatus Cæſar ſecundus Otto aureo ſubnixus ſolio, vallante illum Epiſcoporum principumque & nobilium agmine longo. Cum ſubito ille victor ignium magnus Laurentius igneo terribilis aſpectu, circumamictus aurea ſtola in medio apparuit, & velut laceſſitus injuria prorumpens, argenteum de ſub pedibus Imperatoris ſcabellum tulit, ſeque torvo avertens intuitu abire cepit. Cumque à quodam aſtantium quis aut cujus auctoritatis eſſet, qui ſic in gloria ſua ſublimatum Regem exhonorare præſumeret, inquireretur, & ſubpedaneum reddere rogaretur, reſpondit, quia niſi ſibi illatum dedecus ab ipſo Imperator corrigeret, ipſum quantocyus de ſolio indubitanter deponeret. Quod & ita factum eſt, quia Imperator hanc viſionem auditam parvi pendens & Archi-Epiſcopi amorem male blandientis timori Dei præponens non correxit errorem, & idcirco minoravit Deus dies temporis ejus & in ipſis eum omni profudit confuſione, donec in brevi ut præfixum erat vita pariter & Imperiali caruit poteſtate. Igitur temporibus Cæſaris præfati multis bellorum turbinibus, paganorumque incurſionibus ſancta quatiebatur Eccleſia Catholica, capiturque ac deprædatur à Boëmorum exercitu Cicenſis Eccleſia, Hugone primo ejusdem loci Epiſcopo primitus effugato. Gentes quoque quæ ſuſcepta Chriſtianitate Regibus & Imperatoribus tributarie ſervierant, ſuperbia *Theoderici Ducis* aggravatæ, præſumtione unanimi arma commoventes III Idus Junii percuſſo in Havelberga præſidio Epiſcopalem Cathedram ibidem deſtruxêre. Trium autem transactis ſpatiis dierum conſpirata manus Sclavorum Brandenburgenſem Epiſcopatum XXX annis ante Magdeburgenſem Archi-Epiſcopatum conſtitutum, cum jam prima ſonaretur, invaſit, fugiente prius tertio ejusdem Eccleſiæ Antiſtite Volcmaro, & defenſore ejus Thiederico. Militibus vix evadentibus, clerus omnis ibidem capitur. Poſtea monaſterium ſancti Laurentii martyris in urbe quæ Calvo dicitur, & Hamanburch, ubi ſedes

Epiſcopalis quondam fuit, Miſtvi Dux Abroditorum incendit atque vaſtavit.

Rufi
Annus Dni. DCCCCLXXXIII. Ottonis X.

Otto Imperator Veronæ placitum habuit, ibique *Heinricus minor* de exilio reductus Dux Bavvariorum eſt conſtitutus. Hoc ipſo anno Sclavi Saxonibus rebelles facti ſunt, quos Saxonici Principes poſtmodum collectis viribus ſine Rege, ſine homine Duce, divinitus adjuti glorioſisſime vicerunt XXX millia una die perimentes, paucisſima parte in latibula quædam paludium ſilvarumque fugâ turpi transacta. Imperator itaque ad placitum Veronæ conventus Saxonum, Francorum, Lotharingorum, Bavvariorum, Italicorum aliorumque natione, lingua & habitu diſſimilium occurſum glorioſisſimum habuit. Poſthæc Romam reverſus Apoſtolicum digno cum honore ſanctæ Romanæ præfecit Eccleſiæ. His omnibus ingenti ſolertiâ peractis, vi febrium arreptus, cum ſe proximum exceſſui conſpiceret, collecto primum in vires animo, quicquid cenſus habere poterat, in quadrum diſpertiens, unam in honorem Principis Apoſtolorum beati Petri templo & altari deferre præcepit, altera matri Imperatrici, ac unicæ ſorori pro commendatione debitæ caritatis transmittere curavit, tertiam militibus, qui vitam patriamque ſuam amori & obſequio poſtpoſuerant, erogare decrevit, quartam pauperibus ſuſtentandis paterna largitate diſtribuit. Deinde aſtante coram Apoſtolico una cum Epiſcopis ſuâque conjuge Imperatrice Theophanu, cæterisque fidelibus, fidem catholicam catholicis admodum verbis pleno ore, inconcuſſa ſpei caritatisque conſtantia munitus veriſſimè confitetur, acceptaque ab eis optata remiſſione, ac ſacroſancta communione, terræ quod ſuum eſt tribuens, Spiritum aſtris inſeruit. Publico deinde elatus funere in paradyſo juxta baſilicam Dei genitricis Mariæ ad pedes Domini Salvatoris, ubi ſanctum Petrum juſſu ſuo ſuper mare inuſitate gradientem, pro periculo tempeſtatum aliquid fide greſsibusque titubantem, pia manu porrecta, ne mergeretur, erexit, non ſine lugubri ſuorum conclamatione

hono-

honorificè tumulatur, anno regni XXIII, Imperii autem XVI, cujus poſtea ſepulchrum, fidelium ſuorum veneratione, inſignibus marmoreæ ſtructuræ columnis ſtudioſisſimè adornatur. Reliquit autem ſucceſſorem puerili quidem ætate parvulum, ſed pietate, pulchritudine & omni morum venuſtate præcipuum, & ut dicebatur juſtitiam mundi Ottonem tertium. Facta eſt autem inter primates de ſubſtituendo Imperatore diſſenſio, aliis odio Imperatricis Theophanu, quod ſibi illa per levitatem ſuam conſciverat, imperium, à Filio ejus Ottone transferre volentibus ad Heinricum Ducem filium Heinrici, qui frater fuit primi Ottonis, aliis verò legitimo heredi Ottoni Ottonis Imperatoris filio imperium deberi certantibus, quorum etiam pars prævaluit.

Annus Dni. DCCCCLXXXIV. Ottonis III. Primus.

Filiolus Imperatoris tertius Otto per unctionem Johannis Ravennatis Archi-Epiſcopi Aquisgrani in die natalis Domini unctus eſt in Regem, ſed poſtea comperta morte Imperatoris, Heinricus Dux de exilio reverſus cum ſibi faventibus Agrippinam civitatem intravit, ſimulans, ſe primo ob jus propinquitatis partibus Regis infantis fideliſſimè patrocinaturum, dein accreſcentis avaritiæ ſtimulis agitatus, quorundam etiam præſumptione male illectus regnum tyrannicè invaſit, atque in id elationis usque prorupit, ut & Rex dici & in Regem appeteret benedici, ſed Rex dici à paucis obtinuit, in regem verò benedici prohibente Deo, cœtusque fidelium ſibi non conſentientium, ſed Regi electo & uncto, jure faventium, decertatione, non meruit, quamvis Regem apud ſe teneret. Miſſis verò interim probatis ad Imperatricem Adelheidam legatis in Longobardiam, hi qui partes Regis adjuturi, jurisjurandi vinculo in hoc firmiter perdurandum ſe conſtrinxerant, hanc perturbationem ordine intimantes, ſi quid de regno ac nepote curaret, adventus ſui & conſilii ope ſuis ut citò ſuccurreret, obnixius rogavere. Illa verò conciliato ſibi primitus divino ſubſidio accelerato admodum itinere, cum nuru ſuâ Imperatrice Theophanu matre Regis, nec non illuſtri Abbatiſſa Machthilde filia ſua, amita ejusdem infantis regis, Comitantibus fratre ſuo Rege Burgundiæ Conrado, & *Duce Fran-*

Francorum ejus æquivoco, cum totius Italiæ, Galliæ, Franciæ, Sveviæ, Lotharingiæ primis, occurſu quoque Saxonum, Thuringorum, Sclavorum, cum univerſis optimatibus, qui unitis animorum niſibus, aut pro Rege fideliter morituri, aut quod Dei gratia factum, fortiter victuri, absque morâ convenêre. Habito deinde concilio maximo, mirandum memorandumque poſteris ſignum ſtella videlicet perlucida in ipſo partium conflictu, medio cœli axe, media ultra morem die, quaſi divinum capto Regi præbitura juvamen, cunctis qui aderant cernentibus mirantibusque radiavit. Qua viſa, perterrita moxque cedente parte injuſta, Heinricus præfatus uſurpato nomine ac regno jure privatus, Regem aviæ matri & amitæ præſentare cogitur, interventuque Regis Conradi ſoceri ſui, ac principum, qualicunque gratia donatus in patriam mœſtus abſceſſit. Accepto itaque unico pignore Imperiales Dominæ, Saxoniam adierunt, ac primo Quedlingburgenſis monticuli vertice eminentem usque civitatem una pervenientes, dulciſona laudum melodia cleri ac populi Chriſtoque inibi famulantium virginum occurſu gemino affectu gaudiorum & pro optato ſpiritalis matris adventu & pro triumphali Regis eventu pie gratulantium officioſisſimè ſuſceptæ, quod reliquum erat vitæ, ſummo cum honore transierunt.

III.

Annus Dni. DCCCCLXXXV. Ottonis II.

Saxones Sclaviam invaſerunt, quibus ad ſupplementum Miſacho cum magno exercitu venit, qui totam terram illam incendiis & cædibus devaſtaverunt. Interim ſupra memoratus ille Heinricus divino inſtinctu ad ſe reverſus quid egerit, in quantum ſe plus æquo & honeſto extulerit, & ex quanto deciderit, anxie ſecum non ſemel pertractans, juxta Evangelicam ſententiam ſuâ ſe exaltatione humilia tum conſpiciens dedecoris conſcientia pungitur, culpæ pœnitentia cruciatur. Veniente igitur in Francanford Rege infante tertio Ottone, ibidem ipſe adveniens humiliavit ſe juſte, quo pœnam evaderet dampnationis injuſtæ, regique puerulo quem orbatum captivaverat, cujus regnum

gnum tyrannice invaſerat, præſentibus Dominis Imperialibus, quas regni cura penes erat avia, matre & amita ejusdem regis, humilis habitu, humilis & actu totius in aſpectu populi, ambabus in unum complicatis manibus militem ſe & vera ulterius fide militaturum tradere non erubuit, nil paſciſcendo niſi vitam, nil orando niſi gratiam. At Dominæ, quarum, ut diximus, cura regnum regisque regebatur infantia, tanti viri ſummiſſa deditione admodum gratulabundæ, quia piorum moris eſt non ſolum pro malis mala non reddere, ſed etiam pro malis bona rependere, digno eum honore ſuſceptum, gratia fideli donatum, *ductoria itidem dignitate ſublimatum*, deinde non tantum inter amicos, ſed etiam inter amiciſſimos, uti jus propinquitatis exigebat, debito dilectionis venerantur affectu. Lotharius Rex Galliæ obiit, filius Gerbergæ Reginæ Sororis primi Ottonis Imperatoris.

III.

Annus Dni. DCCCCLXXXVI. Ottonis III.

Otto Rex adhuc puerulus cum magno exercitu Saxonum perrexit in Sclaviam, ubi adveniens Miſeco cum multitudine nimia optulit ei unum Camelum & alia xenia multa, ſemetipſum etiam ſubdidit poteſtati illius & tunc ſimul pergentes devaſtaverunt totam terram incendiis & depopulationibus multis. Eodem anno monaſterium in monte occidentali Quidilingburgenſi in honore ſanctæ Dei genitricis Mariæ ob monimentum unice dilecti germani fratris ſui ſub religione regulæ ſancti Benedicti à Machthilde Imperiali gemma & filia ſtudioſisſime conſtructum eſt. Ida quoque regalis domina, conſectalis Luidolfi filii magni Ottonis, huic luci ſubtrahitur.

III.

Annus Dni. DCCCCLXXXVII. Ottonis IV.

Saxones iterum Sclaviam invaſerunt, & ad ultimum ipſi Sclavi Regis ditioni ſubduntur, & Caſtella juxta Albiam flumen denuo reſtaurata ſunt. In proxima quoque hieme aquæ nimium inundaverunt, & ventus ingens multa ædificia ſtravit.

Annus

III.

Annus Dni. DCCCCLXXXIIX. Ottonis V.

Æſtatis fervor immanis omnes pene fructus abſumpſit & mox grandis mortalitas hominum ſubſecuta eſt. Adaldagus Bremenſis Archi-Epiſcopus obiit. Hic ſedit annis LIII.

III.

Annus Dni. DCCCCLXXXIX. Ottonis VI.

Cometæ apparuerunt, quas peſtilentia grandis hominum & jumentorum ſubſecuta eſt & maximè boum.

III.

Annus Dni. DCCCCXC. Ottonis VII.

Eccleſis ſolis facta eſt. Adaldago Nienburgenſis cœnobii primo Abbate mortuo, Ekkihardus ſubſtituitur.

III.

Annus Dni. DCCCCXCI. Ottonis VIII.

Theophanu Imperatrix Auguſta cum filio ſuo Imperatore tertio Ottone paſchale feſtum imperiali gloria apud Quidlingburgenſem peregit civitatem, ubi etiam Marchio Thuſchanorum *Hugo* & Dux Sclavonicus Miſeco cum cæteris Europæ primis ibidem confluentibus affuere ad obſequium Imperatorii honoris, quæ quilibet pretioſisſima poſſederat, pro xeniis deferendo, è quibus Miſeco aliique quam plurimi honorificè donati in patriam redierunt. Hugo verò cum eadem Imperatrice filioque ſuo quocumque regni vel imperando vel regendo proficiſcuntur, famulando proſequitur, usque dum Niumagon perventum eſt. Ibi ergo dum quaſi compede totum ſua ditione colligaſſet imperium, Theophanu imperatrix conſummato in bonis vitæ ſuæ curſu, proch dolor! quod eſt miſerabile dictu, immatura diſſolvitur morte XVII Kal. Julii, indeque lugubri filii ſui Imperatoris cæterorumque fidelium ſuorum comitatu evecta ad urbem defertur Agrippinam, inque ſancti Pantaleonis martyris Eccleſia, ut ipſa decreverat, ſtipante Epiſcoporum, Monachorum, Virginumque cœtu, aſtante etiam clero ac populo, ultimo flebiliter tumulatur honore. Eodem anno Hercanbaldus, Friethericus & Biligrimus Epiſcopi obierunt. Manogold quoque

quoque non infimus Sveviæ matris filius Saxoniæ obiit, ac propter fidele ſervitium Adelheidæ Imperatrici perſæpe exhibitum, ipsâ comitante, Quidilingburgenſem advehitur civitatem, ibique honorifice ſepelitur. Comperta verò Imperatricis morte, præfata Adelheida auguſta, regem juvenculum ſeptem jam tunc annos regnantem, quamvis eſſet non minus illo triſtis effecta, viſitando conſolatur eumque vice filii tamdiu ſecum tenuit, quoadusque idem Rex protervorum conſilio juvenum depravatus triſtem eam dimiſit.

III

Annus Dni. DCCCCXCII. Ottonis IX.

Glorioſisſima & famoſisſima dedicatio ſanctæ Halverſtadenſis Eccleſiæ facta eſt XVII Kal. Novembr. à venerabili ſuo proviſore Hildiward Epiſcopo anno ſuæ ordinationis XXIV, quam ſecum in tipo Apoſtolicæ dignitatis duodenario numero XII Epiſcopi conſecraverunt præſente Rege Sereno Tertio Ottone ſuaque avia Adelheida auguſta una cum filia ſua gemma Regiæ ſtirpis perlucida Machthilde & nepte ſua Hathuwi veneranda Abbatiſſa, duce quoque Bernhardo, & Luidolfo Capuano Comite, præfectis etiam plurimis & proceribus aliaque innumerabili atque inæquiparabili multitudine cleri & populi in laudem Dei conclamantium. Eodem anno XII Kal. Novembr. totum cœlum ter in nocte viſum rubrum. Adelheith Imperatrix auguſta debito maternæ dilectionis Machthildi filiæ ſuæ curtem quæ in Saxoniæ finibus ſita Walbiki dicitur, cum appendiciis hæreditatum eo pertinentium dono dedit, & ſive propriis uſibus aptandi, ſive quodlibet alio pro velle illius arbitrio permittens per cirographi inſcriptionem, Imperatorio anulo ſignati ſtabili pactione firmavit. Hæc nimirum divini amoris ut erat æſtu ferventiſſima largitatis ac benevolentiæ ſtudiis acerrima non ſibi, quo apud ſanctum dicior videretur, quippiam reſervari cupiens, ſed totis deſideriis ad ſuperna ſemper anhelans, heredem ſibi talem, cujus regni & imperii ſtatus omni careat termino, Deum ſcilicet omnipotentem humili adoptione providit, deinde totis niſibus cœnobium in honore ſancti Andreæ Apoſtoli collectioni virginum ſub regula

ſancti Benedicti monaſticæ degentium conſtruere cepit. In Burgundia Odilo ex clerico Brivatenſi Monachum profeſſus in Cluniacenſi cœnobio præficitur, quod per annos LVI miro religionis fervore rexit & provexit, qui egregie quoque propter alia pietate inſignis, non ſolum vitæ exemplis, ſed etiam miraculis in vita ſua claruit.

III.

Annus Dni. DCCCCXCIII. Ottonis X.

In nocte natali, ſancti Stephani protomartyris inauditum ſeculis *vidimus* miraculum, tantam videlicet lucem circa primum gallicinium ab Aquilone effulſiſſe, ut plurimi dicerent diem oriri. Stetit autem per unam pleniter horam, & poſtea rubente aliquantulum cœlo, in ſolitum converſum eſt colorem. Gerbertus qui & Silveſter cognominatus eſt, Romanæ Eccleſiæ præficitur, cujus eſt hoc *de ſe* monoſticum : Scandit ab R. Gerbertus ad R. poſt Papa viget R. inſinuans ſe de Remenſi præſulatu ad Ravennatium Archipræſulatum ſcandere, poſt etiam Papam Romanum fore. Quidam autem tranſito Silveſtro Agapitum hoc in loco ponunt, quod non otioſe factum creditur. Quia enim isdem Silveſter non per oſtium in ovile ovium intrâſſe dicitur, à quibusdam etiam nigromantiæ arguitur, de morte quoque non recte tractatur, eò quod à Diabolo percuſſus obiſſe referatur, à numero Paparum merito excluſus judicatur, quam rem nos in medio relinquimus. Fuit autem natus de occiduis Regionibus, & à puero liberalibus artibus inbutus optime callebat aſtrorum curſus diſcernere, ſuosque contemporales variæ artis notitia ſuperare. Hic tandem à finibus ſuis expuliſus, Ottonem II petiit Imperatorem, & cum eo diu commoratus in Magdeburg orologium fecit, illud recte conſtituens, conſiderata *per fiſtulam* quadam ſtella nautarum Duce.

III.

Annus Dni. DCCCCXCIV. Ottonis XI.

Hyemps duriſſima III Idus Novembr. exorta usque III Idus Maji duravit, rariſſimis intermiſſa diebus, deinde peſtiferis & frigidis flantibus ventis noctibus plurimis pro rore hybernum cecidit frigus, ad ultimum

mum Nonas Julii grande factum est gelu, tantaque siccitas fluminum & penuria facta est pluviarum, ut in plerisque stagnis & pisces morerentur & in terris arbores plurimæ penitus arescerent, & fruges perirent & linum. Subsecuta est quoque grandis pestilentia hominum, porcorum, boum & ovium, prata etiam in plerisque locis sic exaruerunt veluti igne exusta fuissent. Sclavi omnes, exceptis *Sorabis*, à Saxonibus defecerunt. *Luipolt Bavvarici limitis Marchio* clarus in civitate Wirziburg in hospitio suo per fenestram cum sagitta inprovise vulneratus obiit, & *Ekbertus Comes* prudentibus sapientior, & fortibus audacior Non. April. è medio excessit, facta est etiam eodem anno fames in pluribus locis Saxoniæ.

III.

Annus Dni. DCCCCXCV. Ottonis XII.

Saxonibus pejor annus priore exoritur. Nam tanta in eos qui vocantur *Osterluidi* pestilentia exarsit, ut eorum non solum domus, sed etiam villæ plurimæ mortuis habitatoribus vacuæ remanerent. Fame insuper magna compressi tam assiduis Sclavorum incursionibus fatigabantur, ut peccatis suis promerentibus, juste de eis dictum videatur illud Propheticum : Mittam super eos tria judicia mea, pestem, gladium & famem. Imperator quoque Otto cum magno exercitu Abroditos & quasdam *Wlotaborum* terras invadens, incendiis & depræda-
tionibus plurimis vastavit, licet motum eorum nullo modo compres-
serit. Reversus deinde ab expeditione in Quidlingburgensi civitate à memorabili amita sua Machthilda Abbatissa regalis præconio laudis susci-
pitur, ubi Adelheit germana illius soror æquivoca Imperatricis aviæ suæ, spretis pro Christi amore regalibus nuptiis, nuptiarumque promissis non solum thesauris, sed etiam ultra Valentiam aureis mon-
tibus & urbibus, sub jugo regulari Canonice degendum elegit, astante fratre suo Imperatore Ottone, totius in aspectu senatûs ac plebis, sanctorum Dionysii & Servatii Pontificum obsequiis sese propriam dicavit, eademque hora sacri velaminis arrabone Christo sponso cœlesti, ab antistite ejusdem Ecclesiæ Hildiwardo, cæterisque Archi-Episcopis & Episco-

Epiſcopis coram aſtantibus conſignata eſt. Eodem anno Bavvaricæ regionis Dux Heinricus ſecundus immatura morte obiit. Qui dum adextrema veniſſet, vocans ad ſe filium ſuum Heinricum talibus verbis inſtruere cepit. Revertere fili celeriter in patriam *regnumq;* diſpone, Regi quoque ac Domino tuo unquam reſiſtere cave, multum enim me pœnitet hoc unquam feciſſe. Patris memor eſto tui, quia hunc amplius in hoc ſeculo non videbis. Isdem Heinricus igitur, ut ſuperius diximus, mortuo Imperatore ſecundo Ottone, aliena potius quam propria voluntate ad invadendum imperium eotenus illectus eſt, ut comprehenſo Imperatore juvenculo Rex eligeretur, ſed ante conſecrationem pœnitentia ductus regnum reſpuit, & regi humiliter ſubjectus, *Bavvarico* honorificè donatus eſt *regno*. In quo pro componenda pace ita ultra priores ſuos efflоruit, ut ab illius incolis *regni*, Heinricus *pacificus* & pater patriæ appellaretur. Quo mortuo filius ſuus Heinricus Rex futurus Bavvaricum Ducatum rege præfato Ottone donante ſuſcepit. Hildiwardus venerabilis Epiſcopus in *Stuterlingeburch* civitate cœnobium virginum conſtruxit. In Halverſtadenſis Eccleſiæ territorio natus eſt infans nihil corporis habens à poſterioribus deorſum nec crura, nec membrorum virile vel muliebre, ſed tantum dimidius homo, habens poſteriora quaſi aucæ [anſeris] ſine plumis, aurem dextram majorem ſiniſtra, & oculum ſimiliter ſiniſtro majorem, dentibus verò crocei coloris, horribilis, ſiniſtro brachio absq; IV digitis ſolo cum pollice integro, dextro brachio penitus privatus, qui ante baptiſmum attonitis oculis videns, *poſt baptiſmum* nunquam oculos aperiens, quarto ſuæ nativitatis die infandum moritur monſtrum. Commune dampnum in peſtilentia porcorum & boum omnem Germaniam vexat.

III

Annus Dni. DCCCCXCVI. Ottonis XIII.

Lux clara ſanctæ Auguſtenſis Eccleſiæ Liudolfus Epiſcopus huic mundo ſubtractus, cœleſti annumeratur familiæ, cui Gevehardus inter egregios Abbates præcipuus ſubordinatur Epiſcopus. Dehinc præcurrente

rente tempore cum multos à ſanctuario Domini divinum raperet judicium, gemma etiam ſacerdotum, & Epiſcopalis aureum decus dignitatis, Halverſtadenſis Eccleſiæ Pontifex Hildewardus VII Kal. Decemb. ab hujus vanitate ſeculi ſolutus, veræ caritatis quæ Chriſtus eſt præſentatur obtutibus, illius humilitatis ac dilectionis ſuper quam credi poteſt verus Iſraëlita pie imitator exiſtens. Rexit autem Eccleſiam & gregem ſibi commiſſum per ann. XXIX, cui ſucceſſit Arnulfus, Abbas ex illuſtri valde proſapia exortus, ſed nobilior moribus & ſincera largitate præclarus. Hujus anni vernali tempore Otto Rex compacta inter Saxones & Sclavos pace Italiam perrexit, & Dominicam reſurrectionem Papiæ regali more celebravit. Dehinc omni regno potenter potitus Italico, Romam veniens beatæ memoriæ Johannem Papam defunctum repperit, cui nepotem ſuum Brunonem virum valde præclarum, non ſolum cleri, ſed & omnium Romanorum unanimi voto civium, Pontificem electum ſubrogari piè conſenſit, quem Romani *dempto Brunonis nomine* Gregorium vocaverunt. Hic ergo ſede inthronizatus Apoſtolica Dominum *hactenus Regem vocatum* non ſolum Romano, ſed pene totius Europæ populo acclamante XII Kal. Junii, in ipſa aſcenſionis Chriſti feſtivitate Imperatorem conſecravit Auguſtum. Poſthæc Italico regno diſpoſito *Franciam* revertitur, & in *Agrippina Colonia* ſummi Imperatoris condigno honore celebrat natalem diem ſanctus Adelbertus Epiſcopus de Praga civitate, eodem anno à Prucis [Pruſſis] glorioſo martyrio IX Kal. Maji coronatur. Quod cum Imperator nuper reverſus de Italia comperiſſet, mox ad illius limina orationis cauſa profectus eſt cum Imperialibus donis, ubi à Bolizlao Duce magnificè ſuſceptus, & *Gneſin* eſt usque perductus, in quo eodem duce ementе, à loco interfectionis translatum pauſabat præfati martyris corpus. Hanc ergo urbem devotus *Imperator* occurrente ſibi loci Epiſcopo nudis pedibus intravit, & poſt lacrymoſam ad ſanctum Adelbertum orationem, nova illum inſtitutione, idem *Archi-Epiſcopatus in eodem loco fundatione*, ſed non legitima honoravit. Nam tota hæc provincia unius Poznanienſis Epiſcopi erat parrochia, & ipſa cum omni-

omnibus futuro tempore illic fundandis Epiſcopatibus, auctoritate primi Ottonis & Pontificum Apoſtolicæ ſedis Metropolitano Magdeburgenſis Archi-Epiſcopii fuerat ſubjecta. Hanc ergo ſine utrorumque Epiſcoporum conſenſu iſte Imperator in quinque dividens Epiſcopatus in ipſa urbe Gneſi Gaudentium beati Adelberti germanum conſecrari fecit Archi-Epiſcopum, eique tres alios Epiſcopos in tribus locis, videlicet Salz Colberch, Cracouve, Wrotizla, ordinatos ſubjecit; Poznanienſem verò Epiſcopum non aſſentientem priori juri & Magdeburgenſis Archi-Epiſcopi ſubjectioni reliquit.

III.

Annus Dni. DCCCCXCVII. Ottonis XIV.

Sclavi innata ſibi perfidia tacti provinciæ fregerunt pactum, terminosque Saxonicos latrociniis corroſerunt furtivis. Quos contra commotus Imperator *Ztodoraniam* quam vulgo Heveldun vocant, egregiam inter Sclavonicas terras, magno invaſit exercitu, vicit, prædavit, victorque in Magdeburch præcipuam Saxoniæ urbem gloriosè ſubintravit. Interim autem dum Imperator Heveldun devaſtaret, *Wlotabi*, *Bardangao* provinciam improviſi rapinis multis aggreſſi ſunt & incendiis. Quod videntes Weſtfaloi, quos præfatus Imperator in expeditionem pergens, ad cuſtodiendam reliquerat provinciam, celeriter Luiticos fortiterque excipiunt, ipſique cum pauci eſſent, illam innumeram paganorum multitudinem tanta cæde proſternunt, tantamque ab eis prædam diripiunt, ut nec cædis illius, nec prædæ numerus ullo modo poſſit humano explicari ſermone. Hoc anno inſtauratio ſanctæ Metropolitanenſis Eccleſiæ in Quidlingeburgenſi caſtello juſſu imperialis filiæ Machthildis Abbatiſſæ omni ſtudio peragitur. Quam cum ab avo ſuo Rege Henrico, aviaque Machthilde conſtructam arctiorem quam tantæ celſitudinis vis exigebat, propter confluentis populi frequentiam cerneret, innata ac concreta ſibi benivolentia ad augmentum ejusdem in honore ſancti Servatii Archi-Epiſcopi & confeſſoris, latioris & altioris ſtructuræ ædificium apponere curavit, quod etiam totius conventu Cleri ac populi ab Arnulfo Halverſtadenſi Epiſcopo

nuper

nuper ordinato cum aliis Archipræſulibus & Epiſcopis, quos modo nominatim evolvere longum eſt, congruenter ad Dei domum VI Idus Mart. dedicari fecit, Walbicenſem quoque Eccleſiam in brevi conſtructam in anniverſario patris ſui magni Ottonis eodem anno Nonas Maji dedicari fecit. Hoc etiam anno Creſcentius quidam Diabolica fraude deceptus, Romam abſente Papa Gregorio invaſit, Johannemque quendam Calabritanum, quem Dominus Imperator Otto tertius, pro Græci Imperatoris filia ſibi matrimonio acquirenda, cum Bernwardo Epiſcopo Conſtantinopolin miſerat, inde revertentem cum Græcorum Legatis ſe indigno ſuſcepit honore, eumque non tam Papam quam Apoſtatam conſtituens, Legatos Imperatorios ſub cuſtodia Romæ retinuit. Hic igitur Johannes natione Græcus, conditione ſervus, aſtu callidiſſimus, Imperatorem Auguſtum Ottonem II ſub paupere adiens habitu, ob interventum ſuæ dilectæ contectalis Theophanu Auguſtæ regia primum eſt alitus ſtipe. Dehinc procurrente tempore vulpina qua nimium callebat verſutia, præfatum eotenus circumvenit Auguſtum, ut pro loco & tempore ſatis clementi ab eo gratia donatus pene inter primos usque ad defunctionem ſuam clarus haberetur, poſt dormitionem verò ſecundi Ottonis, regnante jam tertio Ottone filio ſuo, quem ab ipſo matris utero divina ſubſequebatur miſeratio, præfatus Johannes ingenita ſibi circa illos calluit ſecurius aſtutia, quo regis infantia & primatum illius permittebatur incuria. Ad hæc defuncto Placentinæ urbis Epiſcopo, vir bonæ indolis illi ſubeligitur. Quo indecenter ejecto præfatus Johannes non paſtor, ſed mercenarius, eandem non regendam ſed devaſtandam ſuſcepit Eccleſiam, quam cum aliquot annis teneret, avaritiæ Diabolicæ inebriatus veneno, in tantum ſe extulit ſuper ſe, ut etiam Romæ ipſam beati Petri Apoſtoli ſedem, uti prædictum eſt antichriſti membrum verè effectus, fornicando potius pollueret, quam venerando inſederet.

III.

Annus Dni. DCCCC XCVIII. Ottonis XV.

Imperator tantis præſumptionibus compertis, ſecundam profectio-

fectionem paravit in Italiam. Cui venerabilis Papa Gregorius Papiæ obviam factus, dum ei peſſima Johannis & Creſcentii narraſſet geſta, ille divino commotus zelo, Romam quantocius perrexit una cum Apoſtolico. Quod audientes præfati miniſtri Sathanæ Johannes quidem fugam iniit, Creſcentius verò præſidio, quod veterem Romam & Leonianum conjungit caſtellum, ſe cum ſuis incluſit. Tunc quidam non tantum Imperatoris, quantum Chriſti amici inſequentes Johannem, comprehenderunt eum, ſed timentes, ne ſi eum ad Auguſtum deſtinarent impunitus abiret, linguam ei & nares amputârunt, oculosque pariter eruerunt. Hoc ita multato divinitus, Dominus Papa Gregorius ſedem Apoſtolicam honorifice recepit, eamque usque ad obitum ſuum libere inſedit. Imperator igitur Romam adveniens, ſanctiſſimam illic Chriſti reſurrectionem celebravit, ſtatimque poſt albas, ſcalis & machinis arcem quam Creſcentius inſederat hactenus omnibus inexpugnabilem fortiter expugnat illumque captum decollari, & è ſummo præcipitatum in patibulo juſſit pedibus ſuſpendi. Eodem anno menſe Julio terræ motus horribilis factus eſt per totam Saxoniam, *duoq; lapides igniti ex tonitruo* eciderunt, unus in ipſa civitate Magdeburch, alter ultra Albiam fluvium. Quorum inuſitata dilapſio dirum omni populo exitium minando portendit, quod in ſequentibus certiſſime apparuit, tunc ſcilicet cum mundus iſte inſanabilis plagæ ictibus ter cerebrotenus percuſſus, ipſa, ut ita dixerim, vitalia amiſit.

III

Annus Dni. DCCCCXCIX. Ottonis XVI.

Imperatore commorante in Italia inſignisſima Imperatoriæ ſtirpis gemma Magni Ottonis filia, quæ, ut ſæpe memoravimus, ſceptrigeris edita parentibus, vireſcentis rudimenta infantiæ honeſta decenter nutricum ſub cura tranſcendit, quæque dehinc florida vacillantis tempora juventutis corpore ſenſibusque plus cæteris id ætatis matureſcens, nilque ſibi commiſſi Regiminis errabundum relinquens, undecimo ortus ſui anno metropolitæ ſibi hereditatis, licet tantis impar oneribus, ab Imperatore tamen conſultu patrum, nec non communi electione antiſti-

antiſtitum, benedictione perpetua gerendæ præficitur. Cum verò ad Pitagoricæ bivium perventum eſt literæ, ſine mora anguſtiori ſemita, ſpei quæ non confundit fiducia arrepta, tota animi diligentia ſe ſuaque à non eſſe transferre conata eſt ad verum eſſe. Hæc fratruele ſuo *largo* ſcilicet *Ottone* Romam proficiſcente, Imperatoria vice commiſſa ſibi regna, non levitate fœminea gubernans, barbarorum etiam induratos vertices regum, artificioſo aviti paternique ritu ingenii, ita placabiles ſubjugalesque reddiderat, ut hujusce fundamenta pacis, quà *nunc* ſancta Dei Eccleſia pro parte fruitur, poſt tantarum devaſtationem provinciarum poſt effrenem Barbarorum motum, non gladio, non armis, non ullis bellicorum inſtrumentis apparatuum, licet & ad hæc percipienda ſatis eſſet idonea, continuata vigiliarum, orationum inediæque inſtantia ſoli Deo intenta, illius comitante gratia prima poſuerit atque conſtruxerit, eoque usque ſtruere non deſtiterit, quo non laborando, ſed ejus laboribus ſubintrando ſuccedentes poſtmodum Reges tanto facilius ſumma ejusdem pacis attingerent, quanta ipſa imis primitus conſtruendis vigilantiùs inſudâſſet. Noviſſimis namque temporibus ſuis colloquio apud Magdeburch habito, conventu Epiſcoporum cum Duce Bernhardo, comitum ac totius ſenatus plebisque concurſu, confluentibus ibidem omni ex natione legatis undique vallata; qualis fuerit, quam irreprehenſibilem ſe exhibuerit, quamque mira diſcretione ſua cuique tribuerit, quanta veneratione præſulum perſonas præ cæteris honoraverit, quanta ſolertia optimates & judices aliosq;, quorum id curæ relinquitur, pro conſolidandâ re publicâ, pro privatis etiam uſibus confirmandis monuerit, quanta lenitate pios permulſerit, quanta diſtrictione reos terruit, quantaque induſtria patriam conſervaverit, adjuverit, & auxerit, nec notis intellectuum, nec etiam vocum cuiquam edicibile reor. His itaque omnibus diſpoſitiſſimè ordinatis, oviculas quibus ſingulari præerat cura adventus ſui expectatione ſuſpenſas materna dilectione reviſit, dignoque ab illis honore ſuſcepta, paucis poſthæc ſuperſtes diebus modica febre pulſata, inopinata cunctis, ſed ſibi longe ante proviſa morte VII Idus Februar. reſoluta, Domino ſpiritum

gratulabunda reddidit, atque in medio Baſilicæ ſancti Petri, ſanctique Stephani ejulatu nimio planctuque ſuorum reconditur. His ita flebiliter peractis privatæ ſanctimoniales fœminæ cum Epiſcopis, quos divina clementia illius obſequiis adeſſe diſpoſuerat, Arnulfo & Bernwardo, nec non duce Bernhardo convenientes, fratruelem ipſius Dominæ Machthildis Adelheidam in locum ejus elegerunt, misſisque legatis ad Imperatorem in Italiam ei rem geſtam innotuerunt. Igitur legati Romam pervenientes, præfatum Imperatorem recenti nepotis ſui Papæ Brunonis, qui Romanâ lingua Gregorius dicebatur, obitu admodum mœſtum reperiunt, ac priori poſteriorem multo graviorem adjiciendo dolorem, ob exceſſum ſuæ illuſtriſſimæ amitæ, ex mœſto mœſtiorem reddunt. Reſumtis tamen demum poſt tantam perturbationem animi viribus, grates pro obſequiis ſuæ amitæ exhibitis, grates pro electione ſororis ſanctæ congregationi remandat innumeras, eamque honori & oneri matris ſpiritualis, non ut potuit, imperando, ſed ut pium decuit poſtulando ſuccedere poſtulavit. Modici igitur intervallo ſpatii Adelheida præfatæ Machthildis genitrix inclita Romanorum Imperatrix Auguſta, quæ ſtatum imperii terra marique ſibi ſubacti, una cum ſuo conſorte magno auguſto & pacifico Ottone, non minus meritis moribusque inſignierat egregiis quam ille viribus & triumphis conſolidarat eximiis, poſt obitum itaque ejus & ipſa per totum ſeculo moriens quaſi non ſibi nata, ſed inopum uſibus tantum divinitus eſſet proviſa, quicquid habere potuit ex regio cenſu, toto orbe tributario jure, vel etiam donario quæſitum, inter cætera virtutum inſignia manibus pauperum in cœleſtes theſauros deportandum, hilari mente & facie commendare non deſtitit. Solebat namque creberrime ſed ſecretiſſime more ruſticarum ad id deſiderabile ſibi opus ſuccincta ne vel ipſa veſtium prolixitas ullam ſibi jungere poſſet morulam, ambabus pro dextra manibus utens, tamdiu huic pio inſiſtere labori, quousque vacillante inceſſu non largitate ſed corpore deficiens, neceſſario quietura vel modicum ſeſe cogeretur reclinare, id tantum in votis habens, ne vel ſedendo vel ſtando vel quibuslibet occupationibus detenta unquam à fami-

familiarisſimo ſibi miſericordiarum opere ceſſaret. Hæc igitur poſtpoſitis quæ eſſe videntur, non quod verè ſint quia transeunt, ſed quod nobis ſenſuum qualitate degentibus eſſe videantur ut diximus, nobili illa hominis prærogativâ ad ea quæ verè ſunt, quæ nec ortum ſui reſpiciunt nec finem; toto ſe erigens anniſu, ac meliori oculo ſuperna ſemper intuens, tandem emeritæ admodum ætatis, ad eum quem meditus ſitiverat XVI Kal. Januar. laborum ſuorum centuplicatum recepit præmium, angelico ſtipata cœtu glorioſe migravit, atque *in Baſilica Salinenſi*, quam ipſa in honorem ſancti Petri Apoſtolorum principis pio labore conſtruxerat, honorificè tumulatur.

XIII.

Annus Dñi. ~~DCCCC~~M. Ottonis XVII.

Gregorius Apoſtolicus, Imperatoris cognatus, II Non. Februar. migravit ad Dominum, cui ſucceſſit Gerbertus, cujus ſuperius mentionem fecimus. Imperator autem poſt modicum comperto ſuæ aviæ obitu, ultra quam credi poſſit mœroris nimietate afficitur, ſanctam Dei Eccleſiam, quæ continuato trium lapſu columpnarum, quibus mira firmitate ſubnixa hactenus inconcuſſa ſteterat, Domini ſcilicet Apoſtolici aviæque ſuæ præfatæ Imperatricis auguſtæ, nec non amitæ ſuæ Machthildis Imperialis Abbatiſſæ diſceſſibus vacillare, ſibique jam ſoli innitæ conſpiciens, curarum pondere gravatus, his tamen quæ ibidem vel in publicis rebus vel in aliis agenda erant diſpoſitis, patriam deſolatam quaſi conſolaturus citato curſu viſitare maturat, non paucis ſecum ex Romano ſenatu una pergentibus. Transcenſa verò Alpium difficultate, ut primum *Galliæ* partibus pedem inferre potuit, tota ei Gallia, Francia, Svevia, equeſtri & pedeſtri agmine turmatim obviam ruit, ſorores quoque ipſius Sophia & Adelheida cum Saxoniæ & Thurlngiæ utriusq; ſexus primis occurrendo, velut unicum unice dilectum, ac merito diligendum ipſo ut ita dicam corridente mundo, unanimi gratulatione ſuſcipiunt, & cum eo pariter, quamdiu deſtinati itineris accelleratio patiebatur, debita caritate morantur. Ille verò Evangelici non immemor præcepti, quo dicitur, primum quærite regnum Dei,

juxta morem parentum ſuorum Imperatorum, omnia ſua regi ac meliorari divina exoptans clementia, humili devotione in Sclaviam, ſicut ſuperius diximus, ſanctum Adelbertum Epiſcopum nuper pro Chriſto laureatum adiit, ejus interventum obnixius poſtulans. Deinde in patriam revertitur, & in Quidilingburgenſi civitate una cum ſorore ſua Adelheida, Abbatiſſa cœnam Domini, paraſceven quoque & Sabbatum ſanctum, nec non Dominicam noctem reſurrectionis debitæ venerationis obſequiis feſtivè peregit, unde in ipſis horis matutinalibus ad curtem ſuam totius ſenatus ac plebis expectationi ſatisfacturus rediit, illamque ſeptimanam regalibus impendens officiis, regendo, indulgendo, largiendo, ac remunerando conſummavit. Deinde profectus, ſororem ſuam una ſecum Aquisgrani, quam etiam cunctis tunc poſt urbem Romam urbibus præferre moliebatur, ſumma veneratione fraternaque caritate comitante perducens, aliquantulum temporis quæ cepto itineri congruere videbantur ibi parando quievit. Sed dum nec curſum longius protrahere deliberatum, nec ſororem, quam arctius diligebat, præſentialiter relinquere poſſet, promiſſo tandem poſt ſe Romam veniendi compacto paululum lenito dolore, ille uti decreverat in Italiam ultima proch dolor! profectione acceleraturus, illa monaſterium cui ſpecialiter præerat reviſura, uterque caſſa ſpe ulterius ſeſe in hac luce videndi diſcedunt. Eodem anno præfatus Imperator facta cum Epiſcopis in Magdeburg ſynodo ſecunda feria palmarum Giſilerum ejusdem civitatis Epiſcopum convenit, ut dans honorem Deo, priori ſuo uno & legitimo contentus eſſet Epiſcopio. Ipſe autem non ratione ſed pecunia reſpondens hujus cauſæ mediatoribus usque in frequentiorem curiam paſchæ Quidilingiburg agendam protelari rogavit. Quo dum præ languoris inſtantia venire non poſſet, quendam Rotmannum clericum ſibi familiarem & Walthardum Magdeburgenſis Eccleſiæ præpoſitum, ut eum excuſatum haberent, direxit, ubi nichilominus inducias ad concilium Aquisgrani coram Imperatore congregandum accepit. Huc ergo cum fautoribus ſuis profectus ab Apoſtolicæ ſedis legato de prædicta cauſa bis terque

terque convenitur, nec minus ille renitens defensiones molitur, sed tandem sententia omnium convictus hæc usque ad generalem Romanæ Ecclesiæ synodum differri callide precatur. Talibus machinamentorum artibus impedita res nec terminata intercipitur.

III

Annus Dni. MI. Ottonis XVII.

Imperator posthæc emensis iterato Alpibus peragrata Italia Papiæ aliquantulum remoratur. Inde Romam proficiscens sacrosanctum Dominicæ resurrectionis festum debita ibi veneratione celebrare instituit. Interim callidus nequitiæ autor, totiusque doli repertor mille ut est nocendi artibus instructus, reinduto quo primos homines decepturus quondam sibi adopteverat colubrino amictu, inter Romanorum præcordia serpit, venena inflat, linguis trisulcis, ut manus improbas sine causa ipso Cæsari inferre moliantur, persuadet. Sed dum oppositio illis divinæ pietatis clypeo à læsione Imperatoris sese cœlitus repelli conspicerent, quoscunque justæ parti faventes reperire poterant cruenta cæde multabant, nec ab illa seditione nefanda aliquo modo sedari valebant, donec invitus Imperator collectis suorum viribus ab urbe prius præ ceteris amata, sed ulterius præ cunctis detestanda, mœstus, ut ferunt, in cujusdam castelli munimina discederet, ibique pro ulciscenda injuria assiduo tractatu instantem penitus consummavit annum.

III

Annus Dni. MII. Ottonis XIIX.

In ipso introitu hujus anni Otto tertius Imperator augustus, decus Reipublicæ, sectator justitiæ immatura heu! morte defungitur anno regni sui XVIII, & ut credimus in gremio Patriarchæ Abrahæ, magnæ resurrectionis tempore, melius coronandus ac felicius regnaturus angelicis transvectus manibus collocatur. Cujus rei eventus ne procacitati hostium citius intimaretur, hi qui aderant occultando tegebant, quousque convocatis qui per castella dispersi vagabantur sociis facto agmine funebri profectione Domini sui corpus efferentes improvisi prorumpunt, pluribus tamen ibi ob penuriam equorum sine spe

ſpe vivendi relictis. Cum verò res tanta diutius latere non poſſet, hoſtes Romani his mature compertis indebito auſu execranda omni ævo commovent bella, armis inſtructi velut pro vita patriaque certaturi, defuncti corpus Imperatoris impudenter diſtrahere, mirisque injuriæ modis ſine more mortuum excruciare, quem vivum nocere nequierant, terna belli invaſione pertemptant. Quos divina pietas totiens nece crudeli multari permiſit, adeo ut vix pauci latibulis fugæ ſeſe dedentes inglorii diſcederent, noſtri verò felici ubique victoria uſi, depoſitum pretioſi ponderis theſaurum fideli devotione trans Alpium nivoſa cacumina jam tandem ſecuri deferunt. Quo comperto, Heinricus Dux, ad quem ſumma Imperii pertinebat, maxima comitante caterva, funeri miſerando omnibusque digne plangendo admodum triſtis occurrit, & ad Aquasgrani, quo vivens ſitiverat, gemitibus multis mortuum corpus tandem perducit. Nec mora, itur in templum magno hujusmodi honore, mixto intolerabili dolore, terræ commendatur ſinui, plurimis clauditur magnum ſolatium. Interea diverſi diverſa ſentientes dum maxima pars procerum Herimanno Duci Svevorum auxilium promittunt ad regnum acquirendum, Heinricum mentientes ad hoc eſſe minus idoneum, ſtatum pacis & Imperii perturbare non metuunt. Dum enim quique ſibi pro ſua parte jus Imperii raptum ire molirentur, Eckihardus Marchio in Palithi à Sigifrido & Udone peſſime occiſus eſt, plurimique ſuorum cum eo. Dehinc intrante Julio, præfatus Dux Heinricus nepos regalis in regnum eligitur à Francis, *inſciis q. Saxonibus* Mogontiæ à Willigiſo unctus coronatur. Fama volat ſuper his, dicens pariter Merſeburch illum quam citiſſime venturum, quod & factum eſt. Illo Bernhardus Dux & Saxonum primates cum dedecore ſuorum convenientes benigne ab eo ſuſcepti ſunt, moxque Dominum ſibi illum ac *Regem elegerunt*. Sed & Bolizlavonem Poloniæ Ducem occurriſſe, & regis gratiæ ibi ſupplicâſſe pacis fœdere promiſſo reperiunt, quæ quia firma non fuit poſtmodum patuit. Inde digreſſus per urbes & loca provinciæ aliquantisper commoratus, quæ agenda erant prout tempus & res poſcebant, prudenter diſponebat.

Domi-

Dominæ quoque Imperiales filiæ Sophia & Adelheida honorifice tanti nominis novitatem accipientes, quanta potuerunt caritate occurrerunt, congaudent regi nepoti, quia non licuit fratri. Quas secum digno cum honore ducens, Cunigunda contectali sua una cum eis comitante, Paderbrunnensem ventum est civitatem, qua periculosa inter Bavvarios & Saxones orta est seditio, multorum morte subsecuta. Posthæc in nativitate sancti Laurentii imponitur corona benedictionis Kunigundæ reginæ, datur etiam Sophiæ Imperatoris filiæ benedictio Ganderesheimensis Abbatiæ. Quibus peractis, rege Heinrico Rhenum transmeante, quique in sua rediere. Herimannus autem Dux cum Svevis regi restitit, & Francorum pars quædam refragari cepit multa inutilia perpetrantes, sancta loca exurentes aliaque devastantes, quos tamen Deus citissime humiliavit.

Annus Dni. MIII. Heinrici Secundi I.

Heinricus Rex Sclavos Milkianos hiemali tempore invasit, & cruenta cæde devastans, sibi subjugavit. Quadragesimali autem tempore Magdeburch venit, diem palmarum ibidem acturus, deinde Quidilingenburg pascha celebrat, pentecosten Halverstad: Post hæc *Heinricum Marchionem* & alios sibi resistentes cum exercitu petit. Inde in sylvam Spetheshart *quæ Bavariam à Frantia dirimit* veniens, post laborem expeditionis, delectatione recreatur venationis. Dehinc per Frantiam morose transiens, in Saxoniam venit, & Saxonibus atque Thuringis in Milzaniam expeditionem indixit. Eodem anno Herimannus Dux ad extrema pervenit & discordia Svevorum quievit.

II

Annus Dni. MIV. Heinrici II.

Igitur Rex Heinricus cultor æquitatis inclitus, & religionis divinæ præcipuus, quæcunque regni negotia à decessore suo tanquam puero & ipso intempestivo obitu præoccupato relicta fuissent minus caute ordinata, ipse secundum Domini timorem restaurare justeque disponere studuit. Huic igitur ut innotuit Merseburgensis Episco-

patus

patus deſtructio, ob tam incorrigibilem longo tempore Giſilleri Magdeburgenſis Archipræſulis ambitionem non mediocriter dolens omni anniſu ſe armavit ad ipſius reparationem. Unde & cum regni ſui anno ſecundo nativitatem Domini Polithi celebraſſet, inde Thorneburch profectus, Willigiſum Archi-Epiſcopum cum aliis ſapientibus & idoneis viris Magdeburch direxit, ad præfatum Archi-Epiſcopum, qui jam præ diuturni languoris vexatione à multis deſperatus erat, monens & obteſtans per Deum, ut rediens ad cor, divinæ ſaltim correptionis tam liquido in ſuo corpore perſpicabilis flagella animadverteret, ut uſurpatam injuſtè ſedem relinquens, & legitimam reſumens, quicquid in deſtructione ejus erraſſet vel nunc in extremo vitæ ſuæ ſatisfaciens pœniteret. Ille autem quæ facere nolebat vix ipſo auditu *ſufferebat.* Pauca tamen pro tempore locutus, promiſit ſe abiturum & die tertia indubia reſponſurum. Sed *ô male dilata bona poſt hæc ſæpe negata.* Curru igitur quo aliter ex multo jam tempore non valebat impoſitum ſe abduci in curtem ſuam Thriburi juſſit, ubi biduo commoratus, morbis excruciatam, quia non eſt conſilium contra Dominum, VIII Kal. Februar. animam reddidit. Quo audito Imperator ipſe funereis præſens exequiis, corpus Magdeburg proſequitur, à quo Wipertus Capellanus ſuus de eligendo Taginone voluntatem regiam legaturus ad fratres præmittitur. Walthardus autem ſupra dictus præpoſitus coadunatis fratribus, ut eis antiſtitis mortem, & regis ad illos viſitationem innotuit, quid ſuper electione idonei proviſoris cenſerent, conſuluit. Qui omnes unanimiter ipſum licet humiliter recuſantem ſe eligere reſponderunt. Corpus autem delatum ad ſancti Johannis Baptiſtæ monaſterium prima nocte honorificis vigiliis conſervatur, nec minus ſequenti die ad ſanctum Mauritium deductum, à ſuperveniente tunc Rege, clero & populo ſuſcipitur, circaque illud propenſiori ritu pſallentium ſecunda nocte excubatur. Mane autem facto, Arnulfus Halverſtadenſis Epiſcopus, ut fratres de electione Taginonis conveniret, à Rege mittitur. Walthardus itaque præpoſitus reſpondere rogatus pro omnibus, quamvis ab eis ipſe fuiſſet ad hunc honorem

honorem pontificii electus, tamen à se primo removet hujus ambitionis suspicionem, sed de alio eligendo cum dicat omnes regis sentire intentionem, profitetur eos velle & petere, ut mereantur canonica auctoritate habere liberam, nec potestate regia coactam electionem, nec pati posse suo tempore detrimentum subire suæ Ecclesiæ dignitatem. Rex igitur his auditis accersito eodem præposito & reliquis seorsum majoribus benigne obsecrando, & multa pollicendo, tandem ipsius & omnium voluntate ac consensu electo Taginoni commisit Episcopalem in qua & ipse eum honorifice collocavit cathedram, cujus, ut mos est, laude universorum favore celebrata ad defuncti exequias alio carmine conveniunt, quem & coram altari australi cum multo luctu & lacrymis sepeliunt. Dehinc Rex Merseburch diu pastore viduatam consolationis gratia adiens, pristinis eam restitui honoribus quam maximè conatur. Ibi tunc Tagino venerandus in purificatione sanctæ Mariæ unctus est à Willigiso Archi-Episcopo Mogontino, utriusque suffraganeis qui tunc aderant honorifice suffragantibus, Apostolicæ autem sedis legato & Hilderico tunc in ordine suffraganeorum primo consentientibus. Ordinandus enim ab solo Apostolico fuerat, sed hunc adire causa instantis necessitatis non poterat. Tunc Rex coram omnibus tradidit Merseburgensem Episcopatum supradicto Wiperto Capellano suo, dato ei novi Archipræsulis baculo, per quem illi omnia reddidit, quæ ab Gisilhario injuste hinc ablata didicit. Quem nichilominus illis diebus consecravit idem Tagino cum quaternario astantium suffraganeorum suorum numero. Postquam igitur Rex beati desiderii sui explevit votum, reversus Magdeburch, ne quod ex hac institutione Archi-Episcopo incusaretur intulisse dampnum, quoddam *sui juris* eidem cum legali testamento tradidit prædium, cum omnibus pertinentiis suis, in *Zeudici* provincia situm. Nam ipse in Domino magnæ devotionis Rex de capella sua sumens non modicam partem reliquiarum beati Mauritii hieme tunc forte rediviva frigore sæviente, terramque glaciali asperitate & nive cooperiente, à monte sancti Johannis Baptistæ ubi servabantur nudis pedibus, ut fertur, calore pietatis illum animante tricesimo die depositionis Gisilha-

ſilharii Archi-Epiſcopi in civitatem detulit, cunctis feſtivo ritu, ut par erat, eas ſuſcipientibus quas & ſancto altari cum prædictis donariis obtulit, ipſumque diem in honore præfati martyris ejus Eccleſiæ celebrare, quemadmodum adhuc habetur, inſtituit. Poſt hæc per Franciam in Italiam veniens, ſanctum paſcha ibi acturus, ſed adempto gaudio multa milia rebellium juſſit interire gladio, ob ulciſcendam injuriam ab eisdem Romanis Theotonicis jamdudum illatam, omnibus ſimul ædificiis Papiæ exuſtis, quæ veterum conſtruxerat induſtria illuſtris. Fulgura & tonitrua hoc anno ſimul cum nimia & terribili turbine venerunt, perterritis ubique terrarum populis, & Rex de Italia regreſſus parvo poſt tempore Boëmiam, quam Bolizlaus Polnienſis injuſte poſſederat, pugnaturus intravit, ſed Deo adjuvante tota illa gens ſeſe cum pace, ſuaque omnia regi dedere, & ille Tirannus Bolizlaus contumelioſe evaſit. Deinde reverſus Rex Merſeburg venit, ubi pro remedio animæ cujusdam *Eſiconis Comitis* prædium quoddam, Uppuſin dictum, cum candelabris duobus argenteis altari tradidit, inſuper & Wiperto Epiſcopo mercatores & Judæos ab Giſilhario primitus acquiſitos ac diu commutatos reddidit.

II

Annus Dni. MV. Henrici III.

Rex ira permanente contra Bolizlavonem, reparato agmine Poloniam accelerans fugientem inſequitur ſuam quaſi injuriam defenſurus, ſed proch dolor! multos perditurus Bernhard, & Iſi, Thietbem, & Bernhard cum aliis multis occiduntur. Rex cum exercitu ſecum deferens corpora mortuorum revertitur.

II

Annus Dni. MVI. Henrici IV.

Balduinus in Gallia elevatur contra regem cum Lamperto, in Valentia civitate non ſua. Quod Rex egre ferens eò in expeditionem properat plurimo ſuorum ſudore & longo tempore fruſtra ibidem commoratus, tandem facta pace revertitur.

Annus

II

Annus Dni. MVII. Heinrici V.

Rex Ratisponæ Dominicam reſurrectionem celebrans recenti ſuorum nece cordetenus tactus mittit legatos ad Bolizlavonem, bellum ſe ſitire bellum demandat contra ſe parari, ſed fama iterum de Baldwino non bona percrebruit, quæ id ne fieret, prohibuit. Tandem celeriter in Galliam reverſus, & ſanctæ Eccleſiæ precibus adjutus, quem reliquerat hoſtem, gaudet recepiſſe imbellem. Bolizlaus interim incurſu Saxonum ex legatione regis concitatus, audaci animo elatus prope Parthenopolim, pergens omnem Sclavoniæ eo loci provinciam devaſtat, incolas aut neci tradidit aut captivos colligari præcepit, donec ripam Albiæ fluminis attigit, ubi ſuperba quædam jactans verba obſtante ſummi Regis milite ſancto Mauritio, ſuæ non compos voluntatis revertitur in propria ducens ſecum in vinculis fortes viros Saxonum Ludolffum, Thadilan & Tadi. Rex talia audiens animo dolet & hortatur ſuos, ne id inultum ferrent, ſed hujusmodi affectum neſcio quo obſtaculo nullus etiam nunc ſubſequitur effectus. Bavenbergenſe Epiſcopium à Rege Heinrico conſtruitur, & Everhardus ibidem primus Epiſcopus ordinatur. Conſiderans namque Rex ſe filios non habiturum, quippe qui, *ut multi teſtantur*, conſortem regni ſui Kunigundam nunquam cognovit, ſed ut ſororem dilexerit, omnium bonorum datorem Dominum habere delegit heredem, ſapientique uſus conſilio prædictum Epiſcopatum Bavenberch in honore ſancti Petri ſanctique Georgii conſtituit, locumque ipſum prædiorum divitiis & omnis ornatus decore, ut in præſentiarum cernitur, copioſiſſime ditavit. In meridiana quoque parte civitatis monaſterium in honore ſancti Stephani Protomartyris ſub ordine Canonico conſtruens, ex altera verò hoc eſt Aquilonari aliud monaſterium ſub monachali regula in honore ſancti Michaëlis Archangeli ſanctique Benedicti conſtituens ſibi ſuæque civitati ſupra petram Apoſtolicæ firmitatis fundatæ, muroque & propugnaculis meritorum ſancti Georgii cæterorumq; ſanctorum munitæ ac exornatæ, contra incentivos vitiorum jactus turrim fortitudinis in Ste-

in Stephano & contra refrigerantes flatus illius qui in aquilone unde malum omen pandetur ſedem ponere diſpoſuit, refrigerium certum in angelico præparavit præſidio, ut à dextris & ſiniſtris juſtitiæ armis vallatæ, in nullo ſufficiat prævalere. Aliis quoque ſanctorum locis per regni latitudinem non minus prout opus erat munificentiæ ſuæ impertivit largitatem quædam jam dilapſa in melius reſtituens, quibusdam quæ minus ſuppetebant adjiciens.

II

Annus Dni. MVIII. Heinrici VI.

Adelbero Clericus reginæ frater, regi factus adverſarius, abhominationes multas concitavit contra omne jus & fas, Treverim ſibimet cum ſuis ſequacibus mancipavit ſicque diſceſſit. Quod cum Rex comperiſſet, ſuas ilico copias colligens advenit, Lotharingos ſibi reſiſtentes palatio obſedit XVI ebdomadas ibidem faciens. Illi verò tandem fame coacti falſo dextras dedere, regem remeare fecerunt, ipſi nichilominus in ſua perfidia permanentes, Stella paſchalis ebdomadæ feria ſecunda media die viſa eſt VI Idus Aprilis.

II

Annus Dni. MIX. Henrici VII.

Subita & noſtris temporibus inſolita aquarum refuſio facta eſt III Idus Januar. II feria, luna X multis dampnum inferens & ſeptem diebus permanens. Sanctus Bruno Archi-Epiſcopus qui & Bonifacius, primum Canonicus ſancti Mauritii in Magdeburch, deinde monachicum habitum ſuſcipiens, tempore iſtius Cæſaris Merſeburch venit, benedictionem Epiſcopalem cum licentia Domini Papæ ab eo petens, ejusque juſſione ab Archi-Epiſcopo Taginone conſecrationem, & quod ipſe detulit pallium ibidem ſuſcepit. Dehinc XII converſionis ac converſationis ſuæ anno in Pruciam pergens, ſteriles agros ſemine divino ſtuduit fœcundare, ſed ſpinis pullulantibus horrida non potuit facile mollire. Tunc in confinio prædictæ regionis Ruſciæ & Lituæ cum prædicaret, primò ab incolis prohibetur, ſed plus Evangelizans capitur, deinde à paganis primo manibus ac pedibus præciſis

tandem

tandem capite plexus cum ſociis ſuis numero XVIII VII Idus Mart. Martyr inclitus cœlos petiit. Pater præfati Epiſcopi Bruno dicebatur, mater Ida, frater Gevehardus. Gevehardus genuit Burchardum & Idam, Burchardus genuit Gevehardum patrem Conradi Magdeburgenſis Archi-Epiſcopi. Ida verò genuit Gevehardum Comitem, patrem *Lotharii Imperatoris*. Hoc anno Dominica Palmarum guttæ ſanguinis in quibusdam locis veſtimentis hominum inſtillabant : Sol quoque nebula horribili obſcuratus, mirantibus intuentium oculis velut ſanguineus ac minor ſe viſus, terrorem incuſſit tertia Kal. Maji, feria VI, luna prima, duobus diebus tales minus oſtendens, tertio die proprio vix lumine veſtitur. Peſtilentia & mortalitas graves ſecutæ ſunt. Wipertus Merſeburgenſis Epiſcopus obiit, cui Thietmarus ſucceſſit. Incendia inſolita facta ſunt per plurima loca. Eodem anno obiit Alfkerus Abbas de cœnobio ſancti Johannis Baptiſtæ Magdeburg, cui mox *Sigifridus* frater prædicti *Thietmari Epiſcopi* ſucceſſit, electus de eadem congregatione.

II

Annus Dni. MX. Heinrici VIII.

Heinricus Rex in expeditionem ſuas contrahens copias, Bolizlavum Poloniæ quæſiturus, ſed quo velle ducebat minime perventurus, gravi ingruente ægritudine, media revertitur via, cæteris ut erant belo parati, plurima devaſtantibus loca, multamque prædam ſecum reportantibus. Theodoricus Metenſium Epiſcopus, dotem & patrimonium Reginæ Kunigundis quæ ſoror erat ſua, Bavenbergenſi Eccleſiæ dolens delegari à rege contra ipſum rebellat.

II

Annus Dni. MXI. Heinrici IX.

Rex Metenſem urbem prædictumque Theodericum Epiſcopum tamdiu obſedit, quousque mediante juſtitia pax inter eos convenit. Eodem tempore inter milites Balderici Leodicenſis Epiſcopi eo præſente & Lambertum Comitem Lovanienſem apud Villam, Hugardis dictam, conſerto prælio Epiſcopus Lamberto vincente, multis ſuorum

captis vel occiſis, gravi atteritur infortunio. Peſtilentia & mortalitas inaudita, tempeſtates ubique locorum Monaſteria, caſtella & oppida devaſtantes deſæviunt. Hiemps quoque pruinarum aſperitate importunè longa, ita ut ſolis ardore inſolubilem multo tempore glaciem retineret, ac multa hominum corpora languida redderet. Tertia etiam Kal. Auguſt. ſecunda Feria, luna XXVI, grando glacialis cecidit ingens & horrenda, & ventus ingens plurima ædificia ſubito turbine ſubvertit, & multa alia dampna commiſit.

Annus Dni. MXII. Heinrici II X.

Peracta in civitate Bavenbergenſi Eccleſiæ majoris conſtructione cum natalicius dies Regis Heinrici adeſſet II Nonas Maji, omnis primatus ad dedicationem illius aulæ continuo congregatur, & ſponſa hæc Chriſti per manus Johannis Patriarchæ de Aquilegia, & aliorum XXXVI Epiſcoporum miniſterio conſecratur, quæ ut ſummo decuit regi in omnibus ornata fuit. Intererant etiam regio gaudio dominæ ſorores Abbatiſſæ Sophia & Adelheida, quod erat inſigne decus Imperatoriæ aulæ. Aderat & incredibilis frequentia cleri ac populi, inter quos multis Regis indulgentia à Rege donata eſt, aliis venia repromiſſa. In quadam villa *Saxonicæ Sveviæ* Cokſtede nomine nati ſunt gemini fratres cum dentibus os habentes, quaſi aucæ, alter verò dextrum brachium dimidium ut ala aucæ. Tertia die nativitatis dicuntur inter ſe riſiſſe, quos civili contigit conſenſu mori, quia eos diu vivere omnibus erat timori. Magna à piratis devaſtationis clades facta eſt in partibus Aquilonis in provincia Unna, ita ut multis interfectis, aliis miſerabiliter captis, exuſtis etiam plurimorum ædificiis cum pertinentibus bonis pauci vix veluti nudi evaderent. Terræ motus quoque per plurima loca fiebat, & commotio aëris cum tonitruo & fulgure, & inundatio pluviarum tanta facta eſt IV Idus Auguſt. ut biduo perſeverans plurima dampna perageret, domos multas cum ſuis utenſilibus, nec non acervos frugum peſſum daret, homines quoque periclitarentur. Walthardus Magdeburgenſis Archi-Epiſcopus extrema ſortitus eſt cum Domi-

Domino felicius regnaturus. Vixit autem post obitum Taginonis Antistitis ter terno ebdomadarum numero & nocte una, sedit verò in Episcopatu VII septimanas noctesque binas, trinum & unum Deum ore prædicando, unctus Spiritu sancto, pacem in invicem & in omnes Ecclesiæ Dei, in dilectione Dei & proximi præparando. Post ejus mortem Bolizlavo multis milibus suorum contractis Dalamantiæ terminos occupavit, urbem eo loci noviter instauratam dolose expugnavit, & utrinque magna strage peracta cum captivis domum reversus est. Henricus Rex post festum sancti Martini Confluentiæ veniens magnam synodum habuit, Theodericum Metensem Episcopum cæterosque sibi rebelles causa dampnandi, si nollent converti, & alia perplura acturus. Quod Regis decretum illi aliquantulum timentes, legatos pacis causâ miserunt, veniam precantes; sed Rex recenti vulnere saucius, per omnia voluntati eorum satis non fecit, consilio tamen fidelium suorum Magontiæ se videndi licentiam dedit. Quo quidam ex illis venire neglexerunt, alii verò regio Imperio, ut decuit, paruerunt, & inde non integræ pacis gaudia reportantes, sed firmandæ adhuc suspendia exspectantes reversi sunt in sua. Expulsio Judæorum facta est à Rege in Mogontia, & *quorundam hæreticorum* refutata est insania. Hoc etiam anno inchoatum est fundamentum Ecclesiæ sancti Johannis Baptistæ in suburbio Parthenopolitanæ civitatis à Domino Sigifrido Abbate anno IV ordinationis suæ.

II

Annus Dni MXIII. Heinrici XI.

Heinricus Rex natale Domini in Palithi festivis peregit gaudiis, ubi Walkerus Treverensis Ecclesiæ Episcopus ægrotavit & aliis inde euntibus ibidem relinquitur, III Idus Januar. proch dolor! moriturus. Eodem anno duæ lucernæ ardentes mundo subtractæ reconduntur cœlo; Lievizo Hamanburgensis Archi-Episcopus & Wonleph presbyter & Monachus solitarius: Episcopus namque vi febrium detentus cum laboris sui præmium imminente jam morte à Deo speraret, ut erat nimiæ caritatis providebat suis portum salutis. Erat inter cæteros clericos

clericos quidam Oddo ei ſpecialis familiaris, quem nobiliter Epiſcopatu digniſſimum eſſe prædicans, ipſe primus ſancta oratione in hoc opus elegit, deinde cleri ac populi unanimiter acclamantis eadem vota perſenſit, ac ſic lætus obdormivit in Chriſto II Nonas Februar. Interea Rex de Alſtede diſcedens, ubi Epiphaniam Domini celebravit, Merſeburg venit, & Bolizlavi nuncios pacem poſcentes, & confirmationem cum Miſecone ejusdem filio fieri promittentes audivit, & ibidem prædicti antiſtitis obitum comperit, recordationem ejus ſummopere faciens. Poſthæc tranſiit à Merſeburch & purificationem ſanctæ Dei genitricis in Magdeburch celebravit, & in ipſa die prædictus Oddo, clericis comitantibus ac laicis, ſupplex venit, & regis gratiam ad completionem electionis per fidos interceſſores poſtulat. Quos Rex nullatenus audit, ſed capellano ſuo Unuano cum laude advenientium, etſi non ſpontanea, Epiſcopatum dedit, Oddonem per manus ſuſcipiens & promiſſa ſibi pietate demulcens. Tunc juſſu Regis, in præſentia ejusdem à Gerone Archipræſule cum conſenſu & auxilio Epiſcoporum Ekkehardi & Thurgati Unuan ungitur. Interpoſitis diebus paucis Miſeco Bolizlavi filius cum magnis veniens muneribus regis efficitur, & fidem ſacramento firmat. Dehinc cum honore magno remittitur, & ut iterum veniret delectatur. In his diebus tempeſtas magna poſt Solis occaſum contigit, homines ſubitò perterruit, quam fragor & ignis ſubſequuntur, & in locis quibusdam Eccleſias ſubvertens multa alia dampna commovit, Idus Maji luna I. Diruit etiam tunc Eccleſiam extra urbem poſitam, quæ de rubro facta eſt ligno, regnante primo Ottone. Incendium quoque plurima Archipræſulis bona conſumpſit. Interea pervenit ad Regias aures, quod Werinzo ſive Werinharius quondam Marchio cum Ekkehardo, Hermanni Marchionis fratre, ad Bolizlavum ſine licentia pergeret, ibidem quoque multa gratiæ ſuæ contraria loqueretur, ejusque nuntios hic ſæpe in ſecreto haberet. Hoc omen Rex graviter ſuſcipiens utrosque venire juſſit in ſuam præſentiam. Tandem Werinharius gratiam & incolatum cum prædio ſuo & auro comparavit, alter verò longe poſt eum fideli interventu

rever-

revertitur. In proxima XL Rex ad Werlu veniens diu colica paſſione ibi infirmatur & multa per viſionem ſibi revelata ſunt. Statuit etiam, ſe ſanctum paſcha Aquisgrani celebraturum, quod ne fieret, gravis & repentina infirmitas obſtitit, quæ divinitus tantum ei timorem mortis incuſſit, ut alios dignitate exutos, alios ſuæ gratiæ dulcedine injuſte privatos remittendo priori ſuo redderet loco. Ad ultimum lacrimis & oratione multorum convaleſcens, quia in tam brevi intervallo ad prædeſtinatum non valuit pervenire locum, paſchale feſtum cum Meinwerco ſibi admodum familiari in Patherbrunnun digna veneratione peregit, Pentecoſten autem Merſeburg; in cujus vigilia *Bolizlavo* cum ſecuritate obſidum apud ſe relictorum venit & optime ſuſcipitur in die ſancto, manibus applicatis miles efficitur, & poſt ſacramenta *Regi* ad Eccleſiam ordinato incedenti *armiger* habetur. In ſecunda feria Regem magnis muneribus à ſe & à contectali ſua oblatis placavit, deindeque regia largitate his meliora ac multo majora *cum beneficio diu optato* ſuſcepit, & obſides ſuos cum honore & lætitia remiſit. Poſthæc verò Ruciam noſtris ad hoc auxiliantibus petiit, & magna regionis illius parte vaſtatâ, cum commotio inter ſuos & hoſpites *Pezineigos* fieret, eosdem quamvis ſui eſſent fautores juſſit interfici omnes. Rex ſtultorum depravatus conſilio, Fuldenſis monaſterii bona mirabiliter diripuit, dum ſibi fratrum vita diſplicuit, & data occaſione corrigendi, invaluit poteſtas deſtruendi. Diffugiunt hac & illac vagantes, qui erant cœnobitæ, jugum Chriſti ferentes. CCLXX annis à Carolo primo eo loci Deo militabant, illis autem temporibus proch dolor! ſpectaculum facti mundo, & ſibi dolori & aliis timori. Commotio quoque aëris valida hoc anno fiebat, ut per plurima loca ædificia ruerent, & res quædam pretioſæ à fulmine tactæ interirent. In civitate etiam Bernhardi Ducis, *Luniburg*, dicta horribilis hiatus terræ apparuit, ipſi templo minas ruendi præbens, &, incolis timore perterritis, confugii tempus funditus aufferens, Rex autem occidentales pergens regiones, iter ſuum ad Longobardiam diſpoſuit, rurſumque Merſeburg repedavit, & inde XI Kal. Octobr. diſcedens, per Bavvariorum atque Svevorum

fines tranſivit. Mox inundatio nimia facta eſt aquarum, multa dampna inferens XIX Kal. Januar. luna IX, feria III. Quod Rex flocci-pendens iter inceptum peregit, & natale Domini Papiæ honorifice celebravit, Regina comitante. Ad ſupplementum hujus itineris Bolizlavus ante invitatus, nil aſpiravit, & in bene promiſſis more ſolito mendax apparuit. Inſuper antea Domino Papæ quæſtus eſt per Epiſtolæ portitorem, ut non liceret ſibi propter latentes regis inſidias promiſſum principi Apoſtolorum perſolvere cenſum. Tunc verò miſsis illo nunciis tacite rimatur, qualiter Rex in his partibus haberetur. Quoscunque potuit ab ejus ſervitio amovere conatus eſt.

II

Annus Dni. MXIV. Heinrici XII.

Heinricus Dei gratia Rex inclitus menſe Februar. ebdomada tertia, anno autem regni ſui tertio decimo, à ſenatoribus duodecim vallatus, quorum VI raſi barba, alii prolixa incedebant *myſtice* cum baculis, cum dilecta ſua conjuge Cunigunda, ad Eccleſiam ſancti Petri, Papa exſpectante venit, & antequam introduceretur, ab eodem interrogatus, ſi vellet *fidelis Romanæ Eccleſiæ Patronus eſſe, ſibi autem ſuisq; ſucceſſoribus per omnia fidelis,* devota profeſſione reſpondit, & tunc ab eodem unctionem & coronam cum contectali ſua ſuſcepit, priorem autem coronam ſuper altare Principis Apoſtolorum ſuſpendi juſſit. In octavo verò die inter Romanos & noſtrates magna naſcitur commotio in ponte Tyberino & utrinq; plures occubuere, nocte eos adex tremum dirimente. Hujus rei auctores erant germani tres, Hug videlicet, Heil ac Ecilin, qui poſtea capti & in cuſtodia detenti ſunt, è quibus unus in his partibus evaſit, Secundus ad Fuldum Abbatem deductus eſt, Tertius in *Vucanſtene* caſtello diu ſervatus. Dominicam reſurrectionem Imperator in Pavia civitate celebrans, inſtabilem Longobardorum mentem caritate cunctis exhibita confirmavit. Dehinc ſedatis tumultibus univerſis, reverſus eſt ab Italia, & Hardwigus ob hoc admodum gaviſus Vercellenſem invaſit civitatem, Leone ejusdem Epiſcopo vix effugiente. Omnem quoque hanc civitatem comprehendens

dens

dens rursum superbire cœpit, quem, ut in sequentibus patebit, divina majestas nimis humiliatum, se culpabilem cognoscere coëgit. Hoc anno Imperator Corbejæ venit ad visitandos fratres, quorum sibi vita displicuit, & eam Imperiali auctoritate corrigere voluit. Unde plures illorum instituta patrum defendentes, & plus justo contra jus Imperii sævientes eheu! misere desipiunt, cum percussi in maxillam non præbent alteram, sed sine consilio rebelles male parant pugnam. Quid deinceps actum sit nostris temporibus, magis est stupendum, quam stylo demandandum. Sedecim tamen ex illis capti custodiæ traduntur, & cæteri Imperatoris mandata sectantur. Res miranda & nimium stupenda contigit III Kal. Octobr. in partibus occidentalium regionum, Walachre, & Flanderæ. Horrendæ nubes apparuere, quæ per tres noctes miro modo immobiles minas intuentibus intulere. Tertia verò die tonitrui inauditus fragor adveniens turbavit maria, ita ut horribiliter intumescerent, & incredibiliter crescendo nubibus cohærerent. Cumque gementes incolæ repentinæ calamitatis miseriam in tantæ inundationis mole conspicerent, & sicut post mortem Juliani Apostatæ naves ad prærupta montium penderent, vel in antiquum chaos redirent, timore mortis perculsi terga vertere cœperunt, sed peccatis præpedientibus multa milia hominum subito fluctibus interierunt, quam vultum Domini iratum effugere non valuerunt. Hoc etiam anno Sol & Luna aliaque sidera dant metum tristium signorum, quæ mox sæva pestilentia & mors subitanea sequuntur. Stella multis in medio die apparuit.

II

Annus Dni. MXV. Heinrici XII.

Heinricus Imperator in Walbike diem palmarum agens, nuntios de Italia sibi in Sacramenta constrinxit, & inde digressus, Merseburg paschale festum peregit, ubi Bolizlavo omnia munera, quæ illi miserat, simul cum gratia perdit, dum illum legatione superba infestum reddidit. Commotio aëris & ictus fulminis hoc anno periculosa dampna intulere, quibusdam partibus monasterium sanctæ Mariæ in monte Occi-

Occidentali * * Imperator fratrum Corbeigenſium privilegia & conſuetudines aliquas priores, quas CCXXX & IX annis Ludovvico pio dante habuerant, poteſtativè mutavit, amoto monaſterii patre, ignotum & fortaſſe bonum illis præfecit, qui quaſi doctior errata corrigeret, & devios ſanctæ regulæ tramitem cautius doceret. Ex hoc illi nimium merentes, vitam ſuam quæ cunctis pene Monachis exemplo claruerat, vileſcere ingemiſcunt, ſeque mutuo hortantur potius diſcedere, quam tantæ injuriæ ſubjacere. Sicque factum eſt, ut pauci admodum ſupereſſe viderentur, cæteris ſeculo mirabiliter occupatis, ſed poſtea Dei gratia decenter converſi, divinis rurſum ſe mancipaverunt obſequiis. Addidit etiam hoc anno Imperator legationem mittere, ad Bolizlavum pro reſtituendis regionibus quas abſtulerat. Ille verò more conſueto ſuperbe reſpondit, ſe non ſolum propria retinere velle, quin potius non ſua diripere malle. Ad hæc Imperator merito indignatus, bella parat, fortiaque virorum milia vocat in arma, cum quibus ſine mora Poloniæ attigit fines, cum in primo aditu divina aſſunt ſolatia. Hoſtes enim terga verterunt, ſed alibi nongenti ceciderunt, ipſe quoque Bolizlavus à facie ejus eminus fugit, ſicque Rex exhilaratur ſalvo ſatellite, excepto uno juvene egregio, qui viribus imbellis cum paucis fortibus intrepida morte laudabiliter occubuit. Imperator verò dolet ſibi quenquam periſſe, cui prius contigerat triumphaſſe, conſilio ſuorum exercitum jubet redire. Illi ut erant ignari viarum per ſylvam quandam tendunt ad locum, qui vix tantæ multitudinis capax undique interfluente palude, & frondium cingente coronâ, brevem laſſis conceſſit quietem. Conveniunt primates & laſciva juventus ſuis viribus victoriam jactantes, & pro iteranda ſtrage, abſentibus inaniter minitantes, nullus ut decuit Deum Deorum pro collatis beneficiis laudibus ſtudet attollere, vel de futuris preces effundere ah ideo contigit nobis deflere. Cingitur interim miles collectus ſubita belli formidine, nam aſſunt hoſtes de inſidiarum latibulis, memores injuriæ civium & hos receſſus gladiis, illos ſpiculis jaculisque excludunt. Exoritur clamor, & ſi quod fuit gaudium, mœrore confunditur, dum utrinque ſæviſſime

vissime præliatur, & pars inimica cessisset, si peccata nostra non revocassent. Sarcina cujusdam Fritherici periclitabatur, & ipse dum nititur succurrere suis, coram cunctis prosternitur, redintegrato dolore, Gero autem Comes miserans casum morientis amici, medios fertur in hostes, nunc hos valida dextra, nunc illos frementi proterit equo. Tandem nimia cæde lassatus, glorioſæ mortis pocula inter multos degustavit primus, cæteri verò ut se in arto positos vident Deum, sibi placari optant, quem jam cognoscunt iratum, sed non poterat sententia evelli, quia constat illos pro Christo mori.

Cæsar Oderam transmeans, reluctantem Poloniorum multitudinem admodum prostravit, & nemo de exercitu regio, nisi Oddo inclitus juvenis, cum aliis duobus satellitibus sauciatur. Hic cum Sigifrido filio Oddonis Marchionis ab Imperatore accusatus, eo quod Bolizlavo nimium hactenus familiaris fuisset, eodem die viriliter se expurgat, & à suis eminus digressus, cum hostes solus fugientes insequeretur, sagittta per tempora immissa primo ocellum, & post vitam amisit; eorum autem qui ex parte hostili oppetierunt ducenti fuere prædam relinquentes copiosam.

11

Annus Dni. MXVI. Heinrici XIV.

Imperator natalem Domini in Pathelbrunnun festivis peregit gaudiis, posthæc Popponem Luippoldi Marchionis filium & Bavebergensis Ecclesiæ præpositum Treverensi præfecerat urbi. Et cum is ab Erckenbaldo Mogontiensi Archi-Episcopo jussu Cæsaris & licentia Virdunensis Episcopi, (qui primus horum in ordine confratrum) consecrari debuisset; à Thiederico Metensi antistite, eo quod à se justius hæc ordinatio fieri deberet, assidua acclamatione, humilique petitione id in cassum prohibebatur. Nam Imperator hunc scripta demonstrantem, & banno id interdicentem, non exaudivit, sed unctionem fecit compleri. Egregius antistes Cantuariæ civitatis Dunstan à Northmannis innocenter interemptus est, & gloriosus Christi martyr effectus. *Wigmannus Comes Occidentalis Saxoniæ*, spe inter se & Balderi-

cum Comitem reconciliatæ pacis, perſuadente callida, perfida & avara conjuge ejusdem, inſidiis peſſimorum in itinere doloſe interemptus occubuit. Luna XXX colliſiones nubium horriſonæ, cum crebra coruſcatione, & imbrium nimietate plurima ſubruunt ædificia.

II

Annus Dni. MXVII. Heinrici XV.

Heinricus Imperator hoc anno in Ingilaheim paſchalibus gaudiis interfuit. Eodem anno in cœnobio religioſorum Monachorum VIII Kal. Mart. dedicata eſt Eccleſia ſanctæ Mariæ ſemper virginis, & exuſta eſt Eccleſia ſancti Johannis Baptiſtæ cum uno Monacho. Imperator caſtra movit contra Bolizlavum, ſed mira peſtilentia & mortalitate populi obſtante, ſine bello rediit, cui ilico venienti nuntiatur Gerhardum in Francia, plurimis civili gladio peremtis, mala grandia concitare, unde commotus illo diſpoſuit ire. Eclipſis facta VII Idus Novembris. *Palatinus Comes Bernhardus* [ſorte Burchardus, de quo Ditmarus lib. 6.] *paralyſi percuſſus eſt.* Magdeburch à Bernhardo Marchione cum magna multitudine appetitur noctu, & ibi miles quidam Archi-Epiſcopi innocens capitur, alter verò vulneratur.

II

Annus Dni. MXVIII. Heinrici XVI.

Tempore Heinrici Imperatoris & Geronis Archi-Epiſcopi in urbe Parthenopolitana duæ conſorores fuêre, quarum prior Alwred & ſequens Ermengarth dicebantur, ambæ admodum laudabilis vitæ, non cum cæteris ſanctimonialibus converſando, ſed ſingulariter in Eccleſia, quæ rotunda dicebatur, Chriſto ejusque dilectæ genitrici ſedulum exhibebant obſequium. Junior lumine privata interiori acie æterno ſplendore *, nec longè poſt ad patriam ſemper optatam VI Idus Febr. migravit. Hujus ſenior Germana nepti ſuæ innixa Fritherunæ & crebro amiſſæ ſororis, & aſſiduæ infirmitatis dolore deficiens, nil niſi quatuordecim ſeptimanas & tres dies ſupervixit. Hæc pridie quam carnis debitum perſolveret, in exceſſu mentis effecta, in præſentia ſanctæ Dei genitricis delata eſt, ubi Taginonem & Walthardum Archi-Epiſcopos, & Ei-

& Eidum præſulem venerandum magno lucentes honore ſibi indulgere promeruit. Cognovit quoque ibidem materteras Geronis Archi-Epiſcopi Miriſuidam & Emnildam & Eddilam nomine, quæ Abbatiam reliquens Chriſti amore juxta monaſterium doctoris gentium ſancti Pauli Romæ includitur, & aliquam quæ Oda vocabatur, omnes illud Pſalmigraphi canentes: Placebo Domino &c. Interim præſentibus cunctis quaſi mortua videbatur. Tandem expergiſcens oculosque elevans viſionem palam edidit. Hactenus inquiens libenter commorabar, nunc conſideratis multo his melioribus, piget jam in hac lutea me amplius manere caſa. Novi enim vere, quod cras vos relictura locum mihi prædeſtinatum, munere divino poſſidebo. Sicque factum eſt. Nam felix anima ejusdem tranſiit ad Dominum XI Kal. Junii. Hæc vera eſſe fratres in Chriſto *credite mihi*, & has Eccleſiæ adjutrices admodum utiles eſſe pro certo ſcitote. Cometa viſa eſt, quæ luctum nimiæ vaſtationis per Thiedericum Galliæ partibus peſtilentiam inſuper & mortalitatem miſero mundo nuntiavit. Qua clade obiit Bald'ericus Leodicenſis Epiſcopus, cui Fullodo præclarus ſucceſsit. Thietdag Pragenſis Epiſcopus obit, cui ſucceſsit Eckehardus Nienburgenſis Abbas, huic ſubrogatur Herdiggus ab Imperatore. Imperator natalem Domini Patherbrunnun celebravit, & Goslariæ quadrageſimale tempus peregit. Inde Walbike iter agens comitante Imperatrice, ac venerabili nepte ſua Adelheida, Quidilingeburgenſi civitate una cum Epiſcopis ac collecto utriusque ſexus populo, familiaque Dei laudes divinas ſtudioſius alternante, diem Palmarum ſolempniter celebravit, deinde Merſeburch paſchalia feſta peracturus venit, quo plurimorum infamia cognita, digna eſt pœna multata. Bolizlavo Ruſciam auxilio ſtrennuorum Saxonum ſibi ſubegit: Kal. Januar. Gero Archi-Epiſcopus juſſu Imperatoris *Bernhardum Marchionem* nudipedem emendationem pollicentem ſuſcepit, & ſolutis pluribus ab eo impoſitis bannis Eccleſiæ præſentavit. Cæſar à Palithi exiens, in Altſtede Epiphaniam Domini decenti honore peregit. In eadem ſacra nocte *Frithericus Comes* fidelis Chriſto obiit in urbe ſua *Iburg* dicta. Hic quia vir ſapiens

piens fuerat, & finem sibi præsentis vitæ jam vicinum intellexit, prædictam urbem fratris sui filio *Thiederico* nomine ea ratione dedit, ut cum laude sua, quia hæres fuit, *& hoc aliter legittime fieri non potuit*, liceret sibi tribus filiabus suis omne prædium quod remansit tradere. Hujus Comitatum & potestatem super *Siusile* pagum, isdem Thiedericus Imperatoris munere suscepit. Postquam ergo duo Archi-Episcopi scilicet Erkenbaldus Magonciensis & Gero Parthenopolitanus, Arnulfus quoque Halverstadensis Episcopus, cum comitibus duobus, Sigifrido videlicet & Bernhardo, aliisque quam plurimis ob contemtum Bolizlavi se fallentis, commoti adveniebant, Imperatoris mentem apertis legationibus incendunt. Itaque tum ibi de futura expeditione tractatur, & fidelis quisque ad hanc præparari monetur, & ut nullus inter nos & publicum hostem nuncius mitteretur, sive susciperetur, firmiter ab Augusto prohibetur, & quisquis hoc hactenus agere præsumeret publicaretur. Dehinc Imperator à Merseburch proficiscens, Magdeburch adiit, ubi gloriose susceptus est. Postera verò luce, idem Dominica die, qua septuagesima instabat, carnes deposuit & secunda feria Archi-Episcopus capellam septentrionalem benedixit præsente Rege. In cathedra verò sancti Petri Imperator cum Regina ab Archi-Episcopo Gerone magnis muneribus honorantur. Crastino autem pergentes inde Halverstade venerunt. Interea in monte beatissimi JOHANNIS Baptistæ, qui Parthenopoli vicinus est, res admodum lamentabiles XII Kal. August. nocte Dominica contigere. In dormitorio namque venerabilium fratrum lucerna quædam ardens major solito illuxit, & proxima quæque occupans voraci flamma consumpsit, juxta quiescentibus, proch dolor! sero nimium intelligentibus. Cumque tamen omnes tale jam evasissent periculum unum ex suis causa eripiendi sacerdotalem apparatum subito regressum, & in medio ignis *peccata confitentem* amiserunt. Huic nomen fuerat Hennico. Dehinc monasterium ab ejus loci Abbate Sigifrido, VIII annos decentissime elaboratum, ardens, omnibus timoris magnitudinem infundit. Duas nichilominus cappellas cum refectorio cæterisque cohærentibus officinis

cinis ignis late circumvolans consumsit. Corporis denique reliquias perusti mane fratres summopere colligentes, suis prædecessoribus apposuere. Itaque Abbati suo absenti per internuncium miserabilem indicavere eventum. Quibus agnitis venerabilis Abbas suis imposuit commissis, & quia corrigere in præsenti nequivit, honesta fronte subportavit dicens : Dominus dedit, Dominus abstulit, sicut Domino placuit, ita factum est, sit nomen Domini benedictum. In omnibus ergo tribulationibus his suis non peccavit patiens Pater labiis suis, neque stultum aliquid contra Deum locutus est.

II

Annus Dni MXIX. Heinrici XVIII.

Cæsar à Bavenberch pergens per Wirciburg venit *Franckenverde*, ubi natalem Domini regio more peregit. Sed ne hujus nominis antiquitas te prudens lector lateat, sicut à veridicis viris audivimus, sic tuæ discretioni intimabimus. Regnante Karolo magno Imperatore Pippini Regis filio bellum sit inter suos & nostros, in quo certamine Franci à nostræ fortitudinis juventute devicti, cum flumen Mogin dictum palantes transire cogerentur sine aliqua itineris certitudine cervam præcedentem & divina miseratione quasi viam eis demonstrantem secuti, optati litoris securitate hilares potiuntur, ex hoc locus hic dictus *Francorum vadum.* Piæ memoriæ *Thietmarus Episcopus Merseburgensis* migravit ad Christum, cui succesit Bruno.

II

Annus Dni. MXX. Heinrici XIX.

Hoc anno hyemps solito asperior inhorruit, adeo dura, ut ipsa vi algoris plerique extincti occumberent, quam etiam prius inaudita clades mortalitasque subsecuta, totum pene orbem subitaneo vastans occasu in momento inque ictu oculi, incolomes ac sua quasi desospitate certissimos in ipsis nec non epulis lætissimos inopinate subtraxit. Dominus Papa Benedictus cum Henrico Imperatore cœnam dominicam, ipsumque paschale festum in Bavenberch decenti fertur excoluisse ministerio, ibique Imperatoris ac Principum debito obsequiorum ritu

honorifice ac multiplici opum copia donatus, dominam mundi Romam locuples ac ſoſpes reviſit. Deinde XV Kal. Auguſt. ~~Februar~~ Feria II. luna XXIII incipiente hora diei III usque poſt VI apparuit *circulus magnus circa ſolem, colorem yris habens, quem alii quatuor lucidiores circuli binis loris in modum crucis complexi ſunt, ſed tamen tribus rareſcentibus. Duo idem medius & aquilonalis diutiſſime perſtiterunt.* Interim res mira cunctisque retro temporibus inaudita incolis ſeptentrionalis plagæ accidiſſe fertur. Nam Albis & Wiſara fluvii, inſolita inundationis mole non ſolum alveos ſuos egreſſi, ſed ab ipſo imotenus fundo, neſcio qua immani ventorum violentia evulſi, Appia rura cuncta circumjacentium late confinia terrarum ipſis quoque collibus & montibus, quos natura quadam præ cæteris ſublimitate munierat, altius insurgendo merſiſſe, & quod his mirabilius ac omnimodis incredibilius eſt auditu, *villas integras nequaquam ſoluta ædificiorum compage cum inibi degentibus, de alia in aliam transvehendo ripam*, eadem qua prius poſitione conſtituiſſe inter hæc Eccleſiam quandam opulentis fidelium ibidem confluentium votis rite dicatam, eodem quo reliqua impetu priſtino funditus ſtatu evulſam alibi translatam refertur. Supradicti quoque fluvii Wiſara & Albis ternis dierum vicibus ac noctium flammivomis contra naturam ſuperficietenus viſi ſunt arſiſſe vaporibus, quid de cadaveribus dicam? quorum numeroſitas omni humanæ æſtimationi difficilis in plures quaſi aggerum cumulos concreta, decreſcente diluvio, dum pia quorundam ſollertia debitum humandi præbere ſtuduerunt, tantis tamque tenacibus ſerpencium colubrûm, cunctarumque id genus peſtium involucris ita connexa reperiuntur, ut nec ferro nec cujuslibet artis inſtrumento, ea diſſolvendi ullam timida mortalitas viam invenire quiviſſet, ſed de his quid fuerit, ſit vel fiat ipſi qui eandem gentium preſſuram præ confuſione ſonitus maris ac fluctuum futuram prædixerat, diſcutiendum relinquimus.

Annus Dñi. MXXI. II Heinrici XX.

Imperator pro conceſſa ſibi divinitus victoria, Deum Deorum Domi-

Dominum collaudans Saxoniam properat, ſollempnitatem palmarum Walbike peracturus gaudiaque paſchalia Merſeburch debita celebraturus devotione. Hoc itinere venerabilem Heribertum Archi-Epiſcopum migraſſe felici curſu cognovit, celeri intimante legato. Hic ergo piæ memoriæ præſul quam aſsiduus in oratione, quam pernox in vigiliis, quam ſollicitus curatione pauperum, quamque in omni religione Eccleſiaſtica ſtudioſus extiterit, quia humana facundia proferre non ſufficit acta divinitus ad tumulum ejus proteſtantur miracula. Emenſa verò Imperator Auguſtus inchoata via, cunctis ut ita dicam Europæ primis ad eum confluentibus diverſarumque gentium miſſaticis ad Imperiale ejus obſequium undique properantibus ſacroſanctum Dominicæ reſurrectionis gaudium toto jam conridente mundo eximia celebravit gloria. His igitur omnibus conrenienter expletis Imperator Parthenopolim profectus ſacros dies Pentecoſten apud famoſisſimum ejusdem civitatis Archi-Epiſcopum Geronem non inferiori gaudiorum dignæque venerationis ſtudio glorioſisſime peregit. Inde curtem regiam Alſtidi dictam repetens, habitoque inibi colloquio cum totius ſenatus plebisque concurſu pios lenitate permulcendo prædulci, ſevera diſtrictione reos terrendo, totaque induſtria patriam muniendo, intra hujus provinciæ civitates totum illum annum feliciter perduxit, Ekkehardus quidam in cœnobio beatisſimi Johannis Baptiſtæ monachus paralyſi depreſſus loquelam perdidit. *Otto Comes* in præſentiam Imperatoris ſupplex veniens, conjugem ſuam quam fœdere illicito ſibi copulârat tribus ſacramentis amiſit.

II

Annus Dni. MXXII. Heinrici XXI.

Imperator de loco in locum proficiſcendo primum urbi munitiſſimæ, Trojæ videlicet, cujus mœnibus indigenas, provincialium legatione, ditioni regiæ cognoverat, rebelles, bellicoſam invexit aciem. Quam licet obſidione longa ſuorumque ſudore plurimorum more avorum attavorumque Regum, namque glorioſisſime devincens, incolasque hujusce aut neci tradens aut captos colligari præcipiens, quos

antea contumaci animo ſibi ingemuerat renitentes, ſuo poſtmodum dominio Deo cooperante gaudebat ſubjugatos. Sed his proſperitatibus non elatus verum Dei miſericordia præditus hujusmodi victoriam non ſuis, ſed Domini virtutibus aſſcribens, Romanæ ſedis apicem acceleravit, ubi aliquantulum moratus, regni illius optimatibus pace gratiaque ſui redimitis nivoſa Alpium cacumina veloci transgreditur curſu, tanta mortalitate ſubſecuta, quæ vix aut nullatenus vocum nutibus, vel etiam officiis ſtili valeat enucleari. Quam videlicet cladem Imperator Auguſtus evadens cœlitus obumbratus, ſed raro milite comitatus exceptis his quos ſibi mater Europa occurrendo admiſerat, germanicas pervenit ad horas, magnumque ſinodale colloquium confluentibus undique diverſarum regionum Epiſcopis in partibus habuit occidentalibus. His itaque prout res tempus poſcebant peractis *Grona* dictum perventum eſt ad locum, quo regali in præſentia inter geminos præſules, Geronem videlicet & Arnulfum, nefanda omnique ævo execranda oritur ſeditio, ideo dico nefanda, quia periculoſa, ideo periculoſa, quia non peritura, ſed ut vereor illos perditura amborumque necem * perdurabat exſpectatura.

Annus Dni. MXXIII. Heinrici XXII.[11]

Heinricus Imperator albas feſtaque paſchalia principibus turmatim undique concurrentibus Merſeburch rite peragens, quod rarum vel penitus inauditum videtur, terna unius ejusdemque templi dedicatione gratificatur. Gero Magdeburgenſis Archi-Epiſcopus multis confectus doloribus XI Kal. Novembr. ſeculo moriens, ſed Chriſto vivens migravit. Hic cum conſilio fidelium ſuorum commutavit xenodochium, quod primus Otto conſtruxerat in villa, quæ dicitur Rothartdeſtorp, & facto infra urbem monaſterio in honore ſanctiſſimæ Dei genitricis Mariæ, eadem prædia, unde prius Chriſti militibus, ſcilicet egentibus, neceſſaria præbebantur, cum aliis bonis pretio proprio acquiſitis eidem Eccleſiæ contulit & præpoſturam ibi conſtituit. Aliam præterea Eccleſiam in honore beati Johannis Evangeliſtæ conſtruxit & dedicavit,

cavit, Canonicisque ibidem Deo servientibus de sua proprietate, unde sufficiens illis victus & vestitus esset, deputavit, & statum loci cum illis Ecclesiis honorifice amplificavit. Muros nichilominus urbis, quos Otto pius Imperator imperfectos reliquit, hic consummavit, domum etiam sancti Mauritii cum variis ornamentis & ædificiis Episcopii renovavit, & omnia in sua diœcesi tam exterius quam interius meliorando refecit. Decessit autem in villa Vaddarroht vocata, in parochia Halverstadensi, relinquens posteris plurima suæ industriæ monumenta. Arnulfus Halverstadensis Episcopus Christi fidelis famulus sapientia divina præditus, scientia humana facundus cunctis perpetim seclis lugendus, cœli collocatur palatio. Is acquisivit sancto Stephano divina favente clementia mille & ducentos mansos multaque alia in molendinis, in areis, pratis, silvis, *in fossis salenariis*, in palliis, in misalibus indumentis ad omnes ordines pertinentibus admodum auxit. Tabulam altaris supremi auro puro & gemmis decoravit. Thuribulum aureum & thuris receptaculum aureum & calicem magnum aureum cum patena & varia ornatuum genera sancto Stephano contulit.

II

Annus Dni. MXXIV. Heinrici XXIIII.

Imperator natalem Domini Bavenberch peregit. Ibi turba convenerat pastoribus destituta, quia omnes suspensi manebant, cujus providentiæ cura Imperiali potestate committerentur. Igitur cum his quos summos habitos cognovit inito destinationis decreto substituit Hunfridum in vice Geronis Magdeburgensis Archi-Episcopi assumptum de choro Wirciburgensi: Eadem die Brandagus Vuldensis Abbas Arnulfi antistitis successor constituitur. Cæsar diversis doloribus vexatus eodem loco crebra infirmitate diuturnas protraxit moras, resumptisq; demum viribus, citato cursu Parthenopolim ire proposuit. Tandem post longam deliberationē laborioſi itineris diem palmarum in loco qui dicitur Alstede festive celebravit. Die verò reconciliationis exigente infirmitatis gravedine, remota à se quæ convenerat multitudine, paucis comitantibus Nienburg cœnam dominicam peregit. In sancto

sancto verò Sabbatho contracto totius senatus conventu, contectali sua Cunigunda comitante Parthenopolim venit, ubi cum grandi honore susceptus est, Dominicæ quoque resurrectionis gaudia celebri honore transegit, deinde ab antistite ejusdem loci auri sericorumque varietate plurimum donatus, Halverstade adiit. Inde nichilominus Goslariam profectus est, ubi diebus decem peractis ad locum quendam *Grona* dictum properat, ibique forti ægritudine depressus, & amaræ mortis poculo debriatus vitalem emisit spiritum. Dehinc flebili querimonia secundum quod ipse decreverat Bavenbergensi castello defertur, & cum mœrore terræ matri commendatur. Facto autem in brevi totius senatus conventu, Conradus Princeps in Regem eligitur atque à Mogontino Archi-Episcopo Aribone unctus coronatur. Sublimatus autem in regni sede, consilio Brunonis Augustensis Episcopi, fratris Heinrici Imperatoris, qui ut dictum est semper felicibus ejus invidebat actibus, Bavenbergensem Episcopatum meditabatur destruere, quia Idem Bruno Episcopus pollicebatur Gisilæ Reginæ omnia prædia hæreditario jure ad se pertinentia filio ejus Heinrico tradere. Locus verò & tempus conventui statuitur, ubi hæc res ad certum perducatur. Nocte igitur quæ diem præcesserat, in qua hæc ventilanda erant, Everhardus Bavenbergensis Episcopus ad tentorium prædicti Brunonis clam accessit, lecto ejus assedit, multa super hæc monendo, obsecrando, memoriam fratris in animo conculcando, cum eodem sollicitus egit. Qui ubi jam multa noctis hora transacta recesserat, & Episcopum pro auditis sollicitatum somnus oppresserat, visus est ei frater suus Henricus Imperator lecto suo astare, faciemque suam barba ex una parte dipilata turbatam objicere. Cui super hac re miranti ac quis tam temerarios ausus in eum præsumeret interroganti, tu ait ille, hæc fecisti, qui me & sanctos Dei quos rebus à Domino mihi concessis dotavi despoliare dispositisti, cave jam ulterius super hac temeritate, ne incepta luas magna infelicitate. Ad hæc ille expergefactus ac de visione non parum perterritus, membrorum quoque horrore non leniter est attactus. Mane autem facto, cum diu exspectatus ad conventum procerum non veniret,

niret, Regina pro filio ſollicita nuntiis miſſis obnixe precabatur ac devotè, ut adveniens promiſſa perficeret. Ille verò affirmabat, ſe tanta infirmitate gravari, ut nec de lecto ſurgere, nec pedem quoquam poſſet movere. Cumque rogaretur, ut in lecto ſe ad conventum ferri concederet, quo vel ſic propoſitum perficeretur, omnino abdicavit, ſed ſe in Deum & in ſanctos ejus, in fratremque ſuum peccàſſe teſtatur. Sic itaque divina pietas per merita famuli ſui, ne ſpe quam in ſe poſuit fraudaretur, omnia illius pravæ conſpirationis machinamenta repreſſit, idque quod ab eo bene ceptum eſt confirmando ſemper exinde ad meliora provexit.

Annus Dni. MXXV. Conradi I.

Conradus Rex primum ſuæ felicitatis annum in natali Domini Mindæ initiavit, & Epiphaniam Patherbrunnenſi civitate more regio peregit. Inde poſt Epiphaniam Hildinisheim venit, ubi prædictus Aribo Archi-Epiſcopus, qui vivente Heinrico Imperatore per biennium conticuerat inventa occaſione, ſanctum Godehardum ſuper *Gandisheim* inquietare cepit, quam tamen ejus machinationem novus Rex primatum conſilio diremit. Bolizlavo Dux Poloniæ obitu Heinrici Imperatoris comperto elatus animo, ſuperbiæ veneno perfunditur, adeo ut uncto imponi ſibi coronam temere ſit uſurpatus. Poſt hunc Meſeco filius ejus natu major haut diſſimili tumens ſuperbia, virus arrogantiæ longe lateque diffudit. Res admiranda noſtrisque temporibus vehementer ſtupenda prid. Non. Februar. contigit. Siquidem Sol aureis invectus quadrigis, dum mediam poli axem mira ſui ſplendoris claritate perfunderet, ſubito *ſub terra figura* viſus eſt fulſiſſe. Quod mirabile prodigium rei eventu conſtat probatum. Hoc anno fames prævaluit, multaque loca incendio periére. Obiit Marquardus quintus Abbas ſancti JOHANNIS Baptiſtæ, cui ſucceſſit Bruno frater Sigifridi Abbatis Religioſi.

Annus Dni. MXXVI. Conradi II.

Rex natalem Domini Leodii celebravit, & Heinricum filium ſuum Regem fecit, cui etiam filiam Cnud Regis Danorum mediante

Unwano

Unwano Bremenſi Archi-Epiſcopo depoſcens uxorem, dedit ei Sleswigh civitatem cum Marcha quæ trans Egdoram eſt in fœdus amicitiæ, *& ex eo tempore fuit Regum Daniæ.* Eodem anno memoratus Aribo Archi-Epiſcopus, in natali ſancti Matthæi Apoſtoli Seligunſtat concilium generale duodecim Epiſcoporum concivit, in quo præſulem Hildinishenſem ſuper prædicto Gandinisheimenſi territorio publice convenit, quam tamen Synodum unanimitas fratrum in annum futurum diſtulit. Obiit Riddagus ſecundus Abbas ſancti Johannis Baptiſtæ, qui depoſitus à Taginone Archi-Epiſcopo, poſt *Luniburgenſi* Abbatiæ præfuit.

Annus Dni. MXXVII. Conradi III.

Rex nativitatis Domini feſtum Yporeæ initiavit, inde ad limina Apoſtolorum tendens feria III ante cœnam DominiRomam proſpere intravit atq; in ſacroſancta reſurrectioneDominica coronam imperialem à beato Johanne Apoſtolorum Vicario ſuſcepit. Inde in proxima Dominica regreſſus, ac pervaſa circumquaque poteſtative ea regione in pace repatriavit, atque nativitatem beatiſſimi Johannis Baptiſtæ *Imbripoli* regaliter celebravit, ubi defuncto in bona ſenectute Heinrico Duce Bavvariorum, filio ſuo Heinrico eundem Ducatum *Principum delectu* commendavit. Eo item anno Aribo Mogontinus concilium ſynodale habuit præſidente Imperatore cum Epiſcopis XXIII, in quo iterum beatum Godehardum de ſæpius præventilata cauſa more ſuo inquietavit. Ubi præſul tandem ſumma veritate, quæ Deus eſt, miſerante Epiſcopatus ſui proprietatem ſuper totum Gandisheimenſe territorium teſtimonio ſeptem Epiſcoporum, qui pactionem in Gandisheim & audierant & viderant, Canonice retinuit.

Annus Dni. MXXVIII. Conradi III.

Imperator natalem Domini Leodii celebravit; Paſcha verò Aquisgrani feſtivè feriavit. Ubi filius ejus Henricus *regalis nominis coronam* à Billigrino Archi-Epiſcopo cleri plebisque electione honorifice percepit. Eo iterum anno ſæpe dictus Aribo Synodum ſuam Geizlicæ concivit, ad quam beatum Godehardum inquietandum legatis &

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 90;Leibn. Marg. 90, Stück 1, [260] - 240
PUBLIC DOMAIN

tis & ſcriptis vocavit, quo ille diſſimulans venerabilem virum Tadilonem Decanum illius Eccleſiæ cum fratribus ei obviam miſit, qui eum honorifice ex parte Senioris ſui ſalutando de præteritæ Synodi diffinitione commonuit, & plurali altrinſecus auctoritatum collatione profuſa, Epiſcoporum auxilio eum ab ipſa repetitione compeſcuit.

Annus Dni. MXXIX. Cunradi IV.

Imperatore Palithi in nativitate Domini conſedente, prædictus Aribo Archi-Epiſcopus ibidem Synodo habita, veterem querelam contra beatum Godehardum præſente Rege incepit, ſed poſt multa & varia diſceptationum colloquia, vix tandem commonitus ab Epiſcopis deſtitit, Conradus Imperator Stephanum Pannoniæ Regem cum exercitu petit, difficili & laborioſo itinere eandem regionem invadens. Item hoc eodem anno ducere multimodas legiones in Poloniam decrevit. Imperatrix autem reverſa Merſeburch præſtolabatur eventum rei. Deluſus ergo Rex cum exercitu ſilvis deviis, paluſtribus deſertis periculoſisque locis admodum laceſſitus, nec quo voluit, pervenit, ſed quorundam conſilio Budaſin urbem quandam ſuo regno non parentem obſedit. Circa quam multi ex utraque parte interiere. Videns igitur Cæſar adverſarios ſuperari non poſſe, proximo anno diſtulit, ſeque Saxoniæ partibus recepit.

Annus Dni. MXXX. Cunradi V.

Imperator natalem Domini Patherbrunnæ celebravit peractisque diebus feſtis ultra Renum ire propoſuit. Septima Kal. Februar. orta eſt res miſeranda, cunctisque Chriſti fidelibus ſtupenda. Miſeco Dux Polonorum qui contra Romanum Imperium regale ſibi nomen uſurpavit, falſus Chriſtianus, homicida, tyrannus comperto obitu Thietmari Marchionis clam aſſumtis ſatellitibus diaboli exercitum paganorum in ſanctam duxit Eccleſiam. Nam inter Albiam & Salam centum villas incendiis cædibusque vaſtavit, novem millia & ſexaginta quinque virorum ac mulierum Chriſtianorum ipſe miſerabilis miſerabiliter captivavit, reverentiſſimum quoque Brandeburgenſem Epiſcopum Luizonem ut vile mancipium cepit, nec ſacris pepercit altaribus,

ſed omnia cæde ſanguineque polluit, matronas etiam nobiles armata manu ſibi vendicavit. Hoc ergo ſolum fuit levamen malorum, ſcilicet pretioſa & exoptata mors. Honeſtas enim mulieres & gravidas violenta dextra paganorum gladiis lanceisque proſtravit. Interea Theodericus Comes cum robuſta militum caterva ſuperveniens alios occidit, alios verò effugavit. Talis ergo eſt Rex Meſecho, hæc viarum ſuarum abhominanda ſimplicitas, hæc innocentiæ dampnanda puritas, hæc juſtitia, hæc fides falſiſſima ejus Chriſtianitatis. Si ergo Rex, quare prædo; ſi ſimplex, quare apoſtrophus, ſi fidelis, quare apoſtata ac tyrannus. Quid tibi cruenta belua regale ornamentum in corona & lancea deaurata? Quæ conventio Chriſti cum Belial? Quæ te tumide vexat veſania, ut in regnum Romanæ virtutis temere duceres arma? Quod quam tibi ſit periculoſum, tum ſero percipies cum tui imbelles plurima multitudine armati, noſtris bella ſcientibus immo & facientibus, ut digni ſunt conterentur.

Annus Dni. MXXXI. Conradi VI.

Conradus Imperator natalem Domini Patherbrunnæ, paſcha autem Nieumago celebravit: Hoc anno Imperator & filius ejus Heinricus & Dux Bavvariæ & Stephanus Rex Ungariorum cum juramento pacem invicem firmavêre. Aribo piæ memoriæ Mogontinus Archi-Epiſcopus celebrante Cæſare feſtum natalis Domini ut dictum eſt in Patherbrunnun in ſancto die inter miſſarum ſollempnia publico ſermone habito licentiam ab Imperatore & fratribus Romam pergendi rogavit, ſimul à clero & populo indulgentiam ſibi à Deo impetrari poſtulans. Sicque poſt purificationem beatiſſimæ Dei genitricis Mariæ iter aſſumens Romam adiit. Inde verò poſt aliquot dies digrediens Idus Aprilis iter univerſæ carnis ingreſſus eſt, ordinationis ſuæ anno undecimo, cui vir ſimplex & rectus Bardo Hersveldenſis Abbas ſucceſſit, qui Deo provehente ad brevi ad culmen ſummæ perfectionis feliciter proceſſit, qui propter dulciſonam prædicandi melodiam *Bardo Chryſoſtomus* dicebatur. Imperator Conradus cum parva manu Saxonum, Sclavos autumnali tempore invaſit & Miſeconem diu ſibi reſiſtentem

ſtentem regionem Luiſizi cum aliquot urbibus & præda, quæ prioribus annis in Saxoniæ partibus facta eſt, reſtituere pacemque juramento firmare coëgit. Qui Miſeco poſt menſis tantum ſpatium à fratre ſuo ſubita invaſione perturbatus, ad Othelricum in Boëmiam fugere compulſus eſt.

Annus Dni. MXXXII. Cunradi VII.

Imperator natalem Domini Goslariæ glorioſe peregit. Hoc anno Miſeconis frater ob immaniſſimam ſuæ tyrannidis ſævitiam à ſuis interfectus eſt machinatione fratrum ſuorum. Miſeco verò domum rediit cognoſcensque ſibi propter immoderatam ſui inſolentiam, quam prius exercuit, omnia quæ perpeſſus eſt per divinum judicium merito eveniſſe, nuntios ad Imperatorem direxit, & tempus ſe præſentandi digneque ſatisfaciendi poſtulavit, Cæſare autem annuente Merſeburch venit, & coronæ ac totius regalis ornamenti oblitus ſemetipſum Non. Julii Imperatoriam inclinavit poteſtatem. Quem Imperator clementius quam ipſe opinabatur ſuſcepit, eique & patrueli ſuo Thederico regimen, quod prius hic ſolus poſſederat, diviſit. Udalricus verò eadem regali juſſione invitatus venire contempſit, quem Imperator poſtea ad ſe tandem venientem & rationum veritate convictum in exilium miſit.

Annus Dni. MXXXIII. Conradi VIII.

Imperator natalem Domini Patherbrunnæ, paſcha Niumagan feriavit, & æſtivo tempore Burgundiam intravit, Udonem reſiſtentem ibi obvium accepit, qui regionem eandem illicite ſibi uſurpaverat, ſumptisque ab eo de pace juramentis & obſidibus pacifice rediit. Hoc anno ad caſtellum *Wirbeni* Luidegerus Comes cum aliis quadraginta duobus occiſus eſt, multæque clades ibi per aliquot annos factæ ſunt in homicidiis, in incendiis, & deprædationibus. Piæ memoriæ Cunigund Imperatrix V Non. Mart. obiit. [vid. ann. MXXXVIII] Eclipſis ſolis facta eſt III Kal. Jul. VI hora.

Annus Dni. MXXXIV. Cunradi IX.

Imperator natalem Domini Mindo, Paſcha verò Reinesburch cele-

celebravit. Ibi Odalricus Boëmiorum Dux obtentu Reginæ nec non & procerum de exilio rediit, & ducatus ſui medietatem fratre ſuo Germiro alteram partem retinente ſuſcepit. Meinhardus Wirciburgenſis præſul migravit ad Dominum, cui Bruno patruelis Imperatoris ſucceſſit. Miſeco Dux Polonorum immatura morte interiit, & Chriſtianitas ibi à ſuis proavis bene inchoata, ſed à ſe melius roborata, flebiliter proch dolor! diſperiit. Prædictus quoque Odalricus Dux poſt reverſionem fratre cæcato, filio fugato, iterum ſacramenta infringens infidelitati more conſueto inſtitit, & tandem cibo & potu ſuffocatus interiit. Hujus filius Kazimer cum matre ſua à *Polanis* de Provincia expulſus diu in Saxonia exulavit. Nam mater ipſius ſoror fuerat Colonienſis Archi-Epiſcopi. Interim Polonia à vicinis nationibus & maxime à Boëmiis multum devaſtata eſt & reliquiæ ſancti Adelberti ſanctorumque Benedicti & Johannis cum cæteris de eadem provincia translatæ ſunt.

Annus Dni. MXXXV. Cunradi IX.

Imperator natalem Domini Goslariæ, paſcha Patherbrunnæ, aſcenſionem Seliganſtad, pentecoſten autem Bavenberg celebravit, unde expeditionem ſuam in Liutizios mandavit. Otto Comes de Swinvordi filiam Bolizlavi Polanorum ducis deſponſavit, Imperator cum validiſſimo exercitu regiones Liutiziorum intravit, quas longe lateque incendiis & populationibus devaſtavit. Gevehardus Ratisponæ Epiſcopus obiit, pro quo item Gevehardus.

Annus Dni. MXXXVI. Cunradi X.

Imperator natalem Domini Argentinæ feriavit, purificationem beatiſſimæ Dei genitricis Mariæ Auguſtæ peregit, ubi publicum conventum tenuit, in quo Conradum patruelem ſuum Ducem Carentinorum conſtituit, à quo ducatu priori anno Adelberonem majeſtatis reum amovit. Hoc tempore Adelbero Willehelmum Comitem interfecit, ſicque in caſtellum ſuæ munitionis confugit ſanctæ Agrippinenſis Eccleſiæ metropolitanus Biligrimus ad omnia in divinis & humanis religioſiſſime ſtrenuus migravit ad Dominum, in cujus locum nobi-

nobilisſimæ indolis juvenis Hermannus nomine intravit. Sibertus Mindenſis præſul ſpiritum in manus Domini perhenniter victurum tradidit, nobilisque proſapiæ tyro Bruno Imperialis capellanus cum generali omnium tripudio idem antiſtitium glorioſe ſuſcepit. Brandagus Halverſtadenſis Epiſcopus obiit in Domino, cui Burchardus regius capellanus ſubſtituitur. Hic fecit duas præpoſituras Halverſtadæ, unam in honore ſancti Johannis Baptiſtæ, alteram in beati Johannis Evvangeliſtæ, ſanctique Bonifacii Epiſcopi & martyris.

Annus Dni. MXXXVII. Cunradi XI.

Imperator natalem Domini Veronæ celebravit, & Regina eosdem dies cum filio Henrico Rege & nuru Inbripoli egit. Eo tempore conſecratus eſt Burchardus Halverſtadenſis Epiſcopus. Igitur Cæſar Alpes transſcendens cum regni illius majoribus conventum tenuit de corrigenda Republica. Contigit quoque & Mediolanenſem Epiſcopum, qui eidem colloquio interfuit, ab Imperatore de quadam infidelitatis nebula notari, & à conprovincialibus in multis accuſari. Cumque ab Imperatore amoneretur, ut talia emendaret, primo ſeceſſum petiit, indeque regrediens ſpiritu arrogantiæ perflatus, audenter ait: Si quid in proprietate Eccleſiæ ſancti Ambroſii invenerit, vel quoquo modo acquiſiverit ſe ſemper vita comite firmiter habiturum, nec ullius juſſione ſive petitione vel minimum quicquam dimiſſurum. A primatibus autem ut vel ſolam Cæſaris perſonam exciperet amonitus, prædictum ſermonem iterando peroravit. Imperator ergo commotus conſiliante ſenatu injuſte uſurpata reſtitui præcepit, eumque apprehenſum Aquilegienſi Patriarchæ Popponi ſervandum commiſit. A quo liberius debito habitus, poſt aliquot dies fuga lapſus eſt, quodam Monacho ſuo machinante, qui ſolus cum eo miſerationis cauſa permiſſus eſt habitare. Sicque Mediolanum rediit & munita civitate, quæ tamen per ſe ſatis muniminis ac firmitatis habet, totum illum annum temeraria transgreſſione legum contemtor reſedit. Deinde conſentientibus ſibi tribus Epiſcopis miſſis eſam nunciis cum Ottone Burgundiæ tyranno conſiliatur, quomodo ipſe in Romanum Imperium ſuo

ſuo ſuorumque juvamine Auguſto necato introducatur. Quod ipſe libenter audiens ejusque conſilium hianti cupiditate evidenter ad interitum feſtinando promptus arripiens diem locumque determinat quo eorum omnium legati convenirent, qui ejusdem ſacrilegæ temeritatis conſpirationem juramentis invicem confirmarent. Quod & factum eſt. Sed ut quidam ſapiens ait : Conſilium contra Deum infatuatur. Nam ſocrus Hermanni Svevorum Ducis, legatorum conventum reſcivit, misſisque ſatellitibus omnes ſimul comprehenſos vetitatemque confeſſos, Imperatori ubi in publico conventu eisdem prænominatis tribus Epiſcopis præſentibus conſederat transmiſit. Auguſtus verò cum fidelibus Chriſti condignas Deo qui revelat archana gratiarum actiones agens, ex ſenatus decreto prædictos Epiſcopos trans Alpes conſervandos contulit, ſicque illa conſpiratio deperiit. Item ſæpe dictus Epiſcopus Mediolanenſis, [potius Otto Comes] quia in priori machinatione condignum exitum ſibi non invenit, alia via divina eum propellente ſententia perire temptavit. Nam ante ruinam corde elato Aquisgrani Palatium invadere decrevit, ſequenativitatem Domini inibi ſeſſurum præjactavit. Sicque menſis tantum ſpatio ante idem feſtum urbem Imperatoris, quæ Bera dicitur, circumquaque debachatus prædando obſedit, ibique à Gozilone Duce & filio ejus circumventus inter vulgares occiſus inglorius occubuit.

Annus Dni. MXXXVIII. Cunradi XII.

Imperator natale Domini Parmæ celebravit, ibique civibus ejusdem civitatis contra Imperialem Majeſtatem tumultuatis famoſa inclitaque eorum urbs de prædatione & incendio cum innumerabili multitudine funditus deperiit. Præſcriptus autem Mediolanenſis Epiſcopus adhuc in incepta permanens transgreſſione, quia nec minis terreri, nec venialibus promiſſis, quæ ei dignæ compaſſionis gratia à Domno Apoſtolico, quam etiam à cæteris Epiſcopis offerebantur, ad pœnitendi ſatisfactionem conduci potuit, Domnus Apoſtolicus illum generali pontificum conſenſu anathematis condempnatione percuſſit, & in ejus ſedem Ambroſius vir nobilis ſucceſſit, illo infra muros reſi-

reſidente, iſto deforis pro poſſe res ſuas contrahente. Sanctæ memoriæ Godehardus Hildinisheimenſis Epiſcopus migravit ad Dominum, cui Thietmarus regius capellanus ſucceſſit. Nobilis etiam regina *Cunigunbi*, hoc anno carnis debitum perſolvit. [imo jam ſupra ann. MXXXIII.]

Annus Dni. MIXL. Cunradi XIII.

Imperator natale Domini Goslariæ cum reverentiſſima procerum congratulatione decenter celebravit. In die ſancto dum ad Miſſam in decore regio proceſſurus præſtolaretur, horrendum dictu inſolita & terribilis nubium colliſio ab hora tertia in ſextam ab aſtantibus cum timore ſimul & admiratione conſideratur. Item Auguſtus ad celebrandum ſanctum Pentecoſten Trajectum venit, ubi ſumma cum lætitia converſatus eſt primum diem. Sed ſequenti die, id eſt ſecunda feria hora ſexta, II Non. Jun. menſæ reficiendi gratia aſsidens ſubita defectione præreptus vix, confeſsionis ſententia prolata, flebiliter exſpiravit. Poſthæc Heinricus filius ejus communi electione paterno inthronizatus eſt ſolio.

Annus Dni. MXL. Henrici Tertii I.

Novus Rex Heinricus incarnationem Domini Ratisponæ & purificationem beatiſſimæ Dei genitricis Mariæ Auguſtæ celebrans, ibique aliquamdiu degens placitum habuit, cum alpinis primoribus de Reipublicæ ſtabilitate, cunctisque pro velle diſpoſitis *Franciam* repetens, tempus quadrageſimæ juxta Renum conſedit. *Metropolitanus Mediolanenſis* adveniens & de controverſia ſua, quam contra Cæſarem exercuit, ſatisfaciens interventu procerum gratiam regalem recepit, rurſusque juramento pacem ſervaturum affirmans, patriam remeavit. Rex autem aſcenſionem Domini Niumago, Pentecoſten verò Leodio celebravit, dehinc expeditionem in Boëmiorum regionem coadunato exercitu deſtinavit. Inde Comitatu in eadem regione digrediente, & *Ottone Marchione* cum Bavvariis explorandi cauſa per ſaltuoſa & invia irrumpente, quidam ex latere regis emiſſi ſperantes ſe fortiter facturos, obſtructionem quandam in ſaltu expugnaturi inconſulte proceſſerunt,

ſerunt, ibique prætenſis inſidiis à ſagittariis circumventi. Wernherus Comes *primicerius & ſignifer Regis* cum aliquot ſatellitibus, & Reinhardus Comes cum electiſſimis ex familia ſancti Bonifacii cruenta, proch dolor! cæde procubuêre. Poſteriori verò die ex legione Ottonis, quæ prætergreſſa eſt, eandem obſtructionem ex alia parte aggreſsi cum Bavvaricis pluribus militibus peremti ſunt. Saxones autem cum Metropolitano Mogontiaco Bardone & *Ekkehardo Marchione* convenerunt, & eandem regionem divina eos ut claruit protectione comitante, cum parva admodum manu, die Dominica IX Kal. Septemb. violenter introierunt, & per IX dies poteſtative peragrantes cæde, præda, incendioque vaſtaverunt, donec venerabili viro Guntario Monacho cum legatione Regis adveniente, pace data & accepta, victores redierunt. Eodem tempore aquæ longe lateque inundavere, unde multi per diverſa loca interiere.

III

Annus Dni. MXLI. Heinrici II.

Heinricus Rex natalem Domini *Mumigardevorde* feſtivè peregit. Ibi Dominus Suittergerus Bavenburgenſis præſul Pontificalem promotionem à venerabili Bardone Archi-Epiſcopo glorioſe percepit. Sequenti verò die IV Kal. Jan. ibidem *Monaſterium* præclarum, ab Hermanno ejusdem loci Epiſcopo noviter conſtructum, generali omnium Epiſcoporum conſecratione in honore beatiſſimæ ſemper virginis Mariæ dedicatur.

III

Annus Dni. MXLII. Heinrici III.

Imperator in aſſumptione ſanctiſſimæ Mariæ Boëmiam cum maximo exercitu intravit. Eodem tempore *Ekkehardus Marchio* cum Mogontino Archi-Epiſcopo aliisque Epiſcopis & primatibus altera ex parte expeditionem Saxonum invexit Boëmiam, ipſamque regionem multis modis vaſtantes, caſtra metati ſunt penes regium exercitum. Item Rex & Marchio inde moventes caſtra in ſuperiori parte Pragæ Domino largiente victores honorabillime convenere, ibique

data

data & accepta pace reversi sunt. Dux quoque Boëmicus, quantocius se fidei Marchionis committens humillima satisfactione venit ad Regem, offerens censum Boëmicæ regionis.

III

Annus Dni. MXLIII. Heinrici IV.

Rex natalem Domini Augustæ peragens Burgundiam venit, ibi resurrectionem glorioſisſimè celebravit. Hoc anno Ungarii Ovonem Regem sibi eligentes priorem expellunt. Qui profugus Heinrici Regis cui priori anno rebellaverat gratiam invenit. Ovo autem Rex ob susceptum ab Henrico Rege à se expulsum fines Bavvariæ præda & incendiis depopulatur, sed magna pars exercitus ejus ab *Adelberto Marchione* deleta est. Adelbrandus Bremensis Episcopus obiit, cui successit Adelbertus præpositus. Hic *jacens in extremis fertur gratulans dixisse, quod amplius quàm duo milia mansorum acquisierit sua Ecclesiæ* ex sua hæreditate vel proprio labore.

III

Annus Dni. MXLIV. Heinrici V.

Heinricus Rex Pannonias invadens duas populoſisſimas civitates evertit, plures deditione subjecit. Sed cum Petrum Regem quem secum ducebat provinciales nollent recipere, alterum quem volebant ducem eis constituit, quem Ovo post discessum ejus in Boëmiam expulit. Gisla Imperatrix mater Heinrici Regis XVI Kal. Martii migravit.

III

Annus Dni. MXLV. Heinrici VI.

Heinricus Rex iterum Pannonias invadens satisfactionem, obsides, munera, pacis per jusjurandum confirmationem, accipiens discessit. Inde reversus *Constantiensi Synodo* affuit, ubi debita cunctis dimisit, destructisque omnibus inimicis pacem confirmavit. Deinde Agnetem *Willehelmi Pictavienſis* Principis filiam reginam apud Maguntiam ungi faciens sibi in matrimonium copulavit Ingelenheim, unde infinitam multitudinem histrionum & joculatorum sine cibo, & mu-

nere vacuam & mœrentem permiſit abire. Hoc anno maxima pecudum peſtis propter algoris immanitatem fuit.

III

Annus Dni. MXLVI. Heinrici VII.

Heinricus Rex tertio Pannonias commotus ingrediens Domino favente & beato Udalrico impetrante victoriam obtinuit, Ovonemque cum uxore & filiis effugabat, & Petrum reſtituens honorifice revertitur. Godefridus Dux Lothariorum Regi rebellans ad deditionem coactus cuſtodiæ mancipatur.

III

Annus Dni. MXLVII. Heinrici IIX.

Heinricus Rex domitis Pannonum ſeditionibus Eccleſiaſtica neceſsitate Romam tractus eſt, comitem habens cum cæteris regni magnatibus Adelbertum Bremenſem Archi-Epiſcopum, ubi ſynodaliter depoſitis qui pro Apoſtolica ſede certaverant Benedicto, Gratiano, & Silveſtro Sciſmaticis, Svidgerum Bavenbergenſem Epiſcopum Papam conſtituit, à quo ipſe cum conjuge Imperiali benedictione eadem die ſublimatur. Interea Petrus Ungariorum Rex à quodam tyranno captus & cæcatus eſt. Ille autem qui eum expulit regnare cepit. Corpus ſancti Widonis de Italia allatum eſt Spiram ab Imperatore. Damaſus qui & Poppo obiit eodem anno quo conſtitutus eſt.

III

Annus Dni. MXLVIII. Heinrici IX.

Bruno qui & Leo poſtea dictus eſt, Tullenſium Epiſcopus, Papa conſtituitur. Hic Conradi Imperatoris conſobrinus cum ad capeſſendam ſedem Apoſtolicam Romam tenderet, audivit nocte voces angelorum in ſublimi dicentium : Dicit Dominus, ego cogito cogitationes pacis & non afflictionis &c. De hoc inter cætera legitur, quia cum pauperem leproſum ante fores domus ſuæ offendiſſet, eum fotum & curatum diligenter in lecto ſuo collocavit, quem reſerato hoſtio cum non inveniſſet, in paupere ſe Chriſtum ſuſcepiſſe obſtupuit. Hic undecunque doctiſsimus, cantus dulci & regulari modulatione compoſuit de aliquibus ſanctis, Gregorio ſcil. Papa, Cyriaco Martyre,

Gorgo-

Gorgonio martyre, qui etiam in Gallia & Germania ſynodis canonicè habitis ſtatum Eccleſiæ refecit.

III

Annus Dni. MXLIX. Heinrici X.

Henricus Imperator anno Imperii ſui quarto quasdam Galliæ partes invaſit contra Godefridum & Baldewinum Duces, quibus ad deditionem coactis & regno his in partibus pacificato cum honore revertitur. Synodus Mogontiæ habetur.

III

Annus Dni ML. Heinrici XI.

Ungarii item rebellant, quibus *Gevehardus Ratiſponenſis Epiſcopus*, qui fuerat *Imperatoris patruus*, obviam veniens vice Regis in fugam converſos, non modica cæde afflixit, inſuper urbem *Heimemburch* in *Marca* poſitam ædificiis reſtauravit, & militari cuſtodia muniri fecit, ipſeque ſumma cum pace regreſſus eſt.

III

Annus Dni. MLI. Heinrici XII.

Bartho Archi-Epiſcopus in Chriſto quievit, cui Liupaldus ſucceſſit. Græcis in hæreſim multiformem declinantibus auctore Michaële Patriarcha Conſtantinopolitano & Leone Acridano Bulgarum Archi-Epiſcopo. Leo Papa errores eorum redarguens ſcribit contra eos librum firmis ſcripturarum teſtimoniis roboratum. Nicetas Monachus Conſtantinopolitanus, qui agnominabatur pectoratus, ſcripſit contra Romanos librum plenum erroris & ſtultitiæ prætytulatum de Azymo, de Sabbatho, de nuptiis ſacerdotum. Leo itaque Papa per Epiſtolam ad Imperatorem Conſtantinum conſcriptam animum ejus ſibi concilians apocriſarios ſuos, Humbertum videlicet Cardinalem Epiſcopum ſilvæ candidæ, Petrum Amalfitanorum Archi-Epiſcopum, Fridericum ſeptimum Levitam & Cancellarium, Conſtantinopolin dirigit, ad confutandas *Græcorum hæreſes*, qui ut Symoniaci donum Dei vendebant, ut *Valeſii* hoſpites ſuos caſtratos etiam promovebant ad Epiſcopatum, ut Arriani rebaptizabant Latinos baptizatos in nomine ſanctæ Trinitatis, ut Donatiſtæ in ſola Græcia orthodoxam Eccleſiam eſſe

jactabant, ut Nicolaitæ nuptias ſacerdotibus concedebant, ut Severiani maledictam dicebant legem Moyſi, & Pneumatomagi procesſionem ſancti Spiritus à ſymbolo abſcindebant, ut Nazareni Judaiſmum obſervabant; parvulos ante octavum à nativitate diem baptizari, mulieres in partu vel menſtruo periclitatas communicari, vel ſi paganæ fuerint baptizari prohibebant, de fermentato ſacrificabant, Latinos azimitas vocabant, & eos nimium proſequebantur, & eorum Eccleſias claudebant, & filiis ſuis Romanam Eccleſiam anathematizabant, eique Eccleſiam Conſtantinopolitanam præponebant. Legati ergo ab Imperatore benigne ſuſcepti, Nicetani Monachum ante eum convicere, adeo ut librum, quem contra Romanos ſcripſerat, incenderet. Michahele verò Patriarcha eis colloqui denegante, carta excommunicationis coram clero & populo ſuper altare ſanctæ Sophiæ poſita receſſere. Michahel cartam ipſam corrumpens populoque legens, illos revocatos ad ſynodum abſente Imperatore convocavit, ut à populo lapidarentur, quod Imperatore prohibente Michahel commovit populum contra eum, ſed convictus cartam excommunicationis falſaſſe Michahel, omnesque ſui à gratia & palatio Imperatoris remoti ſunt.

III

Annus Dni. MLII. Heinrici XIII.

Imperator Pannoniam petiit & inacte rediit, ſecum habens in Comitatu Brunonem Apoſtolicæ ſedis præſulem. Qui Papa veniens Ratisponam, reliquias ſancti Dionyſii martyris, de quibus diu dubitatum eſt an ibi haberentur, præſentibus Paryſiorum legatis proſpexit, ibique teneri probavit, ſanctum quoque Wulfgangum ejusdem urbis Epiſcopum de tumulo levavit, indeque Bavenberg cum Imperatore tranſiens privilegia ejusdem loci à Cancellario perſpici, & palam pronuntiari mandavit ſuaque auctoritate confirmavit.

III

Annus Dni. MLIII. Heinrici XIV.

Apoſtolico & Imperatore natalem Domini divino & regio cultu Worniatiæ agentibus miſſarum celebratione in ſancta die peracta, ut opor-

oportuit ab Apostolico in sequenti die Liupoldum Mogontinum Archi-Episcopum, utpote in sua diœcesi præcipuum, huic subrogavit officio, qui peracta processione &, ut ad hoc ventum est, dicta oratione, postquam se in sua sede locavit, quidam ex Diaconibus suis nomine Humbertus, sicut multi ob illius venerationem festi solent, lectionem decantavit. Quod quidam ex Romanis Papæ astantibus vituperantes persuasere ei, ut ad eundem Diaconem mitteret, & decantationem interdiceret. Quod cum ille juvenum more contempneret, iterum mittendo interdixit. Hic autem eadem vocis sonoritate, qua prius decantavit, legens decenter usque ad consummationem lectionem. Papa verò illum ad se accersiens quasi pro inobedientia degradavit. Archi-Episcopus autem rogavit sibi reddi ministrum, quod verò Papa abnuit, Pontifex ut erat antiquæ disciplinæ licet ægre, patienter tamen interim tacendo sustinuit. Perlecto autem Evvangelio & decantato offertorio, ut sancti sacrificii tempus advenit, Pontifex in sua sede resedit, verè contestans nec se nec alium quempiam completurum illud officium, nisi reciperet ministrum. Quod ut Apostolicus intellexit, Pontifici cesit, reindutumque ministrum remisit continuo. Quo recepto, debito præsul se injunxit officio. Qua in re & Pontificis auctoritas & Apostolici consideranda est humilitas, dum & ille officii sui dignitatem defendere contendebat, & iste licet majoris dignitatis, metropolitano tamen in sua diœcesi cedendum perpendebat.

III

Annus Dni. MLIV. Heinrici XV.

Religiosus Brun Papa qui & Leo gloriosæ præsentis vitæ clausit diem XIV Kal. Maji, honorificæque traditus sepulturæ Romæ, miraculis curuscat. *Cono* Dux Noricorum fœderatis sibi Ungariis graviter rebellat.

III

Annus Dni. MLV. Heinrici XVI.

Henricus Imperator Italiam cum exercitu petens omnia in pace disposuit, revertensque *neptem suam Beatricem matrem Mathildæ* secum

cum duxit, indignè eam tractans, propter quasdam insolentias ejus quibus vivere consueverat, mortuo ipsius marito Bonifacio Duce. Cono Dux antea Noricorum ab Imperatore perfidiæ suæ culpa pulsus in Pannoniam, exul obiit.

111

Annus Dni. MLVI. Heinrici XVII.

Hermannus Comes Orientalium Francorum VI Kal. Februar. obiit. Gevehardus Ratisponensis Episcopus Henrici Imperatoris patruus hostis occulte pessimus deprehensus & convictus, atque custodiæ mancipatus, sed miserabiliter tractatus de exilio remittitur sedique pristinæ restituitur. Magna cædes à Luiticis in Christianos facta est, quorum quidam gladio, quidam fugientes in aqua periere, inter quos *Willehelmus Marchio* occiditur. Hisdem temporibus multi diversarum interiere provinciarum, fames multas regiones afflixit, egestas & penuria undique prævaluit, multaque mala evenere. Henricus verò Imperator pro his rebus cordetenus dolore conpunctus extremam sortitus est horam relicto filio Heinrico in negotio regni, post cujus obitum quia proles Heinrici adhuc puerulus erat, Domina Imperatrix Agnes mater parvi regnum sub sua cura tenuit, & sapienter rexit, donec Principes aliqui invidia ducti eam ab hoc regimine alienavere, quorum numero Dominus Anno Colonienſis Archi-Episcopus se immiscuit, qui parvum in loco qui dicitur Werida navi imponens matri abduxit. Quod ille qua intentione fecerit, vel qualiter divino judicio placuerit, discernere non valemus, multa tamen incommoda orta & deinceps aucta certum tenemus. Nam perinde dissensiones in republicâ, Ecclesiæ perturbatio, monasteriorum destructio, clericatus despectio, totius justitiæ conculcatio & cæpit *& permanet.*

Annus Dni. MLVII. Heinrici Quarti I.

Heinricus quartus, Heinrici Imperatoris filius admodum puerilis patri succedens regnare cæpit LXXXI loco ab Augusto & regnavit annis L. Agnes Imperatrix mater ipsius ducatum Bavvariæ suscepit. Gevehardus qui & Victor iter universæ carnis ingressus est, Romanus Ponti-

Pontifex laudabilis, pro quo Fridericus nobilis monachicam professus religionem communi omnium procerum utriusque partis electione Romanam glorioſe ſuſcepit Eccleſiam regendam. Qui etiam Stephanus eſt appellatus. Saxones congregato exercitu gentem efferam Luiticorum invaſere hoſtiliter, diverſisque malis affligentes Romanæ ditioni ſubdidere. Eodem tempore quidam *Fridericus* & fratres ejus Germaniæ partibus tyrannidem exercentes, ab Agnete Imperatrice & Principibus victi ad deditionem venere.

IV

Annus Dni. MLIIX. Henrici II.

Stephanus Papa migravit, cui Gerhardus qui & Nicolaus ſucceſſit. Henricus Rex Galliæ obiit, hærede relicto filio ſuo Philippo.

IV

Annus Dni. MLIX. Heinrici III.

Rex natalem Domini Merſeburch celebravit, Paſcha verò in Magdeburch cum matre ſua Agnete Imperatrice. Burchardus Halberſtadenſis Epiſcopus obiit, cui Bucco Goslarienſis Præpoſitus ſucceſſit.

IV

Annus Dni. MLX. Heinrici IV.

Otto *frater Willehelmi Marchionis* ſed matrimonio impari matre ſcilicet Sclavica natus, vir acer ingenio & manu impiger ad regis curtem Merſeburg pergens à *Brunone & Egberto Comitibus* circumventus eſt juxta villam, quæ dicitur Nienthorf ſecus fluvium Salicam, mox Bruno & Otto ambo pleni irarum tam concitatos in ſe viciſſim impetus dederunt, ut uterque alterum primo incurſu equo excuſſum lethali vulnere transfoderet. Statimque Egbertus quamquam graviter ſaucius, dolore interempti fratris efferatus, Bernhardi Comitis filium egregium adoleſcentem vix militiæ maturum interficit.

IV

Annus Dni. MLXI. Heinrici V.

Heinricus Rex *Willebelmum Marchionem Turingorum* & Epponem Cicenſem Epiſcopum cum Duce Boëmiorum & exercitu Bavvarico miſit in Ungariam ad ferendum auxilium Regi Andreæ. Luipoldus Mogon-

Mogontienſis Archi-Epiſcopus obiit, pro quo Sigifridus Fuldenſis Abbas conſtituitur. Albuinus Nienburgenſis Abbas migravit, eique Folcmarus ſucceſſit.

LV

Annus Dni. MLXII. Heinrici VI.

Willehelmus Marchio reverſus in Thuringiam dum redire in Ungariam & ſponſam ſuam cum magna opum ſuarum oſtentatione abducere pararet, inter eundum ſecunda manſione morbo correptus exſpiravit. Marcam *Otto frater ejus* optinuit. Sed is beneficia Mogontini Epiſcopatus aliter optinere non potuit, nî promitteret decimas ſe de ſuis in Thuringia poſſeſſionibus daturum, & cæteros Thuringios ut idem facerent coacturum. Quæ res multorum malorum ſeminarium fuit.

LV

Annus Dni. MLXIII. Heinrici VII.

Nicolaus Papa obiit, cui Alexander Lucenſis Epiſcopus ſucceſſit, quodam tamen Parmenſi Epiſcopo principatum turpiter ambiente usque ad ſanguinis effuſionem Chriſti Eccleſiam ſcandalizante, ſed poſt per Annonem Colonienſem Archi-Epiſcopum Ultra-montanarum partium tunc legatione fungentem ac univerſos Italiæ præſules eadem eſt controverſia dirempta. Parmenſis abdicatus. Alexander, ut jus erat, confirmatus. Eggilhardus Magdeburgenſis Archi-Epiſcopus obit, pro quo conſtituitur Wezelo qui & Wernherus frater Annonis Colonienſis Archi-Epiſcopi. Agnes Imperatrix ſacrum velamen accepit. [imò vid. MLXIX.]

LV

Annus Dni. MLXIV. Heinrici VIII.

Sigifridus Mogontienſis Archi-Epiſcopus, Guntherus Bavenbergenſis, Willehelmus Trajectenſis aliique quam plures præſules vel nobiles multo comitatu in Hieroſolymam tendentes grandes infeſtationes à barbaris perpeſſi ſunt, tandemque perventione optata fruentes numero & rebus admodum attenuati redierunt.

Annus

IV

Annus Dni. MLXV. Heinrici IX.

Guntherus Episcopus Bavenbergensis ab Hierosolimis rediens in Pannonia moritur perlatusque Bavenberg ibi sepelitur, post quem Hermannus ordinatur. Gorwinus Comes in Episcopio Wurcinburgensi tyrannidem exercens, à comitibus Adelberonis præsulis occisus est.

IV

Annus Dni. MLXVI. Heinrici X.

Cometes per totum orbem diu apparuit. Eodem anno Anglia per Willehelmum Nortmannicum miserabiliter afflicta, tandemque subacta, ipse Rex ejus effectus est, qui mox omnes penè regni ejusdem præsules exilio, nobiles verò morti destinavit, mediocres autem suis militibus in servitutem, uxores indigenarum universorum advenis in matrimonium subjugavit. Nam post mortem sanctissimi Regis Anglorum Edwardi, contendentibus pro illo regno Principibus, Haroldus quidam Dux Anglorum vir maleficus sceptrum invasit. Hoc frater ejus nomine Tostin molestè ferens contra eum Regem Nortmannorum duxit Haroldum, Regemque Scottorum, & occisus est ipse Tosti, & Rex Hiberniæ, & Haraldus cum toto exercitu eorum à Rege Anglorum. Vix quoque ut ajunt dies octo transierunt, & ecce Willehelmus, cui pro obliquo sanguinis cognomen est Bastardus, ab Gallia transfretavit in Angliam, lasso victori bellum intulit. In quo Angli primo victores, deinde victi à Nortmanno usque ad finem contriti sunt. Haroldus etiam ibidem cecidit & post eum ex Anglis fere centum millia. Bastardus autem victor in ultionem Dei, quem ipsi offenderant Angli, omnes ferè Monachos & Clericos absque regula viventes expulit.

IV

Annus Dni. MLXVII. Heinrici XI.

Heinricus Triburi nuptias celebrat. Eodem tempore interfectus est Godeschalcus à paganis, quos jugo Dominico subjicere conabatur. Et quidem vir omni ævo memorabilis magnam partem Sclavoniæ conversam habuit ad divinam religionem. Passus est autem in civi-

tate Leontia VII Idus Junii, cum presbytero Eppone, qui ſuper altare immolatus eſt, & aliis multis tam clericis quam Laicis, qui diverſa ubique pro Chriſto pertulere ſupplicia. Anſverus Monachus cum pluribus apud *Razzisburg* lapidatus eſt. Fertur autem idem, cum ad paſſionem duceretur, flagitaſſe paganos, ut prius ſocii, quos deficere metuebat, lapidarentur. Quibus coronatis ipſe cum Stephano poſuit genua gaudens. Johannes Epiſcopus ſenex cum cæteris Chriſtianis in *Magnopoli* civitate captus, ſervabatur ad triumphum. Iſte ergo felix pro confeſſione nominis Chriſti fuſtibus cæſus, ac per ſingulas civitates Sclavorum tractus ad ludibrium, cum ab hoc propoſito flecti non poſſet, truncatis manibus & pedibus in platea ſacrum corpus eſt projectum. Caput verò ejus deſectum eſt, quod pagani conto præfigentes in tytulum victoriæ Deo ſuo *Redigoſti* immolarunt. Sclavi totam Hammanburch provinciam ferro & igne demoliti ſunt, Sturmarii ferè omnes aut occiſi aut in captivitatem ducti, & in deriſionem Salvatoris noſtri etiam cruces truncatæ ſunt.

IV

Annus Dni. MLXIIX. Heinrici XII.

Heinricus Rex adoleſcentiæ uſus libertate, ſolam Saxoniam ex omni Romano Imperio cæpit incolere, Principes deſpicere, nobiles opprimere, inferiores ſuſtollere, venatui, luſibus, cæterisque hujusmodi exercitiis plus quam juſtitiis faciendis, ut accuſatus eſt, operam dare, filias illuſtrium quibuslibet obſcure natis conjugare. His diſcordiæ ſeminariis contigit Regi quamplurimos inſidiatores tam regni quam vitæ ſuæ creſcere. Qui tamen cum maturitatis nec dum attigiſſet annos, erant qui non tam ipſum quam Adelbertum Bremenſem Archi-Epiſcopum culpandum judicarent, quod ejus conſilio hæc omnia ageret. Sanctus Cono Treverorum Epiſcopus martyrizatur in deſerto loco.

IV

Annus Dni. MLXIX. Heinrici XIII.

Agnes Imperatrix mater Regis Heinrici tædio affecta, vel potius divi-

divinitus conpuncta, *Ducatum Bavvariæ depoſuit*, & regni gubernacula penitus ſpernens pro Chriſto, Romam ſe contulit, ibique dignis pœnitentiæ fructibus mira inſerviens humilitate, poſt aliquot annos in Domino migravit. [vid. tamen MLXIII.]

IV

Annus Dni. MLXX. Heinrici XIV.

Dedi Marchio non ſine Principum conſilio tyrannidem in partes Regias orditur, quæ tamen cœleſti & terrena Majeſtate compeſcitur, duobus caſtellis ejus à Rege deſtructis, filio ſuo æque militari viro à proprio mancipio interempto, ipſoque communi morte functo.

IV

Annus Dni. MLXXI. Heinrici XV.

Otto Dux Bavvariæ Ducatum amiſit. Hic ergo Saxo genere, vir amplisſimæ nobilitatis, rebusque bellicis perpaucis erat comparabilis & in tanta apud univerſos primates excellentia habitus, ut Rex, qui jam Saxonibus omnino ſuſpectus & inviſus erat, ipſum contra ſe in regni faſtigium elevari poſſe formidaret. Hinc perverſitatis materiam arripiens, quidam Egino mediocri loco natus, rebus admodum tenuis, audacia tamen & nequitia ſatis diffamatus, patrocinantibus ſibi quibusdam Regis fidelibus curiam irrepſit, & magnum illum heroa, qui ſe nunquam noverat, ſecum de nece Regis tractâſſe commentatus eſt, ſe ipſum etiam, ut mos eſt, regiæ poteſtati vadem obtulit, quousque campionis duello cum Duce confligens vera comprobaret, quæ retulit. Quid multa? Placitis vel colloquiis Regalibus uno Mogontiæ, altero Goslariæ condictis, Otto cum Eginone, utpote Dux cum latrone, primas cum ignobili congredi contempſit, ſua tamen innocentia vel Eginonis improbitas minime latuit. Sic ducatum Bavvariæ Otto ut reus majeſtatis amiſit, quem *Welefo* quidam illuſtris & acer atque bellicoſus natu Svevus accepit, idque principalis diſcordiæ ſemen in perpetuum præliorum & prædarum fructus lamentabiles germinavit.

IV

Annus Dni. MLXXII. Heinrici XVI.

Rex Ottonem usquequaque perſecutus, quamplures ejus muni-

tiones deſtruxit, prædia vaſtavit, & ut verè Reipublicæ hoſtem omnino eum delere nitebatur. E contra ille militibus electis inſtructus ipſe quoque manu fortisſimus animoque nimis efferatus, qui regis copiis confligere non poterat, nunc præda, nunc flammis, nunc etiam ferro, quacunque ſe fors obtulit, ulciſci ſuas injurias non diſtulit. Ipſo namque mediante non ceſſat gens Saxonum, ut eſt animis acerrima, conjurationem adverſus Regem unanimi conſpiratione confirmare, accuſationes inauditas ad ſedem Apoſtolicam referre, ſociosque ſibi ex omni regno Teutonico litteris & nuntiis aſſciſcere. Quorum Rex inſidiis perterritus Saxonia ceſſit & in aliis regni partibus agendis rebus inſtitit.

IV

Annus Dni. MLXXIII. Heinrici XVII.

ANNO Colonienſis Epiſcopus & Hermannus Bavenbergenſis *Romam miſſi ſunt, pecuniam, quæ Regi debebatur, congregandi gratia.* Qui legatione peracta reverſi, litteras Alexandri Apoſtolici detulere, Regemque vocantes ad ſatisfaciendum pro Symmoniaca hæreſi, aliisque nonnullis emendatione dignis, quæ de ipſo Romæ fuerant audita. Poſt hæc Saxones adjiciunt etiam præſidia multa conſtruere, nec dum enim plures habebat munitiones, inſuper caſtella quæ Rex dudum ædificaverat, funditus evertunt, interque præcipuum illud caſtrum, quod Hartesburg dicebatur, diruunt, monaſterium & clauſtrum Canonicorum, quod ibi erat, multa furentes audacia ſolotenus dejiciunt, & quod dictu nefas eſt, innocentis cujusdam Regis filii ibidem ſepulti oſſa in contumeliam patris de ſepulchro projiciunt.

IV

Annus Dni. MLXXIV. Heinrici XVIII.

Beatæ memoriæ Alexandro Papæ defuncto, Hildebrandus qui & Gregorius dictus eſt, profeſſione Monachus & Archidiaconus, Romanæ ſedi ſucceſſit, ſub quo Romana Respublica & omnis Eccleſia novis & inauditis ſciſmatum erroribus periclitari cœpit. Qui cum *absque Regis conſenſu* ſolis tantum Romanis faventibus hunc apicem conſcendiſſet,

disset, fuerunt, qui illum non canonice constitutum, sed tyrannice Papatum sibimet asseverarent usurpâsse. Pro qua re & à nonnullis Episcopis abdicatus est. Hic regem Heinricum crebris nuntiis & epistolis denuo ad synodalia responsa vocavit.

IV

Annus Dni. MLXXV. Heinrici XIX.

Heinricus Rex manu valida tam ex Alamannia, quam Bavvaria & Germania atque Boëmia congregata, Saxones petit, eisque juxta Unstrot fluvium congreditur, & non modica strage utrinque peracta tandem victoria potitus revertitur. Ibi Rodulfus Dux Alemanniæ atque Burgundiæ, qui postea regnum tenuit, fortiter cum suis pro Rege dimicâsse fertur. ANNO Colonienſis Archi-Episcopus plenus sanctitate defunctus est & in monasterio Sigibergensi, quod ipse construxit, positus.

IV

Annus Dni. MLXXVI. Heinrici XX.

Bernhardus Abbas sancti JOHANNIS Baptistæ vita discessit, cui Bernhardus junior successit. Concilium Wormatiæ congregatur, ubi Hildibrandus abdicatur. Eodem itaque anno circa XIIX Kal. Octobr. colloquium maximum apud Oppenheim factum est, ubi pene totius Regni principes, sed maxime Saxonum & Alemannorum, subjectioni Regis renuntiabant, causam prætendentes, quod à duobus Apostolicis vocatus ad satisfactionem non venisset, & pro hoc contemptu sententiam excommunicationis in Romana Synodo à Papa accepisset. Hac commotione coactus Rex humiliter Romam, utpote veniam postulaturus ab Apostolico, inimicis non sperantibus tetendit, inventoque Papa in oppido Canusio, ibi per triduum ante portam castri depositio omni regio cultu *discalciatus & laneis indutus* perstitit, nec prius cum multo fletu Apostolicæ miserationis auxilium implorare destitit, quam omnium qui aderant precibus & lacrymis intercedentibus, laxato tandem anathematis vinculo, in communionis gratiam & sinum matris Ecclesiæ receptus est. Inter hæc quæ gesta sunt totus mundus sui commotione testatur.

IV

Annus Dni. MLXXVII. Heinrici XXI.

Rodulphus *indigena Sveviæ, quæ Regalis omnino ſtemmatis eſt aliena,* mediantibus Sigifrido Metropolitano, & Adelberone Wirciburgenſi Epiſcopo, Bertolpho quoque Duce Carinthiæ, ac Ottone aliisque nonnullis principibus in præſentia quorundam Romanæ ſedis legatorum non voluntariè annuentium apud Forcheum elevatur in regem, à quibus etiam deductus Mogontiam in media XL XII Kal. April. à Sigifrido Epiſcopo ungitur in Regem. Ubi eodem die peſſimo auſpicio ſeditione facta, multa turba vulgi cæſa eſt ab ejus militibus, ipſe autem cum Sigifrido Epiſcopo Mogontia egreſſus eſt in Saxoniam, ubi collecto exercitu copioſo Wirciburgenſes, Heinrico Regi fidem ſervantes, obſedit, ſed diverſis machinis ad urbis oppugnationem inſtructis terrore Heinrici Regis circa Kal. Jul. ab Italia reverſi inacte regreditur. Heinricus verò Alamanniam cum exercitu petit, ibique quendam ex indigenis Hugonem aliosque rebelles expugnat. Beretheldus autem de Zaringon Dux quondam Carinthiæ, dum videret impune cuncta vaſtari, dolore plenus exſpiravit.

IV

Annus Dni. MLXXIIX. Heinrici XXII.

Heinricus Rex properanti contra ſe cum valida manu Rodulpho juxta Strowi occurrit, initoque bello non pauci utraq; parte ſternuntur atque incerta fit victoria. Ubi à vulgaribus hominibus Wecil Magdeburgenſis Archi-Epiſcopus in fuga occiditur. Magnus Dux ſpoliatur, Hermannus Comes ejusdem *Magni* patruus & Adelbertus Wormacienſis comprehenſi, ac plurimi de militibus Saxonicis interempti ſunt. Ex parte quoque Regis Heinrici Poppo quidam cum plurimis occubuit.

IV

Annus Dni. MLXXIX. Heinrici XXIII.

Rodulphus Rex conſtituit pro Wernhero, Magdeburgenſi Archi-Epiſcopo, Hartwigum eodem die poſt annum, quo prædeceſſor ſuus interfectus eſt. Bellum fit iterum inter Rodulphum & Henricum, hyeme

hyeme nimis aſperâ, ubi in primo congreſſu Saxones terga vertunt. Ibi Dux Boëmiæ Fintizlaus regalem lanceam Rodulphi adeptus eſt, quæ exinde permiſſione Regis Heinrici ſemper quemvis illius gentis ducatu inſignem in omni feſtiva proceſſione præcedit. At Rex Henricus propriis redditus, de armigeris, quos reliquerat, pene nullum invenit. Una quippe ex legionibus Saxonum caſtra regis invaſit, multosque comprehendens ſtrangulabat, magna rapiens ſpolia abceſſit. Rex autem dimiſſo exercitu in orientalem Franciam divertit.

IV

Annus Dni. MLXXX. Heinrici XXIV.

Apud Brixinam Noricam triginta Epiſcoporum magnæque partis optimatum regni conventus contra Papam Hildibrandum injuſtè habetur: Rurſum inter Heinricum Regem & Rodulphum Regem bella geruntur, in quo idem cecidit Rudolphus, & poſt paululum ibidem defunctus, à ſuis Marſeburg delatus honorifice ibidem humatus eſt. Hoc etiam prælio ex parte Heinrici Ratbodo Comes Regi ſatis fidus interit. Fertur prius quam ingreſſus ſit bellum, ad Epiſcopos dixiſſe: Videte qui me ſolium Heinrici Regis feciſtis conſcendere, ut recta via me veſtra monita ſequentem duxiſſetis. Bellum juxta Fladecheim commiſſum eſt, V Kal. Februar. II fer. ubi Magenfridus Comes Magad. interemptus eſt. Apud Brixinam Synodus Noricam XXX Epiſcoporum &c. habetur. Bellum juxta Elſtrit committitur Idus Octobr. feria V, in quo Rudolfus Rex qui & Dux occiditur.

IV

Annus Dni. MLXXXI. Heinrici XXV.

Rex Heinricus Italiam cum exercitu petit Romamque perveniens, reſiſtente ſibi cum Romanis Hildebrando, ante caſtellum ſancti Petri caſtra poſuit, ubi & crebris per biennium incurſionibus urbanorum infeſtatus, parva manu multa viriliter peregit. Interim in Palatino monte munitionem inſtituens non paucos, quos in præſidio poſuerat, ingraveſcente ſuper eos æſtatis inſueto fervore amiſit, ſed & de exercitu multos eadem mortalitas abſumit. In vigilia Paſchæ monaſterium

Baben-

Babenbergenſe crematur. Saxones & Alamanni in orientalem Franciam ad colloquium venientes non ſine magna clade ejusdem provinciæ ad propria redierunt. Bellum geritur inter Alamannos Bajoariosque Hoiſtetetin. [Hohenſtedin mox.]

Heinricus Rex Romam obſedit & Wicbertum Papam ſubſtituit Gregorio. Bellum inter Luipoldum Marchionem & Conradum fratrem Ducis Boëmiæ IV Idus Maji. Item bellum inter Svevos & Bavvarios juxta Danubium in loco, qui vocatur Hohenſtedin, III Idus Auguſt. Monaſterium ſancti Martini Mogontiæ exuſtum eſt, & tria monaſteria prope poſita, & pene omnis civitas exuſta eſt. Heinrico Regi natus eſt junior filius.

IV

Annus Dni. MLXXXII. Heinrici XXVI.

Hermannus quidam vir præpotens ac nobiliſſimus ex Germania à Saxonibus & Alamannis Rex conſtituitur. Cui cum in ſuis partibus, hoc eſt, in Lotharingia & Germania nemo rebus in bellicis atque divitiis poſſet æquiparari, ſumpto Regis nomine tam ſuis, quam alienis cepit in brevi deſpectus haberi. *Udo ſenior Marchio* obiit IV Non. Maji. Monaſterium ſancti Johannis Baptiſtæ in ſuburbio Magadeburg. civitate conſecratum eſt à Hartvvigo Archi-Epiſcopo & Godeſcalco & Giffrodo Epiſcopis.

IV

Annus Dni MLXXXIII. Heinrici XXVII.

Hermannus cum paucis orientalem Franciam hoſtiliter invadit, & per eandem partem viſus eſt, quaſi equitum diſcurrens exercitus, quorum tamen veſtigia nullo modo poterant agnoſci. Roma ab Heinrico Rege capitur, expulſoque Papa Hildebrando Wicbertus Ravenenſis Epiſcopus, qui & Clemens introducitur, à quo ipſe Rex & Bertha uxor ejus in Paſcha imperiali benedictione ſublimantur.

IV

Annus Dni. MLXXXIV. Heinrici XXIIX.

Defuncto Sigefrido Archi-Epiſcopo Magontino Wecil ſucceſſit. Heinricus Imperator de Italia reverſus Auguſtam ab Alamannis invaſam obſedit & cepit.

Annus

IV

Annus Dni. MLXXXV. Heinrici XXIX.

Nativitatem Dominicam egere, Herimannus Rex Goslariæ, Heinricus Coloniæ, & fluentibus ad ejus curiam multis, utpote novi Domini cupidis. Gregorius Papa ſalerni, ejus ſupplantator Romæ. Utriusque dehinc partis primates ob diſcutiendam tam immortalem controverſiam XIII Kal. Febr. apud Perteſtad Thuringiæ villam convenerant. Hinc Archi-Epiſcopi: Otto Oſtienſis à ſuo Gebehardo Conſtantienſi digreſſus, Hartvvich Magad. & inproperium Chriſti theſauris Ægyptiorum præferens Gebehardus Juvavienſis; Epiſcopi: Udo Hildenesheimenſis, Burchard Halverſtadenſis, Hartwig Viridunenſis, Guernhere Merſeburch. Gunthere Cicenſis, Benno Miſnenſis, Heinrich Patherbrunnenſis deſignatus & adhuc tantum ſubdiaconus. Illinc Liemarus Bremenſis & qui à Papa illius partis pallia acceperant, Mogontinus, Colonienſis & quicunque eis faverant eorum ſuffraganei. Suſceperunt defenſionem cauſæ. Hinc Archi-Epiſcopus Juvavienſis, illinc Mogontinus legendo, Trajectenſis ſermonizando. Stabant ut arrectis auribus diverſæ ſecularium perſonæ velut in turbulentiſſimi temporis cauſa angelico quodam examine diſcutienda. Juvavienſis exordiens dixit: Venimus probare prout condictum eſt, licitum nobis non eſſe ut communicemus his qui nobis nunciati ſunt excommunicati, & maxime quos Papa poſſeſſa absque contradictione Apoſtolica ſede in publica Synodo excommunicavit, nobisque & eos à ſe excommunicatos cum cauſa excommunicationis, & ne eis communicemus per literas demandavit. Hæc dicendo ut fidem verbis daret, mandati ejusdem indices ſigillatas Apoſtolici Epiſtolas complures præſentat, & obediendum ejus edictis, nec communicandum his, qui nunciantur excommunicati Evangelica, Apoſtolica, decretali Apoſtolicæ ſedis præſulum, & diverſorum canonum auctoritate probat. E contra Trajectenſis: Sententiæ, ait, veſtræ nullus noſtrum refragabitur, ſed Dominum noſtrum, cujus hic cauſa diſcutitur, negamus excommunicatum, quia Apoſtolicus injuſte ſecum egit, excommuni-

cans quem excommunicare non debuit. Cujus ſermocinationem cum Mogontinus jam probaturus eſſet legendo, Juvavienſis reſponſum non differens aſtipulatur ex inſtitutis Gelaſii & Synodorum Nicenæ & Sardicenſis, nulli quamvis injuſte excommunicato communicandum, ante utriusque partem juſtam excommunicationem, & non reconciliato per ſuum excommunicatorem. Et ecce Mogontinus exſpectato potitus ſilentio legerat capitolum. Nullum rebus ſuis ſpoliatum ad Synodum poſſe vocari, judicari, dampnari. Et hoc Laicis exponens teſtatus eſt, quia nec potuerit Apoſtolicus excommunicaſſe Dominum illorum, poſtquam Saxones & aliqui Svevorum ab eo defecerant magna parte regni ſpoliatum. Ad hæc Juvavienſis, capitolum, ait, hoc, nec univerſaliter verum, nec hujus auctoritate illum, de quo agitis, ab excommunicatione Apoſtolica defenſum facile probaremus, ſed de noſtro periclitaremur gradu, ſi contra Apoſtolicorum Gelaſii, Nicolai & aliorum multorum edicta Apoſtolicæ ſedis retractaremus judicia, cum illius ſit de omni judicare Eccleſia, nullius de illa. Et ideo cum primum hæc indicta eſt dies colloquii hujus, actionem hoc cautelæ reſpectu determinavimus, ut de alia re nulla nobis hic reſpondendum affirmaremus, niſi catholica lege nos conſtringi, ut eis non communicemus, quos nobis Præſul ſedis Apoſtolicæ & à ſe excommunicatos, & ne eis communicemus certa legatione demandavit. Et hoc non alio nos pacto ad hunc conventum inductos veſtros hujus colloquii teſtamur mediatores. Sic iſtis edicta patrum exorbitare nolentibus, illis quod Romæ oportuit eſſe definitum in bivio, & ſub alieno auditore reitem & Thuringi convenere ſcituri, qui ſecum usque ad ſanguinem reſiſtere, ſi qui ab eis vellent deficere. Accuſantur Uto Hildenesheimenſis Epiſcopus & frater ejus Conradus & *Comes Thiedericus* Heinricum hoſtem eorum infeſtiſſimum conveniſſe, & patriæ traditionem ei promiſiſſe. Sed cum proteſtati dicerent, ſe nullam adhuc ſubjectionem Heinrico pollicitos, non negarent autem ſe ei locutos, expetuntur obſides dare ad certificandum compatriotas de promiſſa fide. Illis reclaman-

clamantibus, non esse nominatæ eorum dignitatis, ut ad patrocinium patriæ cujus ipsi primates & hactenus defensores erant ab his, quorum id minus referret cogerentur, Thiedericus egregiæ dignitatis Comes, à quibusdam præcipitati impetus interficitur, Episcopus & suus frater & eorum complices fugantur. Nec mora Episcopus hanc vindicaturus injuriam, ad Heinricum Fritislariæ sibi obviantem venit subjectionem ei firmavit. Et ut Saxones sollicitandi & Hermannum deserendi peroraturus mediator esse posset, sacramentum accepit ab Heinrico, si Saxones ad eum converterentur, eumque paterno uti regno paterentur, ipse nunquam eis illud *jus* infringeret, quod *à tempore expugnatoris eorum Caroli* aptissimum honestissimumque habuerant, *ut si quisquam suorum cum aliquo de Saxonibus contra legem ageret, ipse à die factæ sibi proclamationis infra sex septimanas digna illud satisfactione componeret.* Juraverant alii ejus primates Episcopi & seculares, ut si Heinricus hoc statutum unquam postponeret, ipsi nullum sibi sublementum contra Saxoniam essent. Episcopus mox in sua reversus compatriotis, quod sibi juratum est promittendo, multos conciliaverat parti cui ipse accesit. Heinricus ne sibi in tam optata oportunitate ipse deesset, expeditione indicta Saxoniam erat aggressurus. Hermannus ei cum eisdem, qui sibi remanserant erat obviaturus, sed utriusque collectam impedierat instans tempus septuagesimæ, in quam propter juratam usque in octavam pentecostes *Dei pacem*, nec licitum erat vel arma portare. Designati alter jam septimo, alter quarto anno Sigefridus Augustensis, Norbertus Curiensis, consecrati sunt Episcopi apud Mogontiam, ab illo Mogontino in purificatione sanctæ Mariæ tenente adhuc magnam partem Augustensis Episcopatus, Guigone quem Goslariæ Sigefridus Archipræsul consecravit sub Rudolfo Rege. Videres tunc temporis faciem Saxoniæ irrevocabiliter alteratam. Qui enim se antea pro solo Apostolicæ sedis patrocinio Heinrico adversatos affirmaverant, qui se ei nisi per suum excommunicatorem Papam, scilicet Gregorium hujus nominis septimum, reconciliato nunquam communicaturos juraverant, jam obliti Papam eundem violenter expulsum,

pulſum, Hermannum Regem inhumane deſtitutum, Heinrico per crebras legationes non ſolum communicant, verum etiam Imperatorem, quamvis ab excommunicato conſecratum appellant, in captanda ejus benivolentia altero alterum præoccupante, & illum ſibi ipſi defuturum judicante, quicunque Heinricum jam Saxonia & integritate Teutonici regni potiturum ſibi debitorem ſuæ reſtitutionis non faceret. Conſpirans quippe omnis ferè Saxonia tanto excommunicatum repoſcit affectu, quanto prius nondum excommunicatum expulit impetu. Reclamant Archi-Epiſcopi cum Epiſcopis, ſed narratur fabula ſurdis utpote tunc *defunctis*, qui robuſtioris ætatis & ingenii erant, *Ottone* ſcilicet, qui Dux erat Bavvariæ, *Udone* Marchione, *Thiederico* Comite, Saxonici principatus ceſſerunt fluctuanti pueritiæ. Cujus multis allecti promiſſis hæc concordat ſententia, nullatenus alicui eorum intereſſe, ut Heinricus per eos avito exhæredetur imperio, cum ipſe experta Saxonum vi correctus, eos velit ſecuros reddere de nunquam infringendis patriis eorum legibus. Nec bellandi [cauſam] ſupereſſe expugnato propter quod pugnavere. Hac negotiorum executione pacifica exſpectatur ſtatutæ pacis terminus, æſtas ſcilicet media. Notum eſt, quòd eandem ſententiam Wezelonis Moguntini Epiſcopi, Regis adverſarii tanto inſequebantur zelo, ut habito poſtmodum in Kviddelingeburch concilio, ubi Otto Epiſcopus Hoſtienſis interfuit, legatus Hildebrandi Gregorii, ipſam nimium ventilantes, hæreſin Wezelonis, ipſumque, quod dictu nefas eſt, hæreſiarcham appellarent, contra fidem ſcil. illum dogmatizaſſe culpantes, quod quamdiu quis ſuis ſpoliatus ſit rebus, divinis non ſubjaceat legibus: Synodus Mogontiæ habetur, cui interfuit Heinricus, ubi præſentibus legatis Wicberti hæreſiarchæ & Romanorum omnes ſibi rebelles Epiſcopi deponendi judicantur. Hic etiam communi conſenſu atque conſilio conſtituta eſt *pax DEI*. Non multo poſt ſubſtitutis ab Imperatore per parrochias abdicatorum Præſulibus, in locum Adelberonis, Meinhardus converſatione probabili litteris etiam & ingenio atque facundia nulli pene ſecundus, Wirciburgenſis Eccleſiæ præſul ordinatur.

Eodem

Eodem anno circa æſtatem ipſe Heinricus in Saxoniam venit & caſtris poſitis juxta Magad. in pratis virentibus cum optimatibus ſuis intravit urbem, ibique ſuſceptus eſt regio more. Sed quia propter metum ipſius advenientis Archi-Epiſcopus Hartvvigus cum Halverſtadenſi Epiſcopo & Hermanno Rege ad Danos abierat, ſicut prius animo conceperat, in locum illius Hartwigum Abbatem Hersfeldenſem ſubſtituit, & pro Burchardo Halverſtadenſi Hamozonem ejusdem Eccleſiæ Canonicum conſtituit, avunculum *Lothovvici Comitis de Turingia.* His itaque geſtis, illoque abeunte Epiſcopi à Dania regreſſi ſunt, & ipſe Heinricus cum illis ſuperpoſitis mox de patria effugatus eſt. Hildibrandus qui & Gregorius, uti apud Salernam exulatus moritur, & ibidem in Eccleſia ſepelitur, cui Northmannorum & Mechthildis potentiſſimæ per Italiam fœminæ, cunctorumque ejusmodi ſectam æmulantium aſſenſu Deſiderius Cardinalis Romanus & Abbas Caſinenſis verus Chriſti famulus licet multum corde ſimul & corpore renitens ſubſtituitur, Victor nominatus. Etenim cum infirmitate gravi laborans ad ſummum hunc apicem invitus imo captivus proveheretur, precibus optinuit, ut infra non multos dies ex hac vita tolleretur. Poſthæc per eosdem Electores, & ordinatores Otto Oſtienſis Epiſcopus eidem officio delegatur. Recepto jam à Saxonibus pacificè Heinrico quidam *Eggibertus Marchio Regis etiam propinquus*, armis ſtrenuus, & animoſus atque ditiſſimus iterum in Saxonia contra Regem tyrannidem ſuſcitavit. His Rex cognitis in Franciam propere rediit.

IV

Annus Dni. MLXXXVI. Heinrici XXX.

Heinricus Saxoniam vaſtat. Wirzeburc à Saxonibus & Alamannis obſidetur, ad quam liberandam Henricus copioſum tam equitum quam peditum congregat exercitum, & juxta Bleichfeld pugna commiſſa ab hoſtibus victus fugatur. Ab ipſis urbe mox occupata Epiſcopus Adelbero introducitur, relictoque cum eo militari præſidio ad propria quisque proficiſcitur, ſed paulo poſt eadem urbs ab Heinrico recipitur expulſoque Adalberone cum ſuis Meginhardus intronizatur.

IV
Annus Dni. MLXXXVII. Heinrici XXXI.

Hermannus Regis nomine depoſito, permiſſione tamen Henrici ad propria reverſus poſt paucos dies in cujusdam oppidi obſidione interiit. Bertha Imperatrix obiit. Peſtilentia facta eſt. Heinricus Marchio obiit.

IV
Annus Dni. MLXXXIIX. Heinrici XXXII.

Obiit Bertha Imperatrix. Buggo Halverſtadenſis Epiſcopus Goslariæ in quadam ſeditione occiditur. Auguſta urbs Svevorum inſidiis in cœna Domini capta, ſecunda feria paſchæ deſtruitur, & Sigefridus ejusdem urbis Epiſcopus cuſtodiæ mancipatur. Wigoldus ejusdem Eccleſiæ invaſor intra paucos dies moritur. Meginhardus Wirciburch. Epiſcopus obiit, cui ſucceſſit Emmehardus adhuc Adelberone vivente : Wecil Archi-Epiſcopus Mogontin. obiit, cui Ruther ſucceſſit.

IV
Annus Dni. MLXXXIX. Heinrici XXXIII.

Otto Radisponæ obiit, pro quo Gebehardus adoleſcens conſtituitur, Imperator Coloniæ nuptias celebravit, quandam *Ittonis Marchionis viduam filiam Regis Ruzorum* ducens uxorem. Poſt hæc congregato exercitu oppidum quoddam *Ekberti Marchionis*, quod *Glichi* dicitur, in Thuringia poſitum nimis firmum obſedit, quem Ekbertus ſuis confidens in vigilia natalis Domini, quia jam magna pars primatum ob diem feſtum abierat, audacter invadit, & naviter primo reſiſtentem tandem cedere compellit. Ibi Burchardus Loſannæ Epiſcopus, qui ea die ſacram Imperatoris lanceam ferebat, occiſus eſt. *Welf junior* habitu peregrini Italiam ingrediens Mathildam accepit uxorem, hanc prius habuit Godofridus Dux gibboſus.

IV
Annus Dni. MXC. Heinrici XXXIV.

Heinricus Imperator rurſum Italiam ingreditur. Prædictus Ekbertus Marchio à quibusdam Imperatoris fidelibus in quodam molandino

landino pausandi gratia deprehensus turpiter occubuit. Heinricus natale Domini Ratisponæ celebravit. Spiræ conventum habuit de agenda pace, Herrandus Abbas qui & Stephanus, Halverstadensis Episcopus electus est. Huizmannus Spirensis Episcopus obiit, pro quo Johannes constituitur. *Ludolfus Dux* obiit, item *Bertolfus Dux filius Rudolfi*, Hermannus Metensis Episcopus obiit. Adelbero vicesimus post beatum Burchardum sacrosanctæ Wirzeburgensis Ecclesiæ Episcopus defuncto Domino Brunone III Kal. Julii constitutus vixit post acceptum Episcopatum, annos XLV, menses III, dies VII, substitutis duobus tamen Episcopis Meinhardo juniore & Emehardo. Obiit II Non. Octobr. in prædio patris sui, sepultus in monasterio sui Lambach, ubi in pace requiescit. Hermannus Mettensis obiit.

IV

Annus Dni. MXCI. Heinrici XXXV.

Visi sunt per multas regiones vermiculi nimis ignoti non longe à terra volantes, hoc est ut vel manu vel virga tangi possent, grositudine quidem muscis æquales, sed longitudine deductiores, quorum tam infinitus extitit exercitus, ut unum pene miliarium in latitudine II vel III in longitudine viderentur occupare, densitate verò sua ipsam solis lucem terris denegare, per quam prodigiosam visionem, quæ post quadrigennium facta est Jherosolymam tendentium profectionem, quidam interpretantur præfigurari. Mahthild de Longobardia Heinrico Regi rebellat.

IV

Annus Dni. MXCII. Heinrici XXXVI.

Pestilentia magna fit hominum atque pecudum. Hoc anno præsidente Romanæ Ecclesiæ Urbano Pontifice ipso ortante & Domino nostro JESU Christo cooperante ab omni populo Christiano sanctæ Jerosolimitanæ viæ cepit esse origo, regnante Heinrico Imperatore in Germania, in Francia Rege Philippo.

IV

Annus Dni. MXCIII. Heinrici XXXVII.

Conradus filius Imperatoris patri suo rebellat. Visus est splendor quasi

quaſi facula volans per aërem ab oriente. Emehardus ordinatur VI Kal. April. Eclipſis ſolis facta eſt tertia hora die & viſus eſt draco. Fratrislaus Dux Boëmiæ in venatu de equo cadens ſubitanea morte receſsit.

IV

Annus Dni. MXCIV. Heinrici IIXL.

Eccleſia mortalitate immenſa incredibiliter eſt devaſtata, inſuper peſtilentia turbinibus ymbrium inundationibus & diverſis cladibus nimium afflicta. Saxones & Thuringi inter ſe pugnaverunt.

IV

Annus Dni. MXCV. Heinrici IXL.

Lidizlaus Rex Pannoniæ miſericordiæ operibus plenus in Domino vitam finivit. Item *Luppoldus Marcb. & Heinricus Palat. Comes obierunt.* *Sophia Ductrix* piæ memoriæ XIV Kal. Junii obiit.

IV

Annus Dni. MXCVI. Heinrici XL.

Welf Dux antea Noricus, qui ab Heinrico jam dudum abjuraverat, & ob id Ducatum perdiderat, in gratiam ejus redit, ducatumque recipit. Signum in ſole apparuit V Non. Martii, id eſt ſecunda feria initii quadrageſimæ, diverſa quoque prodigia mundus parturiſſe ubique referebatur. Mox ex omnibus pene terræ ſed maxime ab occidentalium regnorum tam regum & nobilium, quam etiam vulgi utriusque ſexus innumerabiles turmæ armata manu Jheroſolimam tendere ceperunt, excitati ſcilicet in zelum frequentibus nunciis ſuper oppreſſione Dominici ſepulchri, ac deſolatione omnium Orientalium Eccleſiarum, quas gens ferociſſima Thurcorum per aliquot annos ſuo ſubactas dominio inauditis calamitatibus jam jamque deleverat. Quibus ut dictum ſubventuri, ſicut diverſis agminibus, ita diverſis & incertis plerisque ducibus properantes primi quendam Petrum Monachum ſequentes XV milia æſtimata, per Germaniam indeque per Bavvariam atque Pannoniam pacifice tranſierunt, quam plurimi navali per Danubium vel per Alamanniam pedeſtri itinere aliique XII milia per Saxoniam atque Boëmiam à quodam Folckmaro Laico &

prius

prius incluſo, itemq; nonnulli à Godeſcalco presbytero per Orientalem Franciam ducti, qui & ipſi nefandisſimas Judæorum reliquias ut veræ inteſtinos Eccleſiæ hoſtes per civitates, quas tranſibant, aut omnino delebant aut ad baptiſmatis refugium compellebant, plurimis exinde manubiis onuſti Pannoniam vel Ungariam attingentes quibusdam ſeditionibus ut videbatur indigenis inviſi facti, re autem vere facultatum ſuarum abundantia eosdem ſemibarbaros in avaritiam accendentes juſſu Regis eorum Colomanni dolis potius quam armis capti, plurimi morte multati, pauci armis & rebus nudati, fugam pro maximo lucro reportabant, quamvis & amplisſima utriusque ſexus multitudo à quodam militari ſeducta, vel potius ut Iſraëliticus quondam exercitus ſpiritu fornicationis decepti paucis ſibi Pannoniæ ingreſſum in præſidio Miſeburch obſtantibus, fuga nemine perſequente repatriaverunt. Hoc anno aliquid ante nec viſum nec auditum ſeculis imminere ſignis à cœlo præſagabatur frequentius, de quibus unum ponatur, ut de reliquis fides certior habeatur. Die quadam adveſperaſcente, ſicut hi, qui viderunt, teſtati ſunt, nulla in aëre apparente nubecula, diverſis in locis globi ut videbatur ignei emicuerunt, rurſumque alia in cœli parte ſe condiderunt, quod non ignem, ſed angelicas fuiſſe virtutes animadverſum eſt, vagatione ſua eam quæ poſtea totum pene corripuit occidentem ſignificans commotionem & de locis ſuis populi præmonſtrantes profectionem. Ut ergo hæc manifeſta fierent quæ ſigna portenderent, quidam cui Petrus nomen erat in finibus emerſit Hiſpaniæ, qui ut ferebatur primum recluſus, inde clauſtris exiens prædicatione ſua totam commovit provinciam, & non ſolum viros plebejos, verum etiam Reges, Duces, cæterasque mundi poteſtates, ad majora veniam, Epiſcopos, Monachos reliquosque Eccleſiæ ordines, ut ſe ſequerentur, perſuaſit, quandam circumferens cartulam, quam de cœlo aſſerebat lapſam quaque continebatur univerſam de cunctis mundi partibus Chriſtianitatem Jeroſolymam armis inſtructam migrare debere, indeque paganos propulſantem eam cum finibus ſuis in perpetuum poſſidere, hocque de illo Evangelii teſtimonio confirmabat, ubi JESUS

deſtructionem urbis illius faciens ſermonem ſic concluſit, & Jeruſalem inquit calcabitur à gentibus, donec impleantur tempora gentium. Conſentientibus igitur dictis illius omnibus, regna rectoribus, urbes paſtoribus, vici vaſtantur habitatoribus; non tantum viri ſeu pueri, ſed & mulierum quam plurimæ iter hoc ſunt aggreſſæ. Judæi baptizari compulſi ſunt, rennuentes immenſa cæde profligabantur. Apud Mogont. Judæi numero virorum ac mulierum & infantum, mille & XIV, interfecti ſunt, & maxima pars civitatis exuſta eſt. Judæi per diverſas provincias Chriſtiani facti ſunt, & iterum à Chriſtianitate receſſerunt.

IV

Annus Dni. MXCVII. Heinrici XLI.

Heinricus Imperator ab Italia Radisponam Bavvariæ urbem venit, ibique aliquamdiu moratur, & *Judæis, qui baptizati fuerant, Judaizandi ritum conceſſit.* Interea Godefridus Dux Lotharingiæ, vir genere, armis & ingenio clariſimus, qui dudum & priori anno cunctis quæ poſſederat in pretia redactis militibus copioſis ſideque non modica inſtructus, iter per Orientalem fecerat, neque ab Ungaria fugientibus territus, ſed tam Imperatoris Heinrici, quam Regis Colomanni permiſſione Pannonias Bulgariamque permearat, Conſtantinopolitano fœderatur Imperatori, ejusque præſidiis fultus Romaniam attigit, ibique ſociatis ſibi tam Siciliæ quam Græciæ, Danorum, Normannorum, cæterorumque transmarinorum exercitibus, immò univerſorum Chriſtum colentium auxiliis frequenti aggreſſu barbaros attere cœpit. Etenim cum capta Nicea civitate exercitus inde diſcederet, plusquam CCC milia armatorum ibi fuerunt, & licet hæc tanta multitudo univerſam Romaniam occupare, flumina epotare, depaſcere ſegetes omnes una die poſſet, tamen cum plenitudine tanta eduxit eos Dominus, ut de ariete nummus, & de bove vix XII acciperentur. Præterea etſi Principes & Reges Saracenorum contra eos ſurrexerunt, Deo volente facile victi & conculcati ſunt. Ob hæc itaque feliciter acta quia quidam intumuerant, oppoſuit illis Deus Antiochiam urbem

huma-

humanis viribus inexpugnabilem, ubi per novem menſes detentos in obſidione ejusdem ita humiliavit, ut omnis ſuperbiæ eorum tumor in humilitatem recurreret. Illis igitur ſic humiliatis, ut in toto exercitu vix centum equi boni reperirentur, aperuit Deus copiam ſuæ benedictionis & miſericordiæ, induxitque eos in civitatem atque Turcos atque omnia eorum poteſtati ſuorum tradidit. Cumque hæc quaſi viribus ſuis acquiſita optinerent, nec Dominum qui hæc contulerat digne magnificarent, à tanta multitudine Saracenorum obſeſſi ſunt, ut nullus de civitate egredi auderet. Præterea fames ita in civitate invaluit, ut vix ab humanis carnibus ſe aliqui continerent. Reſpiciens autem Dominus populum quem tamdiu flagellavit, benigne conſolatus eſt eum. Itaque primum quaſi pro ſatisfactione tribulationum lanceam ſuam, munus inviſum à tempore *Apoſtolorum* pignus victoriæ illis optulit. Deinde corda hominum adeo animavit, ut & ipſis, quibus ægritudo vel fames ambulandi vires negaverat, arma ſumendi & viriliter contra hoſtes dimicandi virtutem infunderet. Exin cum iterum hoſtibus fame & tædio exercitus deficeret, Antiochiæ maxime propter diſcordias principum in Syriam profecti Barram & Marram urbes Sarracenorum expugnaverunt, caſtellaque regionis optinuerunt. Conradus patri ſuo Heinrico rebellat Imperatori, & ob hanc injuriam juniori filio ſuo regnum injungit. Magontiæ conventum de inſtituenda pace habuit, & natale Domini apud Argentinam celebravit.

IV

Annus Dni. MXCVIII. Heinrici XLII.

Cum in Syria populus Dei facere diſpoſuiſſet, tanta fames fuit, ut corpora Saracenorum jam fœtentium nonnulli comederent. Proinde cum divino monitu in interiora *Hiſpaniæ* progrederentur, largiſſimam maximè & victorioſam manum omnipotentis patris ſecum habuerunt. Cives namque & caſtellani regionis, per quam procedebant, ad eos cum multis denariis legatos præmittebant, parati ſervire & oppida ſua reddere. At illi qui jam exercitum non multum habebant, qui & ipſi unanimiter in Jeruſalem feſtinabant, acceptis ſecuritatibus tribu-

tributarias eas fecerunt, quippe cum unaquæque de multis civitatibus, quæ in maritimis illis ſunt plures homines haberet quam in illorum exercitu fuiſſent. *Conradus Comes de Hoenburg* regi rebellat, idcirco expulſus eſt, Rothardus Archi-Epiſcopus Mogont. gratiam Regis perdidit, & ſimulata indignatione clam ab urbe diſcedens in Thuringiam venit.

IV

Annus Dni. MXCIX. Heinrici XLIII.

Cum auditum eſſet Antiochiæ, Loodicie & Rohas, [vid. infra ad ann. MCXLVII] quia manus Domini eſſet cum populo ſuo, plures de exercitu ſuo, qui ibi remanſerant, conſecuti ſunt eos apud eos, ſicque Deo conviatore & cooperatore cum ipſis ab Jeruſalem usque pervenerunt. Cujus in obſidione cum exercitus laboraret maxime propter aquæ inopiam, habito conſilio Epiſcopi & Principes circinandam eſſe civitatem nudis pedibus prædicabant, ut ille, qui pro ſuorum ſalvatione eam humiliter ingreſſus eſt, pro ſe humiliatis ad faciendum de ſuis hoſtibus judicium aperiret. Qua Dominus humilitate placatus VIII die poſt humiliationem civitatem cum ſuis hoſtibus illis tribuit, eo videlicet die quo primitiva Eccleſia inde abjecta fuit, cum feſtum de diſperſione Apoſtolorum *à multis fidelibus* celebratur. Et ſi quis ſcire deſiderat, quid de hoſtibus ibi repertis factum fuerit, ſciat quia in porticu Solomonis & in templo ejus Chriſtiani equitabant in ſanguine Saracenorum usque ad genua equorum, inde cum ordinatum eſſet, qui civitatem retinere deberent & alii amore patriæ & pietate parentum ſuorum redire voluiſſent, nunciatum eſt eis quod Rex Babyloniorum Aſcalonem veniſſet cum innumerabili multitudine paganorum ducturus Francos qui Jeroſolymis erant in captivitatem & expugnaturus Antiochiam, ſicut ipſe dixerat, aliter autem Dominus ſtatuerat de ſuis. Ita cum in veritate comperiſſent exercitum Babiloniorum Aſcalone eſſe, contenderunt obviam illis relictis ſarcinis & infirmis ſuis in Jeruſalem cum præſidio. Cumque exercitus Dei hoſtes conſpexiſſet, genibus flexis adjutorem Deum invocaverunt, ut qui in aliis ſuis neceſſitati-

ſitatibus legem Chriſtianorum confirmaverat, in præſenti bello confractis viribus Sarracenorum, & Diaboli regnum, Chriſti & Eccleſiæ à mari usque ad mare usquequaque dilataret. Nec mora, clamantibus ad ſe Deus affuit, atque tantas audaciæ vires ſubminiſtravit, ut qui eos in hoſtem currere videret fontem, aquæ vivæ ſitientem cervum ſegnem adjudicaret, miro videlicet modo, cum in exercitu eorum non plus quam V milia militum & XV milia peditum fuiſſent, & in exercitu hoſtium centum millia equitum & XL millia peditum eſſe potuiſſent. Tunc mirabilis in ſervis ſuis Dominus apparuit, cum antequam confligeret, pro ſolo eorum impetu hanc in fugam multitudinem vertit, & omnia eorum diripuit, ut ſi deinceps illis repugnare vellent, non haberent arma in quibus ſperarent. De ſpoliis verò non eſt quærendum quantum captum ſit, ubi theſauri Regis Babiloniæ occupati ſunt. Ceciderunt ibi plus quam C. milia armatorum gladio. Timor autem eorum tantus erat, ut in porta civitatis ad duo millia ſuffocati ſint. De his verò qui in mari interierunt, non eſt numerus, ſpineta etiam ex ipſis multos optinuerunt. Pugnabit certe orbis terrarum pro illis, & ni ſpolia caſtrorum ex ipſis multos optinuiſſent, pauci eſſent de tanta multitudine hoſtium, qui renunciare potuiſſent de bello. Pridie autem quam bellum fieret, multa milia camelorum, boum, & ovium cecidit exercitus. Cumque juſſu Principum hæc populus dimiſiſſet, ad pugnam progrediens mirabile dictu multas & multiplices turmas cameli fecerunt, ſimiliter boves & oves. Hæc autem animalia cum eis comitabantur, ut cum ſtantibus ſtarent, cum procedentibus procederent, cum currentibus currerent. Nubes etiam ab æſtu ſolis eos defenderunt & refrigerabant. Celebrata itaque victoria reverſus exercitus Jeruſalem, & relicto ibi Godefrido duce Regimunt Comes ſancti Ægidii & Ruotbertus Comes Normanniæ & Rubertus Flandrienſis Laoditiam reverſi ſunt, ibi claſſem Piſanorum & Boimundum invenerunt. Cumque Archi-Epiſcopus Piſanus Boimundum & * * reliquos concordare feciſſet, regredi Jeruſalem pro Deo & fratribus Comes Regimundus diſpoſuit. Urbanus Papa obiit, & in Eccleſia ſancti Petri ſepultus eſt, cui

cui poſt paucos dies Reinherus Cardinalis & Abbas de ſancto Clemente vir boni teſtimonii in ſedem Apoſtolicam ultra quam credi poteſt renitens, à Romano clero & populo ſubſtituitur, & octavo die electionis ſuæ juxta morem conſecratus , Paſchalis appellatur. Viſus eſt globus igneus miræ magnitudinis ab occidente in orientem per aërem deferri.

IV

Annus Dni. MC. Heinrici XLIV.

Heinricus Imperator natalem Domini Coloniæ celebravit, in epiphan. verò Aquisgrani filium ſuum juniorem Heinricum quintum Regem fecit reprobato majore filio Cunrado, quem prius coronaverat. Ipſe verò per quasdam Italiæ partes & nomen & dignitatem Regis annis ferè IX optinuit, Paſcha Radisponæ celebravit, ubi iisdem diebus mortalitas magna exoritur, in qua *Rathbodo Palatinus Comes* cum aliis innumerabilibus moritur. Conradus Trajectenſis Epiſcopus IV feria Paſchæ à negotiatore Freſico crudeliter occiditur, cui Burchardus ſuccesſit.

IV

Annus Dni. MCI. Heinrici XLV.

Fames magna per multas regiones invaluit. Mortalitas etiam non modica ſubſecuta eſt. Congregatio *Hilſineburgenſium Monachorum* Friderico Halverſtadenſi invaſori & excommunicato ſubdi & obedire recuſans hac de cauſa ab ipſo coacta eſt clauſtrum egredi. *Udo Marchio* & alii plures Saxonum Barbaros qui *Luitici* vocantur invaſit, & urbem, quæ *Brandeburch* dicitur, obſedit, & honorifice cepit. Hiemps dura. Obiit Godefridus Dux apud Jeroſolimam qui exercitum Chriſtianorum regebat, pro quo frater ejus Baldevvinus ad regendum populum conſtituitur. Rex Wilehelmus de Anglia ſagitta interfectus eſt. Heinricus verò frater ejus in eodem Loco pro remedio animæ ſuæ volens monaſterium conſtruere, apparuit ei & duo dracones ferentes eum, dicens, nichil ſibi prodeſſe eo quod ſuis temporibus omnia deſtructa eſſent, quæ anteceſſores ſui in honorem Domini conſtruerent.

Annus

IV

Annus Dni. MCII. Heinrici XLVI.

Heinricus Imperator natalem Domini apud Mogontiam celebravit. Ibi multi Principes convenerunt, & consilium Imperatori fecerunt, ut Romam mitteret nuntios propter unitatem Ecclesiæ, & Papam constituere secundum electionem Romanorum & omnium Ecclesiarum. *Comes Heinricus* gratiam Imperatoris acquisivit, & ipse Imperator *Marchiam Fresonum* sibi tradidit, qui statim illuc pergens cum uxore sua, ibi interfectus est & illa vix evasit. Imperator Leodio pascha celebravit, filius ejus junior gladium accepit. *Heinricus Comes* regi rebellat, & *Theodoricus Comes* idcirco castellum suum Lintburch obsedit, & fregit, postremo ipse Comes se in potestatem Regis dedit. Congregatio Monachorum apud monasterium sanctæ Dei genitricis Mariæ in *Rosenvelde* cepit institui, & Dominus Wernerus Abbas primus electus est, Conradus Rex, adolescens, IX postquam à patris palatio discesserat anno, immaturo præventus occasu plena fide & bona confessione migravit. *Mahthildis* magnæ illius & nobilissimæ obitus [vide MCXVI.]

IV

Annus Dni MCIII. Heinrici XLVII.

Hoc idem Monasterium libertati concessum à Marchione Udone & à matre ipsius & fratre datum est Romæ sancto Petro. Hartwigus Magadab. Archi-Episcopus obiit subitanea morte, cujus intestina apud St. Johannem, reliquum corpus in Ecclesia sancti Mauritii sepelitur. Huic succesit Heinricus eodem anno electus à clero & populo. Rutbertus Episcopus Babenbergensis obiit, cui per Imperatorem Heinricum Otto Cancellarius ejus substituitur, vir bene religiosus.

IV

Annus Dni. MCIV. Heinrici XLVIII.

Cono Comes occisus est, *Heinricus de Ilburg Marchio* obiit. Principes Saxoniæ contra Udonem Marchionem congregantur, & Alesleve obsident. Patria ab utraque parte nimio incendio vastatur.

Annus

IV

Annus Dni. MCV. Heinrici XLIX.

Heinricus Imperator natalem Domini Radisponæ celebravit, ubi Comes Sigehardus à militibus Regis occiſus eſt. Monaſterium in Aiesleve igne flagravit, Humbertus Bremenſis Epiſcopus obiit, cui ſucceſſit Fridericus. Conradus adoleſcens filius Beatricis Marchiſiæ, poſtquam ſpretis literarum ſtudiis, quibus adprime imbutus erat, armis operam dedit, juxta Chriſti præſagium: qui gladium accepit, gladioperiit. Nec multo poſt etiam ipſa Beatrix obiit, juxta patrem *ſuum Ottonem Ducem* caſtello Svinfurti ſepulturam accepit.

Annus Dni. MCVI. Heinrici Junioris I.

Heinricus Heinrici Imperatoris filius cepit regnare vivente Patre. Voluit autem Saxoniam propter quosdam Catholicos hoſtili manu invadere, quod minime potuit, quia filius eum deteſtabatur, quemadmodum & cuncti fideles, quia denuntiabatur excommunicatus ab Apoſtolicis Gregorio, Urbano, Paſchali. In ipſa autem expeditione, qua Saxoniam moliebatur intrare, filius quadam nocte de exercitu ejus cum paucis aufugit. Hac igitur injuria ſtimulatus pater infecto negotio revertitur. Ille verò Sveviam petens à legato Romano, ſcilicet Gebehardo Conſtantienſi Epiſcopo, de excommunicatione eſt absolutus, & matris Eccleſiæ gremio reſtitutus. Inibi ergo Eccleſiaſticis rebus ſatis prudenter ordinatis, aſſumto ſecum legato Romano Bavvariam Saxoniamque adiit, invaſores ſinodaliter depoſuit, reliquos verò hæreſiarchas ab officio ſuſpendit, ac ſubjacere examini Domini Apoſtolici coëgit. Rothardus Mogontinus Archi-Epiſcopus propriæ ſedi reſtituitur. Heinricus Magadab. Archi-Epiſcopus conſecratus eſt à Gebehardo Conſtantienſis Eccleſiæ Epiſcopo, qui erat legatus Apoſtolici & à ſuffraganeis Magadab. Eccleſiæ. *Fridericus Dux Svvavorum*, cui nupſerat filia Imperatoris Heinrici, obiit.

Annus Dni. MCVII. Heinrici junioris II.

Heinricus Rex natalem Domini Mogontiæ celebravit, ibique conventum habuit de rebus agendis. Communicato conſilio principum

cipum præsentavit curiæ suæ patrem, ibique multis suasionibus ac precibus aggreditur. Qui tandem confessus est, se innodatum vinculo anathematis Apostolicæ maledictionis. Expleta autem confessione cœlesti Regi & Apostolico nuntio, nec non & Principibus ibi astantibus lanceam atque coronam omniaque ornamenta regalis dignitatis restituens visitare limina Apostolorum vovebat, atque in decretis & præceptis Domini Apostolici perpetua stabilitate permanere. Et licet hoc peregisset, tamen nequaquam ea quæ pacis sunt à filio adipiscitur. Nam inter cæteras eorum dissensiones accesserunt quidam manu valida occupare Leodium, ubi tunc pater consederat jam regno destitutus. Fautores verò patris ex hoc incitati eruperunt de sedibus suis irruentes super ipsos repente. Qui terga verterunt & præcipitio fluminis interiit multitudo maxima eorum. Cometa visa est. Eodem anno *Ludegerus Marchio qui & cognomine Udo* habita conventione cum *Magno Duce* & Bremensi Episcopo vehementi infirmitate repente cepit laborare. Qua ingravescente ad locum qui dicitur Rossevelden deportatus ibi vitam finivit. *Rudolfo fratri illius commissa est Marchia per VIII annos* ab Heinrico Rege, ut nutriret filium ejus Heinricum. Gebehardus Hirsungensis Abbas obiit, pro quo Bruno constitutus est. *Magnus Dux obiit*, cujus Ducatum optinuit *Lutgerus Comes*. Heinricus junior Coloniam obsidet ad injuriam Patris. Interim pater ejus Heinricus Imperator Leodio VII Id. August. moritur, & Spiræ sepelitur. Thiedericus Comes de *Katalanburg* obiit.

Annus Dni. MCVIII. Heinrici Junioris III.

Heinricus Magadab. Archi-Episcopus obiit, cui Adelgotus eodem anno successit. Heinricus Rex, dum in Goslariensi oppido conventum habuisset & jura regni prout voluisset disposuisset, subito nimia tempestas, & horribilis fulgurum & choruschationum & tonitruorum exorta Regem & omnem populum perterruit : Adeo enim vehemens fuit, ut ensem regalem tempestas perstringeret, partem non modicam in acumine cum balteo clippei regalis absumeret coriumque interius ejusdem clippei per partes in rugam contraheret. Deinde Rex Flandriam

driam cum valida manu intravit, ferro & igne cuncta domans, Rubertum etiam Comitem cum omni populo ſubjugavit.

Annus Dni. MCIX. Heinrici Junioris IV.

Heinricus Rex Pannoniam cum exercitu aggreditur, ubi ob infidelitatem quorundam nichil memoriæ dignum ab eo agitur. Eodem anno Boëmiorum fere ad tria milia à proprio Duce ſunt necati. Dedicatio baſilicæ ſanctæ Dei genitricis in Roſſevelde. Obiit *Sifridus Comes.*

Annus Dni. MCX. Heinrici Junioris V.

Rothardus Magont. Archi-Epiſcopus obit, cui ſucceſſit Adalbertus. Heinricus Rex Poloniam cum exercitu ingreditur, eamque præda & incendio depopulata revertitur. In illa expeditione Dux Boëmicus nomine Zvedebolt inter ſuos furtive occiditur. Monaſterium Canonicorum Hamersleve inchoatur.

Annus Dni. MCXI. Heinrici Junioris VI.

Gebehardus Conſtantienſis Epiſcopus obiit. *Oda Marchioniſſa* obiit. Hæc fuit filiaſtra *Ottonis Ducis de Northeim*, qui, ut prædictum eſt, ex matre ipſius Richeza nomine tres filios procreavit & filias III, ex quibus unam nomine Ethilindam accepit Welfus Dux Bavvariæ, & poſtquam illam repudiavit, duxit eam *Hermannus de Calverla*, genuitque illa Hermannum Comitem, II nomine Ida nupſit Thiemoni Comiti de Witin, peperitque illi duos filios Dedum Comitem & Cunradum Marchionem. Tertiam verò ſumpſit Cunradus Comes de Arnesberch quæ dicta eſt * * genuitque ex ea Fridericum Comitem. Heinricus Rex Italiam valida manu ingreditur ejusque oppida, caſtella, municipia ferro ignique depopulatur. Præpoſitura in Hildesleve mutatur in Abbaciam, ubi primus ordinatur Alvericus Abbas.

Annus Dni. MCXII. Heinrici Junioris VII.

Heinricus Rex Romam pro imperiali benedictione pergens datis & acceptis obſidibus pacifice à Romanis ſuſcipitur. Poſtquam verò ingreſſus eſt urbem, rupit pacem ac multos trucidat s Dominum Papam cum aliis principalibus viris cepit, ab eo extorquens regnandi privilegium

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 90;Leibn. Marg. 90, Stück 1, [302] - 282
PUBLIC DOMAIN

gium Eccleſiaſticæ fidei contrarium : Sed Dominus Paſchalis Pontifex concilio habito decretum promulgavit, ſeque ad completurum cum juſtitia & autoritate affirmavit, ſcilicet Eccleſias decimis & oblationibus contentas, Regem verò prædia & regalia à Carolo ejusq; ſucceſſoribus Eccleſiaſticis collata recipere & detinere ea conditione, ne Pontifices regali manu anulo & virga inveſtirentur. Cum verò Rex ſupradictæ propoſitioni annueret, ſi confirmaret promiſſa, ecce repente ortum eſt bellum, & ſicut prædictum cæſus eſt populus Romanus maxima contritione, & captivatus, ipſo Papa detento cum Cardinalibus & clericis, populis nimio terrore diſperſis. Rex verò potita victoria miſit ad Papam imprecans reconciliationem quod adipiſcitur, relaxata captivitate atque diadematis impoſitione ab eo coronatus Imperator & Auguſtus efficitur. Exegit autem ab eo privilegium, ut inveſtitura ad ipſum Epiſcopatum pertineret, & niſi ab eo inveſtirentur, à nemine conſecrarentur, ſicque roborata amicitia viciſſim cum pace revertitur.

Annus Dni. MCXIII. Heinrici Junioris VIII.

Paſchalis Papa congregato CXXV Epiſcoporum & plurimorum Catholicorum cetu, favore ipſorum promulgavit edictum, ne aliqua ſpiritalis dignitas regali manu inveſtiretur, caſſans omnia dicta ſcriptaque privilegii prioris, ducens privilegium ab Imperatore per violentiam extortum non debere dici privilegium, ſed pravilegium, quod noſcitur ad redemtionem captivorum factum fuiſſe, & ne quid auctoritatis & efficacitatis haberet, penitus excommunicavit. Commotio adverſus Imperatorem concitata eſt à Duce Luthgero & Marchione Rodolfo propter Fridericum Comitem de Stathen, quem captum vinculis mancipaverunt. Quod Imperator graviter accepit, & tandem poſt plura diſcrimina datis obſidibus pacificantur. Adalbertus Mogontinus Epiſcopus capitur ab Imperatore & cuſtodiæ mancipatur. Hoc tempore obiit quidam de Saxoniæ Principibus nomine Odelricus, *Ludevvici Comitis* dudum gener, jam propter ejusdem filiæ repudium inviſus. Cujus poſſeſſiones *prædictus Comes Palatinus* hereditaria ſibi vendi-

vendicabat ſucceſſione, ſed Heinricus Imperator easdem in jus regni conabatur attrahere. Quæ cauſa recidivæ diſcordiæ fomitem cepit miniſtrare.

Annus Dni. MCXIV. Heinrici Junioris IX.

Werra inter Heinricum Regem & Principes Saxoniæ, in qua *Wicbertus & Sigifridus Palatinus Comes* ejus gratiam perdunt, qui fugientes ab eo ab *Hagero* in quadam villa deprehenſi Wicbertus quidem capitur & regi offertur, Sigifridus verò vulneratur, ex quo vulnere non multo poſt moritur. Barbari qui dicuntur Luitici conſilio *Rudolfi Marchionis* propter odium, quod habebat adverſus Milonem, multas ſtrages patriæ intulerunt. Dominus Hildeboldus omnium bonorum memoria dignus Magadab. Abbas deceſſit, cui Hugo eodem anno ſucceſit. Wernerus Roſveldenſis Abbas obiit.

Annus Dni. MCXV. Heinrici Junioris X.

Heinricus Imperator aſſociatus eſt Regi Anglorum, ducens filiam ejus Mathildam uxorem celebrans nuptias apud Mogontiam magnifice. Fridericus Colonienſis Archi-Epiſcopus alienavit ſe ab Imperatore, nec non & alii multi principes. *Rodolfus Comes* remiſit Heinrico filio fratris ſui *Marchiam*, expletis VIII annis.

Annus Dni. MCXVI. Heinrici Junioris XI.

Factum eſt bellum in Saxonia Welfesholtz inter Imperatorem & Principes III Idus Februar. ubi Cæſar victus aufugit ſuorum plurimis amiſſis. Adalbertus Mogont. Archi-Epiſcopus priſtino honori reſtituitur. Mathildis præpotens fœmina de Longabardia obiit [vide MCII.] *Otto Comes de Ballenſtede* cum LX de Theutonicis vicit duo milia & octingentos de Slavis in loco qui *Cothine* dicitur, ex quibus ibidem corruerunt mille ſeptingenti & amplius V Idus Febr.

Annus Dni. MCXVII. Heinrici Junioris XII.

Gertrudis Ductrix obiit, avia *Lotharii* Imperatoris.

Annus Dni. MCXIIX. Heinrici Junioris XIII.

Terræ motus factus eſt adeo, ut plurima mœnia corruerent. *Gerthrudis Marchioniſſa* obiit. Bernhardus Diaconus etiam obiit. E-

geno

geno ſenior de Conradesburch genuit Burchardum ſeniorem, Burchardus ſenior genuit Eginonem qui interfecit *Adalbertum Comitem de Ballenſtede*, habuitque duas filias, quarum una nomine Gerburch nupſit Folcmaro de Domensleve procreavitque ex ea Alvericum & Bernhardum. Alvericus interfectus eſt relinquens fratrem heredem, Frater autem Bernhardus omnem hæreditatem ſuam tradidit ſancto Mauritio & ſancto Nicolao, & ipſe Monachus factus eſt.

Annus Dni. MCXIX. Heinrici Junioris XIV.

Paſchalis Papa obiit, cui ſucceſſit Gelaſius, quem Heinricus à Roma expulit & Gregorium, qui & Burdinus Papa ſubſtituit. Defuncto Gelaſio Caliſtus prius Viennenſis Archi-Epiſcopus ſubrogatur, à quo Heinricus cum ſuo Papa excommunicatur. Heinricus ab Italia revertitur. Bernhardus Havelbergenſis Epiſcopus obiit, cui Hemmo ſucceſſit. *Helpericus Comes de Plozeke & Hermannus Comes advocatus Magadab. Eccleſiæ* obierunt. *Bernhardus Presbyter ſolitarius de lapide St. Michaelis* in Chriſto obiit.

Annus Dni. MCXX. Heinrici Junioris XV.

Adelgoz Magadab. Archi-Epiſcopus obiit, cui ſucceſſit Rukerus. Hugo Abbas obiit, pro quo Arnoldus ſubrogatur. Hemo Havelbergenſis Epiſcopus obiit, cui Gumbertus ſucceſſit, Cono obiit de Wippera & Thiedericus Comes ſenior de Ameneslove.

Annus Dni. MCXXI. Heinrici Junioris XVI.

Burdinus à Caliſto Papa capitur, monaſterio cui nomen eſt Cavea intruditur, & ipſe in ſedem Romanam excipitur ab omnibus honorifice. Bruno Hirſaugenſis Abbas obiit, pro quo Folcmarus ſtatuitur.

Annus Dni. MCXXII. Heinrici Junioris XVII.

Caliſtus Papa revocavit in communionem Eccleſiæ Heinricum Imperatorem dudum anteceſſoribus ſuis Paſchali & Gelaſio excommunicatum. Canonica autem autoritate ſancitum eſt, ne amplius ſibi regalis poteſtas uſurparet inveſtire ſpiritalia, ſed libera electio fieret à Clero & populo, & ſic inſigniretur regalibus per ſceptrum. Quod utrique confirmaverunt, ſicque facta eſt pax & concordia inter ipſos.

Annus

Annus Dni. MCXXIII. Heinrici Junioris XIIX.

Fridericus Epiſcopus Bremenſis obiit III Kal. Febr. cui ſucceſſit Adalbero. Obiit etiam Reginhardus Halverſtadenſis Epiſcopus Kal. Mart. cui ſucceſſit Otto. *Heinricus Marchio* juvenis veneficio interiit. Item obierunt *Lodevvicus Comes* Monachus factus, & *Otto Comes de Ballenſtede.* Theodericus Epiſcopus Cicenſis, Adela Comitiſſa obierunt. Præpoſitura in *Ballenſtede* mutatur in Abbatiam, ubi primus ordinatur Johannes Abbas. Gertrudis Comitiſſa de regione, quæ *vulgo Hollandt* vocatur, *ſoror Lotharii* Saxonici Ducis Imperatoris rebellat.

Annus Dni. MCXXIV. Heinrici Junioris XIX.

Fridericus Comes de Arnesberch moritur. Eclipſis ſolis facta eſt III Idus Auguſt. hora quaſi ſexta. *Rudolfus Marchio* obiit. Caliſtus Papa obiit, cui Honorius ſucceſſit.

Annus Dni. MCXXV. Heinrici Junioris XX.

Heinricus Imperator obiit anno regni ſui XXI, LXXXIII loco ab Auguſto. Luitgerus Gebehardi Comitis filius Dux Saxoniæ Mogontiæ Rex eligitur. Rukerus Archi-Epiſcopus Magadab. obiit.

Annus Dni. MCXXVI. Lotharii I.

Rex Lutgerus Paſcha Magadab. celebravit & prius Boëmiam manu valida ingreditur, ſed mox in ingreſſu à Duce illius gentis per inſidias circumvenitur, occiditurque multitudo nobilium de Comitatu Regis cum aliis pluribus. *Adalbertus* etiam *Marchio* cum aliis multis capitur, demum dux cum Rege pacatur, indulta in ipſo exercitu injuria, ſicque revertitur. Rukero ſuccedit *Norbertus* in ſedem Magadab. *Heinricus Dux Bavvariorum obiit.*

Annus Dni. MCXXVII. Lotharii II.

Luitgerus Rex obſedit Nurenberch cum Duce Boëmico, & non potuit debellare munitionem, quæ tamen poſtea ei tradita eſt. Carolus Comes de Flandria in Eccleſia à ſuis ſervientibus occiſus eſt. Wilhelmus Comes Pictavorum obiit. Meinfridus Slavus de Brandeburg occiſus eſt. Heinricus Dux Bavvariorum Gertrudem filiam Regis du-

gis duxit uxorem. Eodem anno XV Kal. Jan. Cunradus frater Friderici Ducis Svavorum regium nomen machinantibus quibusdam principibus tirannice sibi imposuit, propter quod à tribus Archi-Episcopis Mogontino, Salzburgensi & Magadaburgensi, & eorum suffraganeis excommunicatus est, & ab omni Ecclesia anathematizatus.

Annus Dni. MCXXVIII. Lotharii III.

Rex celebravit pascha Merseburch & Pentecosten Aquisgrani. Conradus falso nomine Rex, & Fridericus frater illius cum suis complicibus à Domino Honorio Papa in paschali die extinctis luminibus à sancta Ecclesia dampnati & excommunicati sunt. Lothario autem Regi expansis ad cœlum manibus benedicebant, & eum collaudabant, vitam & salutem, & pacem, victoriamque ei à Domino exoptantes. Otto Halverstadensis Episcopus Romæ ab Honorio Papa deponitur. *Heinricus Marchio filius Udonis Marchionis* obiit. Spira à Rege possidetur, quia Fridericus Dux Svavorum meditans rebellionem cum suis eam præoccupaverat.

Annus Dni. MCXXIX. Lotharii IV.

Rex Pascha Goslariæ celebrat, & Pentecosten Quidelingeburch monasteriumque sancti Servatii ipso instituente consecratum ac dedicatum est fer. II ab Episcopis Hildinisheimensi & Mindensi. *Adalbertus Marchio* Hildegesburch quadam nocte cepit & combusit. Spiram Rex iterum firma obsidione circumdedit & honorifice recepit. Eodem anno in commemoratione sancti Pauli Apostoli facta est commotio maxima civium in Magad. contra *Norbertum* Archi-Episcopum, eo quod majorem Ecclesiam, sicut sibi dictum erat, pollutam nocturno tempore purificaverit. Crescente itaque tumultu ascendit in superiora antiquioris monasterii cum Misnensi & Havelbergensi Episcopis & Præposito majoris monasterii, ibique multum diu obsessus est, sævientibus atque objurgantibus adversariis quod altaria fregerit & reliquias sanctorum furto abstulerit. Sed hos divina gratia mirabiliter de insidiis eorum eripuit, & persistentes in malo excommunicans eos sibi subjecit. In festivitate sancti Michaëlis magna violentia ventorum extitit. Annus

Annus Dni. MCXXX. Lotharii V.

Rex Paſcha Bavenberch celebravit & Pentecoſten in Quidilingeburch. *Udo Comes de Frankenleve* ab hominibus *Adalberti Marchionis* occiſus eſt, & Conradus de Eikſtede apud Hallam à civibus ejusdem oppidi cum aliis multis miſerabiliter occiſus eſt; Honorius Papa obiit. Tunc Romani diviſi elegerunt duos Cardinales, Gregorium & Petrum Leonem, factaque eſt inde magna perturbatio & diſſenſio per totam Eccleſiam. *Heinricus Comes & ſignifer Regis, frater Ludevvici Comitis de Thuringia*, clam vulneratus & confoſſus immatura morte obiit, & *Burchardus de Lukenem Comes Freſonum*, in quodam cimiterio à militibus *Domini ſui*, ſicut ipſius voluntas fuerat, inſidioſe circumventus infideliter eſt interemptus. Hujus perfidiæ vindex fuit Lotharius Rex, qui urbem illius *Wincenburg* dictam obſedit & fregit, & *Comitatum ipſius dedit Lodevvico prædicto de Thuringia. Marchia* etiam *ſeptentrionalis* tradita eſt *Conrado filio Helperici de Plozeke.* Gregorius qui & Innocentius, qui Petro Leoni in electione prævaluit, in Wirzeburch à Lothario Rege & ab omnibus ibi congregatis eligitur & confirmatur.

Annus Dni. MCXXXI. Lotharii VI.

Habita eſt Synodus generalis in XL apud Leodium præſidente Papa Innocentio cum numeroſa multitudine Epiſcoporum, Abbatum & Clericorum diverſorum ordinum præſente Rege Lothario & Regina R. ibique ab ipſo Apoſtolico & omni Eccleſia inibi collecta excommunicati ſunt Petrus Leonis, Conradus & frater ſuus Fridericus cum omnibus illis faventibus. Otto etiam Halverſtad. Epiſcopus ab Honorio Papa depoſitus, ibidem propter petitionem Eccleſiæ & Regis priſtinam reſumpſit ſedem. Heinricus Magadab. præfectus filius *Wiperti Marchionis* Marchiam, quam patre ſuo defuncto *Comes Adelbertus* à Rege acquiſierat, legati jure recepit. Rex Paſcha celebrat in Treverenſi civitate, & Pentecoſten in civitate Argentina, & Bruno ejusdem loci Epiſcopus paſtoralem curam amiſit, Gevehardo ſibi ſuccedente. Et quia Fridericus Dux cum illis comprovincialibus

Regi

Regi maximè conabatur resistere, plurima castella in eadem provincia ab ipso eodem tempore obsessa & confracta sunt. Rex Saxoniam regressus exercitum duxit contra Danos, eosque datis obsidibus potenter devicit. Innocentius Papa iterum collectis Ecclesiasticis viris & fidelium turbis apud Remensem urbem in festo sancti Lucæ Evangelistæ, generali Synodo per aliquot dies præsidebat. Fridericus Archi-Episcopus Colonienſis obiit.

Annus Dni. MCXXXII. Lotharii VII.

Rex celebravit natalem Domini Coloniæ & purificationem sanctæ Mariæ Bavenb. Ekbertus Monaster. Episcopus obiit, cui successit Wernherus Canonicus Halverstad. Ecclesiæ, fratruelis St. Annonis Ecclesiæ [Colon.] Archi-Episcopi. Rex Aquisgrani Pascha celebravit & Pentecosten in Fuldensi Monasterio. Bruno successit Friderico Colonienſi Archi-Episcopo. Corpus St. Godehardi Hildinisheimenſis Episcopi IV Non. Maj. elevatum est honorifice de tumulo. Obiit Cuno Ratisponenſis Episcopus & Hermannus Augustenſis Episcopus. Rex celebravit assumtionem sanctæ Mariæ in Werzeburch, & inde cum exercitu Longabardorum fines intravit. Et quia *Archi-Episcopus Colonienſis* defuit, *qui jure debet esse Cancellarius in illis partibus*, Norbertus Archi-Episcopus Magadab. huic officio deputatus est.

Annus Dni MCXXXIII. Lotharii VIII.

Rex celebravit natalem Domini in Italia apud castrum quod dicitur Medicina, [forte Modoetia] & *Conradus Marchio de Plozeke* post festivos dies in obsequio ejusdem regis pergens sagitta transfigitur, sicque egregius juvenis heu immatura morte obiit. Cujus corpus in patriam delatum commendatum est terræ in Kakelinge cum parentibus suis. Rex autem inde progressus sanctum Pascha celebravit apud sanctum Flavianum, ac postea in Kal. Maji Romam veniens ad sanctum Johannem in Lateranis à Papa & Clero ac Romanis honorificè suscipitur, ibique Pentecosten celebrat, & in ipso sancto die in monte Adventino ad sanctam Sabinam coronatus processit. Ibidem ergo per sex continuas ebdomas commoratus tandem ex consilio & voluntate prin-

principum mediante Norberto Archi-Epiſcopo in præfata Baſilica Conſtantini à Papa Innocentio Imperialem ſuſcepit benedictionem cum conjuge ſua II Non. Jun. die Dominica, quæ tunc tertia exſtitit, poſt ſolempnitatem adventus Spiritus ſancti. His ita geſtis Imperator tranſcenſis Alpibus celebrat nativitatem ſanctæ Mariæ in Werzeburch, habuitque glorioſum occurſum, ad curiam ſuam ex principibus diverſarum provinciarum, tam Eccleſiaſtici ordinis ſublimitate, quam & ſeculari dignitate præfulgentibus. Ibi confirmantur electiones Epiſcoporum Heinrici Radisbonenſis & Walteri Auguſtenſis. Et quia Heinricus Baſilienſis Epiſcopus omnino degradatus fuit, Adalbero Nienburgenſis Abbas eidem Canonica *electione cleri & populi per conſilium Imperatoris* ſucceſſit.

Annus Dni. MCXXXIV. Lotharii IX.

Imperator natalem Domini celebrat Coloniæ, Epiphaniam Aquisgrani. *Adelbertus Comes ſuccedit Cunrado Marchioni.* Imperator celebrat paſcha Halverſtad. Ubi *quidam de primoribus Danorum Magnus nomine* advenit, & in die ſancto manibus applicatis *miles Imperatoris efficitur, & regnum ipſius patriæ ab ipſo percepit, & poſt Sacramenta Cæſari ad Eccleſiam procedenti circulo illius* [corona] *decoratus enſem Imperatoris honorifice portavit.* Qui in patriam reverſus à quodam Herico & fratre illius occiſus eſt, cum V Epiſcopis & LX Clericis. Pater etiam ejusdem Nicolaus nomine in civitate Slieswich ante Eccleſiam cum ſuis miſerabiliter occubuit, inſidioſe invitatus & infideliter interemptus. Imperator celebrat Pentecoſten Merſeburch & in feria quarta ejusdem ebdomadæ *Norbertus* Magadab. Archi-Epiſcopus *obiit*, & in feria II ſequentis ebdomadæ in Monaſterio ſanctæ Mariæ eſt ſepultus. Feſtivitatem Apoſtolorum Petri & Pauli celebrat in Magadab. Imperator & Conradus ejusdem Eccleſiæ Canonicus ipſo Imperatore conſentiente, generali electione Cleri & populi Archi-Epiſcopus conſtituitur. Adelberoni Nienburgenſi Abbati ſucceſsit Arnoldus Abbas ſancti Johannis Baptiſtæ. Berthou Fuldenſis Abbas veneno vitam finivit, eique Cunradus ejusdem cœnobii Monachus *per conceſ-*

conceſſionem Imperatoris ſuccedit. Aſſumptionem ſanctæ Mariæ celebrat Imperator in Werzeburch, & inde cum exercitu Sveviam intravit, propter Fridericum Ducem & fratrem ejus, qui & quoddam oppidum ejusdem regionis *Ulma* dictum contra eum munierant, & cives ad reſiſtendum eidem incitaverant. Sed Heinricus Dux Bavvariorum præveniens Imperatorem oppidum expugnavit, deprædavit atque incendit, absque Eccleſiis, duce & fratre ſuo inde fugientibus, & XII de præſtantioribus captivos ſecum adducentibus. Poſtea plures ex eisdem comprovincialibus ad Cæſarem confluxerunt, quibus & gratiam ſuam dedit, & ipſi è contra ſibi fidelitatem promiſerunt. Devaſtata autem ex plurima parte regione Imperator ad Fuldenſem Abbatiam divertit. Fridericus verò Dux cernens ſe à pluribus derelictum & deſtitutum, & ſibi adhærentes valde afflictos, neceſsitate compulſus adiit Imperatricem in prædicto loco cum Imperatore degentem, nudis pedibus ſatis humiliter flagitans gratiam ipſius ſimulque ſperans, ſe per illam, *quia neptis ſua* erat, in gratiam Cæſaris deventurum. Quod & ſic factum eſt. Nam ipſa fecit eum abſolvi per legatum Apoſtolici, qui ibi tunc præſens fuerat ab excommunicatione, qua per ſeptem annos continuos fuit ſeparatus à communione ſanctæ Eccleſiæ. Primum enim fuerat excommunicatus cum fratre ſuo in Theutonicis partibus à tribus Archi-Epiſcopis : Mogont. Salzburg. & Magadab. & ſuffraganeis illorum, deinde in ſequenti anno à Papa Honorio & aliis Eccleſiaſticis viris, qui Romæ ad Synodum congregati fuerant, *in cœna Domini*, tertio in Leodicenſi Concilio à Papa Innocentio & omni Eccleſia. Receptus ergo in conſortium ſanctæ Eccleſiæ, magnis Sacramentis ſe obligavit, quod Imperatori fideliter & devote inpoſterum vellet adhærere, & ad proximum placitum coram principibus gratiam illius cum illorum auxilio exquirere.

Annus Dni. MCXXXV. Lotharii X.

Imperator natalem Domini Aquisgrani, & purificationem ſanctæ Mariæ Quidilingeburch celebrat. Lodewicus Augenſis Abbas occiſus eſt in Eccleſia à miniſtralibus ſuis, per inſidias, ſicut fama fuit, Othel-

 rici

rici fratris Friderici Comitis de Zolre qui ei ſucceſſit, ſed ipſe eodem anno veneno vitam finivit. Cæſar venit in quadrageſima ſicut promiſerat à Bavenberch, ubi facta eſt permaxima confluentia principum & populi & Fridericus Dux cum ſuis, licet aliquamdiu retinuiſſet gratiam Imperatoris, publice provolutus pedibus illius humiliter exquiſivit & mox impetravit. Qui etiam ſe profecturum cum ipſo Imperatore in Italiam in proximo anno ſpopondit, & pacem per totam Sveviam, ſicut decretum fuit, firmiter obſervari præcepit. Imperator celebrat Paſcha Quidilingeburch, Pentecoſten Magadab. ubi Odelricus Dux Boëmiorum & legati Bolizlai Ducis Polanorum & Godefredi Ducis de Lovene, Ungrorum etiam & Danorum, nec non & Sclavorum cum Principibus illuc confluentibus affuere, quos omnes cum dignis reſponſis remiſit. Congregatio ſanctimonialium Canonicarum in Luttere ab Imperatore commutatur in regularem vitam ſancti Benedicti, & Eberhardus de Monaſterio ſancti Johannis Baptiſtæ illuc cum Monachis miſſus primus ibi ordinatur Abbas; & eodem anno à Cæſare & Imperatrice poſitis in fundamento ab ipſis primis lapidibus novum Monaſterium incipitur. Imperator commemorationem ſancti Petri ad vincula Nuenburch, & feſtivitatem ſancti Laurentii, & aſſumptionem ſanctæ Mariæ in Merſeburch celebrat. Illuc confluebant cum primariis regni Bolizlavus atque Othelricus Duces & legati Græcorum Imperatoris, honorifica ſecum munera ferentes, pacem ab Imperatore & amicitiam ac auxilium contra Rukerum tyrannum poſcentes, qui partem Romani Imperii & etiam terram Græcorum nimis vexaverat. Quibus decenter remuneratis cum ſuis legatis Havelbergenſi Epiſcopo Anshelmo & cæteris eis remiſit in propria. *Bolizlaus* verò poſt ſacramenta in die ſancto manibus applicatis *miles ejus efficitur*, & Cæſari ad Eccleſiam proceſſuro, gladium illius ante ipſum portavit. Poſtea cauſa orationis perrexit ad ſanctum Godehardum, indeque rediens in Magadab. propter petitionem Imperatoris feſtiva proceſſione ſonantibus campanis ſuſcipitur, quod nullus meminit prius unquam fuiſſe factum, ut talis perſona ibidem ſuſciperetur, niſi

tempore

tempore Adalberti primi Archipræſulis, qui *Hermannum Ducem Saxoniæ*, virum prudentem & juſtum & ſtudioſum, in defenſione ſanctárum Eccleſiarum ibidem ſimili modo ſuſcepit, in quo tamen ipſum Imperatorem Ottonem auctorem & fundatorem illius loci nimis offendit, & ut ſcriptum invenitur, vix tandem placavit, licet *ille majoris reverentiæ* eſſet, quam Sclavus & alienigena. Imperator poſt feſtum ſancti Michaëlis Mulehuſen venit, ubi Conradus frater Friderici Ducis Coronæ ac totius regalis oblitus ornamenti humiliter per Cunradum Archi-Epiſcopum Magad. ab excommunicatione ſolvitur, ac deinde per interceſſionem Imperatricis Cæſaris pedibus provolutus gratiam illius promeretur.

Annus Dni. MCXXXVI. Lotharii XI.

Imperator natalem Domini Spiræ celebrat. *Heinricus Marchio* & Magadab. Comes tunc ad curiam pergens Mogont. obiit, cui in *comitatu Magadab.* Burchardus frater Archi-Epiſcopi ſucceſſit, Marchia verò conceſſa eſt *Cunrado Marchioni.* Cæſar paſcha celebrat Aquisgrani, Pentecoſten Merſeburg, natalitia Apoſtolorum Petri & Pauli Goslariæ, ibique *Anshelmus Havelberg.* Epiſcopus rediens à Conſtantinopol', quo miſſus fuerat, venit ad eum. Havelberga capta eſt *à filiis Widekindi* & Eccleſia deſtructa. Imperator celebrat aſſumptionem ſanctæ Mariæ Werzeburch, indeque iter ſuum direxit ad partes Italiæ.

Annus Dni. MCXXXVII. Lotharii XII.

Imperator celebrat natalem Domini in campeſtribus Boloniæ civitatis, & paſcha Firmæ, deinde ingreſſus eſt Apuliam. Ibi apud civitatem, quæ Trana dicitur, Bruno Colonienſis Epiſcopus *ſanguine minutus eſt* feria IV ante Pentecoſten, *& tertia die ſubitanea morte defunctus eſt.* Cæſar verò tranſiens per Romaniam & Campaniam ingreſſus eſt Barum civitatem ibique pentecoſten celebrat, & in die ſancto Papa miſſam cantavit, in monaſterio ſancti Nicolai aſtante Imperatore. Ibi ſepultus eſt Bruno Colonienſis Archi-Epiſcopus, cui Hugo ſucceſſit Decanus ejusdem Eccleſiæ, qui ibidem conſecrationem

& pallium à Papa ſuſcepit. Eodem tempore obiit Adalbertus Mogontinus Archi-Epiſcopus. Imperator natalem Apoſtolorum Melphiæ celebrat, ubi Hugo Archi-Epiſcopus prædictus *ſanguinem ſibi minui fecit & IV die obiit*, ibique ſepultus eſt. Deinde non poſt multos dies in eodem itinere obiit Adalbero Baſilienſis Epiſcopus. Imperator Tridentinam veniens, feſtum ſancti Martini celebrat gaudens & ibidem infirmari cœpit. Dum verò cottidie languor ingraveſceret, nec ob hoc iter ſuum intermiſiſſet, tandem prævalente mortali infirmitate apud Breduvvan villam in faucibus Alpium conſtitutam II Nonas Decembr. à ſeculo migravit. Corpus ejus in Saxoniam perlatum, in ſua propria Abbatia, quæ *Lutere* nominatur, terræ commendatum eſt.

Annus Dni. MCXXXIIX. Conradi I.

Meingotus Merſeburch. Epiſcopus de prædicta expeditione usque in Sveviam languens perductus obiit, cui ſucceſſit Ekkilevus ejusdem Eccleſiæ præpoſitus. Eodem tempore Lambertus Hilſenburgenſis Abbas & Brandeb. Eccleſiæ electus revertens à Roma à latronibus occiſus eſt. Huic ſucceſsit in Abbatia Sigebodo ejusdem loci Monachus, in Epiſcopatu Wikkerus ſanctæ Mariæ præpoſitus in Magadab. Pro Hugone etiam Colonienſi Archi-Epiſcopo conſtitutus eſt Arnoldus St. Andreæ *Fuldenſis* [hæc vox recentiore manu lineæ ſuperſcripta] præpoſitus. Petrus Leonis, qui contra Innocentium Papam Apoſtolicam ſedem uſurpaverat, obiit. Primates regni decreverunt generalem conventum fieri Mogontiæ in Pentecoſten, ut communiter ibi regno præficerent, quemcunque Deus ad hoc præordinâſſet. Interea quidam ſequeſtrantes ſe ab aliis mediante Thietwino Cardinali Epiſcopo in medio quadrageſimæ apud Confluentium oppidum Conradum fratrem Friderici Ducis Svevorum privatim ſibi Regem elegerunt, unde deinceps non modica diſſenſio & perturbatio exorta eſt. Eodem anno obiit Bolizlaus Dux Polanorum relinquens V filios ſuperſtites, quibus & diviſit hæreditatem ſuam coram Epiſcopis & Principibus illius terræ. E quibus Bolizlavus, quia ſenior erat & *gener Conradi Regis*, ducatum illius terræ obtinuit. Folcmarus Abbas Corb. obiit, cui ſucceſſit

cesſit *Adalbero frater Heinrici Ducis* electus de eadem congregatione. Eodem tempore caſtrum quod *Berneburch* dicitur igne crematum eſt propter tyrannidem, quam exercebat *inde Eilica Comitiſſa* cum ſuis - - - -

Annus Dni. MCXXXIX. Conradi II.

Rex natalem Domini Goslariæ celebrat, ubi & publicum conventum habuit, ſed nichil ibi de rei publicæ ſtabilitate tractatum eſt, ſicque nonnullis dedignantibus curia defluxit, illo ibidem per integrum menſem inutiliter degente. Intrante verò Februario Quidilingeburch venit, purificationem ſanctæ Mariæ peregit. Cunradum Magadab. Archi-Epiſcopum cæterosque Principes Saxoniæ, qui Goslariæ deerant & illuc ſe venire ſpoponderant, exſpectans. Quibus venientibus & prope ipſum locum hoſpitantibus ipſe ſubito receſſit & expeditionem ſuam fieri in Saxoniam in proxima æſtate firmiter juſſit. Poſt paſcha Cunradus Magadab. Archi-Epiſcopus *cum Duce Heinrico* & aliis Principibus ſibi auxiliantibus caſtrum *Bernhardi Comitis Plozeke* [add. MCXLVII] obſedit, cepit, deſtruxit. Appropinquante verò feſtivitate aſſumptionis ſanctæ Mariæ idem Archi-Epiſcopus cum Duce & prædictis principibus apud Cruciburch contra Regem convenit, qui ut prædictum eſt Saxoniam hoſtiliter intrare ac devaſtare ſummis viribus conabatur. Ibi facta per internuncios conventione pax firmata eſt usque ad condictum tempus. Deinde facto colloquio in Quidilingeburch Heinricus nobiliſſimus atque probiſſimus Dux Bavvariorum atque Saxonum veneficio ibidem infectus XIII Kal. Novem. vitam finivit. Corpus ejus Lutteræ ad dextram Lotharii Imperatoris poſitum eſt.

Annus Dni. MCXL. Cunradi III.

Obiit Lothowigus Rex Franciæ relinquens duos filios ſuperſtites, quorum alter Lothowigus nomine regnum obtinuit, alter verò perfe- fectionem * vitalium vitam finivit. Item *Otto* obiit piæ memoriæ *Bavenberg. Epiſcopus*, qui ſua prædicatione Pomeranos convertit, cui ſuccedit Heilbertus ejusdem Eccleſiæ Canonicus. Obiit etiam Donna

na Cunegund de Aldeslove. Obierunt *Lodevvicus Comes de Thuringia & Wilhelmus Palatinus Comes.* Item Sivvardus Mindenſis Epiſcopus, Goldeboldus Miſnenſis Epiſcopus & Bernhardus Werdinenſis Abbas. Pro Sivvardo electus eſt Heinricus Abbas de eodem loco, & pro Godeboldo conſtitutus eſt, Reinvvardus ejusdem Eccleſiæ præpoſitus & Bernhardo Abbati ſucceſſit Lambertus Monachus ejusdem monaſterii. Eodem etiam anno obſeſſæ ſunt & deſtructæ munitiones iſtæ, Groninge, Anehalt, Gebelinzi, Witekke

Annus Dni. MCXLI. Cunradi IV.

Richeza Imperatrix obiit & Adalbertus Mogont. Archi-Epiſcopus, cui ſucceſſit Marcolphus præpoſitus de Aſſchaphanburch, vir per cuncta laudabilis.

Annus Dni. MCXLII. Cunradi V.

Obiit Cunradus Magadab. Archi-Epiſcopus & *Eilica Comitiſſa*, & Otto Epiſcopus, & Marcolfus Mogontinus Archi-Epiſcopus, cui ſucceſſit Heinricus præpoſitus majoris Eccleſiæ eodem anno. Conrado ſuccesſit Fridericus in Archipræſulatu, cuſtos majoris Eccleſiæ & præpoſitus Biveræ.

Annus Dni. MCXLIII. Cunradi VI.

Innocentius Papa obiit, cui Cardinalis Wido qui & Cæleſtinus ſucceſit. Ekkilevus etiam Merſeburg. Epiſcopus obiit, eique Reinhardus ſucceſit. Obiit *Adalbero Corbienſis Abbas* & *Gertrudis Ductrix & Agnes Marchioniſſa mater Cunradi Regis.*

Annus Dni. MCXLIV. Cunradi VII.

Obiit Cæleſtinus Papa eique ſucceſit Cardinalis Gebehardus mutato nomine Lucius. *Rothulfus Comes de Staden* interfectus eſt à transAlbianis Saxonibus qui *Fedmarsgoi* dicuntur, propterea quia oppreſſiones ejus diutius ferre noluerunt. Sigifridus Comes de *Bouminiburg* etiam obiit, & in ambobus ceſſavit miſerabiliter deducta antiquitus prolis ſucceſio. Obiit etiam Salome Ductrix conjux Bolizlavi Ducis.

Annus

Annus Dni. MCXLV. Cunradi VIII.

Cunradus Rex celebraturus natalem Domini, Magadab. venit, & quia ſecum habuit Hermannum Comitem de Stalekke à Mogontinenſi Archipræſule excommunicatum, à Clero regali more ſuſceptus non eſt. Lucius qui & Gerhardus Papa obiit, cui ſucceſſit Bernhardus Cardinalis & Abbas de ſancta Anaſtaſia mutato nomine Eugenius. Obiit Bertrada Comitiſſa & filius ejus *Cunradus Comes de Hoenſteino.* Obiit etiam *Luthgart Marchioniſſa.* In eadem nativitate Domini Fridericus Magadab. Archi-Epiſcopus magnam partem de allodiis Domini Hartvvici & matris ejus Richardis datis beneficiis, data copioſa pecunia in proprietatem Magadab. Eccleſiæ contrahens magnum & glorioſum memoriale nominis ſui poſteris reliquit. Intererat quoque eidem curiæ quidam princeps Poloniæ nomine Petrus, Chriſtianæ religionis ſectator devotiſſimus, qui ad propagandum ſub ſuo principatu catholicæ religionis cultum, à jam dicto Epiſcopo aliquod de ſanctorum reliquiis munus ſibi impendi petiit, & per Regis interventum impetravit. Communi enim conſenſu tam Epiſcopi quam & Canonicorum donata eſt magna pars reliquiarum S. Vincentii Epiſcopi & confeſſoris. Translatum eſt autem idem donum maximo luctu civium à Parthenopoli IX Kal. Junii, quæ tunc erat dies aſcenſionis Domini, perductum verò ad locum deſtinatum VIII Id. Jun. eſt dies natalis ejus, & ſumma cum devotione præfati Petri ſuſceptum adeo, ut primum omnes poteſtatis ſuæ captivos reſolveret, & ſic coadunatis terræ illius primatibus decenter occurreret. Latores quoque magnifice redonatos, transmiſſis & Epiſcopo donariis, honeſtiſsime ad propria remiſit. Quod autem ipſe ſanctus hanc ſui translationem adamavit, illic crebris miraculis usque ad præſens innoteſcit.

Annus Dni. MCXLVI. Cunradi IX.

Cunradus Rex dum Cumæ Curiam haberet, Wlodisclazo, qui erat ſenior inter fratres, & qui ſororem Regis habebat in conjugio, Regem adiit, ac ſuſcepta patria ut ſolus ducatum optineret fratres exhæredare conatus eſt. Denique cum reverſus civitatem Poſnen cum exercitu obſi-

obſideret, fratres collectis paucis ex improviſo hoſtes ingenti ſtrage vulneraverunt. Deinde fratri colloquentes jurejurando fidem & pacem cum eis confirmavit. Sed DEUS qui occulta cognoſcit, juramenta ejus detexit. Nam terra in ipſo loco juramenti, ut refertur, disrupta ſanguinei fluminis patefecit abyſſum. Poſtea multas clades inferens fratribus favente DEO expulſus à patria regem adiit contra fratres auxilium flagitando. Rex autem cum Principibus Saxoniæ colloquio habito menſe Auguſto coadunato exercitu Poloniam ad reſtituendum Ducem aggreſſus eſt. Fratres verò præmunitas ingenti exercitu itineris ſemitas obſervabant, Regi prohibentes introitum. Tandem conſilio *Adalberti & Conradi Marchionum* obſidibus datis viciſſim Regem adeunt, juniore fratre obſide dato, aut promiſſa pecunia patriam ab ipſo ſuſcipiunt, ſicque Rex reverſus eſt.

Annus Dni. MCXLVII. Cunradi X.

Rex in feſto beati Georgii Martyris Nurinberch habita curia coadunatis fidelibus, qui ſe vivificæ crucis vexillo ſignaverant, una cum Ducibus *Welpone & Friderico* aliisque quamplurimis tam Epiſcopis quam Comitibus Jeroſolymam ire decreverunt, ut *Roas* [vid. ſupra MXCIX] civitatem prioribus annis à paganis nocte natalis Domini occiſis Chriſtianis incendio concrematam, Chriſtianis reſtituerent, utque vires barbarorum minuerent, quia Sanguin quidam nomine multas clades Chriſtianis inferebat, ſed heu peccatis exigentibus occulto judicio Dei, dum magis de ſe quam de Domino præſumpſit, res humanis viribus cepta fruſtrata eſt effectu. Eodem anno V Kal. Novembr. Eclipſis ſolis fermè die medio horribili caligine mundum obtexit adeo, ut circulus in modum falcis videretur ipſum, qui eo tempore fundebatur humani generis ſanguinem deſignans. Nam à Rege Conſtantinopolitano quaſi benigne ſuſcepti ſunt, ſed ſubdole ſeducti, quorum ſexcenta & quinquaginta milia annumerata fuerunt, qui cum cupiditate divitiarum ſeu gloriæ ſeu victoriæ civitatem quandam Paganorum ditiſſimam aggredi conarentur, à Rege Græcorum per loca deſerta & avia abducti XVIII dierum fame ac ſiti pene omnis multitudo interiit, inſuper

ſuper à paganis qui dicuntur Turci circumventi facile ſine congreſſione, utpote labore, fame ſitique confecti, ſagittis interimebantur, ubi & *Bernhard Comes de Plozeke* [add. MCXXXIIX] occubuit. Rex autem qui longe abierat ab hac cæde tandem cum paucis, qui ſecum barbaros ſæpe invadentes evadere potuerunt, Conſtantinopolim rediit, ibique à Rege Græcorum honorifice ſuſceptus, apud illum natalem Domini celebravit, & usque ad purificationem ſanctæ Mariæ ſecum permanſit. Lothevvicus etiã Rex Francorum LX milibus eadem expeditione pene deletis cum paucis rediit. Hujus expeditionis auctor & inſtigator exſtitit Bernhard Clarevallenſis Abbas, qui tunc miraculis coruſcare ferebatur.

Annus Dni. MCIIL. Cunradi XI.

Eodem anno circa feſtum ſancti Petri divina inſpiratione & Apoſtolicæ auctoritatis exortatione & multorum religioſorum ammonitione magna Chriſtianæ militiæ multitudo contra Paganos verſus aquilonem habitantes aſſumpto ſigno vivificæ crucis exiverat, ut eos aut Chriſtianæ religioni ſubderet, aut Deo auxiliante omnino deleret. Ubi in una ſocietate convenerant, Fridericus Archi-Epiſcopus Magadab. Rotholfus Halverſtadenſis Epiſcopus, Wernherus Monaſterienſis, Reinhaldus Merſeburgenſis, Wickerus Brandeburg. Anshelmus Havelberg. Heinricus Moravienſis Epiſcopi, & Wibolt Corbegenſis Abbas, *Conradus Marchio*, *Adalbertus Marchio*, *Fridericus Palatinus Comes*, *Hermannus Palatinus Comes* cum multis Comitibus & armatis bellatoribus ſexaginta milibus. Interim in alia ſocietate ſe in unum collegerant, Albero Bremenſis Archi-Epiſcopus, Thietmarus Furdenſis Epiſcopus, *Heinricus Dux Saxoniæ*, *Conradus Dux Burgundiæ*, [an forte Zeringenſis, ſocer Heinrici Ducis?] Hartvvigus Princeps prænobilis cum multis comitibus & nobilibus & cæteris armatis numero XL milibus pugnatorum. Rex etiam Daciæ cum Epiſcopis terræ illius & cum univerſo robore gentis ſuæ maxima multitudine claſſium collecta circiter centum milibus exercitum paraverat. Item frater Ducis Poloniæ cum XX milibus armatorum exiverat. Cujus etiam frater major cum infinito exercitu adverſus Pruſcos crudeliſſimos barbaros venit, & diu-

& diutius ibi moratus eſt, contra quos etiam *Ruthèni* licet minus Catholici, tamen Chriſtiani nominis Karacterem habentes inæſtimabili DEI nutu, cum maximis armatorum copiis exiverunt. Hi equidem omnes cum maximo apparatu & commeatu & mirabili devotione in diverſis partibus terram Paganorum ingreſſi ſunt, & tota terra à facie eorum contremuit, & fere per tres menſes peragrando omnia vaſtaverunt, civitates & oppida igni ſuccenderunt, Fanum etiam cum Idolis, quod erat ante civitatem Malehon, cum ipſa civitate conremaverunt. Eodem tempore in octava Paſchæ, quæ fuit V Kal. Maji, movit ſe navalis exercitus de Colonia, qui XIV Kal. Jun. venit in portum Angliæ qui Tremunde dicitur, ubi Comitem de [Flandria] cum CC fere navibus tam Anglorum quam Flandrenſium invenit. Ibi per triduum commoratus vita feria ante rogationes inde navigavit, & per continuos octo dies & noctes in alto mari laborans in vigilia aſcenſionis & in ipſa ſolempnitate ſævisſima quaſſati tempeſtate, octava demum die in portum Hiſpaniæ qui Gozin dicitur cum L ferè navibus cæteris circumquaque diſperſis appulit. Ubi per triduum requieſcens rurſum in portum ejusdem littoris qui Viver dicitur, venit. Inde exiens ſexta feria ante Pentecoſten in portum Galaciæ qui Tambre dicitur, applicuit. Qui portus à ſancto Jacobo IIX miliaribus diſtat, ad cujus ſanctum ſepulchrum in vigilia Pentecoſtes veniens ſanctam ſolempnitatem cum magna hilaritate celebravit. Unde ad portum revertens in octava Pentecoſtes navigavit ſecundâ feriâ ad *civitatem Portugalim* per alveum fluminis qui Dorus dicitur appulit, ubi Epiſcopum ejusdem civitatis adventum ſuum cum magno tripudio ex præcepto Regis præſtolantem reperit. Ibi per dies XI adventum Comitis A. qui à ſe prædicta tempeſtate diviſus erat, exſpectans æquam venditionem tam vini quam cæterarum rerum & deliciarum, ex benivolentia Regis habuit. Exinde Comite A. cæterisque ſociis receptis navigans alveum fluminis, qui Tagus dicitur, intrans ſecunda die apud *Vlixibonam* in vigilia Apoſtolorum Petri & Pauli appulit. Quæ civitas ſicut tradunt hyſtoriæ Sarracenorum, ab Ulixe poſt excidium Trojæ condita mirabili ſtructura

tam

tam murorum quam turrium ſuper montem humanis viribus inſuperabilem fundata eſt, circa quam exercitus omnis prædictus figens tentoria Kal. Julii ſuburbana ejus virtute divina adjutus cepit. Poſthæc circa muros aſſultus varios non ſine magno ſuo & illorum detrimento faciens usque ad Kal. Aug. in machinis faciendis tempus protraxit. Siquidem duas turres juxta littus, unam in orientali parte ubi Flandrigenæ conſiderant, alteram in occidentali, ubi Anglici caſtra locaverant magno ſumptu conſtruxit. Pontes etiam IV in navibus, per quos ſibi aditus ſuper muros civitatis pateret, compoſuit. Hæc omnia in inventione ſancti Stephani Prothomartyris exercitus admovens vento contrario repulſus, nec non & magnellis quodam læſus naves retraxit. Deinde Colonienſibus ex ſuâ parte dimicantibus cum Sarracenis, Anglici minus caute ſuam turrim cuſtodientes, hanc ex improviſo ſuccenſam igne, extinguere non potuerunt. Interim Colonienſes quadam machina murum ſuffodere ceperunt. Quod videntes Sarraceni igne olio admixto eandem machinam in favillam redigebant, magiſtrum etiam machinæ in fractura muri lapidabant: Præterea mortes innumeras tam magnellis quam ſagittis ipſis inferentes illi quoque ſimili morte multipliciter puniti ſunt. Colonienſes de jactura machinarum & ſuorum contritione aliquantiſper fracti, ſed in miſericordia divina ſperantes ingenia & machinas reparare ceperunt. Interea Sarraceni civitatis, qui alimentis habundabant, ſuis concivibus egentibus adeo alimenta ſubtrahebant, ut quam plurimi eorum fame attenuati morerentur. Quidam autem eorum canes & cattos devorare non abhorrerent. Horum pars plurima Chriſtianis ultro ſe obtulit & baptiſmi Sacramentum ſuſcepit. Quidam autem illorum truncatis manibus ad muros à noſtris remiſſi, à ſuis concivibus lapidati ſunt. Multa eis adverſa vel proſpera ſecundum quod varius eſt belli eventus acciderunt, quæ longum eſt enumerare. Tandem quidam Piſanus natione vir magnæ induſtriæ circa nativitatem ſanctæ Mariæ turrim ligneam miræ altitudinis in ea parte, qua prius Anglorum turris deſtructa fuerat, coaptavit, & opus laudabile tam ex regio ſumptu, quam

quam ex totius exercitus labore circa medium Octobrem conſummavit. Similiter quidam noſtras ſub muro civitatis ingentes cavationes ſuo ingenio & multorum adjutorio fecit, quod Sarraceni moleſtè ferentes in feſto ſancti Michaëlis circa horam tertiam latenter exeuntes cum Colonienſibus usque ad veſperam pugnam ſuper foveam continuabant. Noſtri autem ſagittariis eis oppoſitis vias, per quas redire ſperabant, adeo vallaverunt, ut vel nullus vel vix aliquis eorum ſine plaga rediret. Hinc noſtri viriliter die nocteque laborantes opus ſubterraneum lignis levigatis impletum eadem die conſummabant, qua Rex cum Anglicis turrim ſuam muris applicabat. Siquidem in ipſa nocte ſancti Galli Abbatis igne foſſæ impoſito lignisque ardentibus corruit ſpatio CC pedum. Noſtri de tanta ruina expergefacti ſumptis armis cum ingenti clamore aſſiliebant ſperantes vigiles & cuſtodes murorum fugiſſe. Ad ruinam autem cum veniſſent, mons aditu difficilis ſupereminebat & turba Sarracenorum in defenſione parata ſtabat. Nichilominus autem noſtri aſſiliebant, nec à pugna media nocte inchoata usque ad diei horam nonam ceſſabant. Tandem variis percuſſionibus attriti pugnæ ſe ſubtrahebant, quousque communicato conſilio turris admoveretur, & ſic Sarracenorum populus hinc & inde pugna vexaretur. Et ecce viris bellicoſis turris impleta muro ſupereminebat. Eadem hora exercitus noſtræ partis ad fracturam muri Lotharingis prima judicio fronte pugnantibus Sarracenos mirabili aſſultu appetebant. Interim milites Regis, qui ab arce pugnabant, magnellis Sarracenorum territi minus viriliter pugnabant, usque adeo quod Sarraceni exeuntes turrim concremâſſent, ſi quidam de noſtris, qui caſu ad ipſos venerant, non obſtitiſſent. Hujus periculi fama cum ad noſtras transvolaret aures, meliores exercitus noſtræ partis ad defendendam turrim, ne noſtra ſpes in ea annullaretur, transmiſimus. Videntes autem Sarraceni Lotharingos tanto fervore turrim aſcendentes tanta fortitudine territi ſunt, ut arma ſummitterent, & dextras in ſignum pacis ſibi dari peterent. Unde factum eſt, ut Aichada Princeps eorum hoc pacto nobiſcum conveniret, ut noſter exercitus

citus omnem ſuppellectilem eorum cum auro & argento acciperet, Rex autem civitatem cum nudis Sarracenis & totam terram obtineret. Conſummata eſt hæc divina non humana victoria in ducentis milibus & quingentis viris Sarracenorum in feſto XI milium virginum.

Annus Dni. MCIL. Cunradi XII

Hyemps nivoſa & aſpera, unde & ſiligo in agris ſub profunditate nivis diu ſuffocatis deperiit. Magdeburg. Archi-Epiſcopus Fridericus & quidam alii Principes Saxoniæ Polonicis Ducibus Bolizlavo & Miſeconi in Epiphania Domini occurrentes in Cruſavvice fœdus amicitiæ cum eis inierunt, ibi etiam *Marchio Otto filius Marchionis Adalberti* ſororem Polonicorum Principum ſibi in legitimum matrimonium copulandam ſuſcepit. In media XL Eugenius Papa concilium Remis celebravit, ubi quidam ei repræſentatus eſt, qui ſpiritu praviſſimi erroris ſeductus nomen ſibi imponens ejus [eum] in Gaſconia & in finitimis regionibus ſe DEUM eſſe prædicaverat, & gentem illam ſtultiſſimam in errorem ſuum pertraxerat, quibus & erroris ſui mandata & ſcripta dederat, qui & plures Epiſcopatus deſtruxerat, & plurima religioſorum virorum clauſtra errori ſuo favere nolentium diſſipaverat. Hic in medio concilio interrogatus errorem ſuum confeſſus eſt & in cavеæ captivitatem deputatus perpetui exilii ſupplicio deputatus eſt. In eodem concilio *Magiſter Giſelbertus* [Gilbertus] ſcripta ſua contra omnes calumpniatores ſuos magnis auctoritatibus ſanctorum patrum defendit ut clericus. Eodem anno Rex Romanorum & Rex Francorum Jeroſolimam veniunt, Damaſcum obſidione vallant, ſed Jeroſolymitano Rege ope ſua eos defraudante nil dignum effecerunt. *Rodilbernus Pomeranorum Princeps*, Principibus Saxoniæ in Havelberg in æſtate occurrit, ibidemque fidem catholicam, quam ex prædicatione Bavenbergenſis Epiſcopi piæ memoriæ Ottonis dudum ſuſceperat, profeſſus eſt, & pro Chriſtiana religione ſemper defendenda & propaganda toto niſu ſe laboraturum vovit, laudavit & juravit.

Annus Dni. MCL. Cunradi XIII.

Reges ab expeditione reverſi ſunt.

Annus

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 90;Leibn. Marg. 90, Stück 1, [323] - 303
PUBLIC DOMAIN

Annus Dni. MCLI. Cunradi XIV.

A vigilia nativitatis ſancti Johannis Baptiſtæ frequenter tonitrua gravi horore plena, fulmina terribilia, tempeſtates horribiles, ymbrium, nimia inundatio aquarum, nebulæ tenebroſæ & fœtentes & ſpiſſæ, & ſecuta gravisſima peſtilentia & mortalitas tam hominum quam & pecorum & magna penuria frugum, unde & ſequenti anno ante meſſem tanta fames ſecuta eſt, quantam ante non viderant homines illius temporis. Aſſerunt enim hi qui in aſtronomia aliquid peritiæ ſe accepiſſe jactitant, illo anno Dominium Saturni fuiſſe, qui completo curſu ſuo quem XXX annis peragit, iter conſummatum reciprocans in nimia ſuperfluentia fluminum, in maxima peſtilentia & mortalitate & famis inedia nec non & aëris intemperie ſeu & aliis diverſis perturbationibus dominium ſuum exercet, hyemps aſpera & longa, & in ſequentem annum nimis producta.

Annus Dni. MCLII. Cunradi XV.

Automnus ventoſus. Obiit Colonienſis Archi-Epiſcopus Arnoldus & ſucceſſit Cancellarius Arnoldus. *Richardis Marchioniſſa*, obiit Lodevvicus de Wippera, Wernherus Epiſcopus de Monaſterio, pro quo Fridericus.

Annus Dni. MCLIII. Cunradi XVI.

In nocte circumciſionis Domini ventus calidus. Comes Lambertus obiit. Comes Hermannus de *Wincenburg* IV. Kal. Februar. fer. III. LXX occiſus eſt, & conjunx ejus Luichardis. Archi-Epiſcopus Treverenſis obiit. *Rex Conradus obiit.* Dux Fridericus in regem eligitur, in media XL communi omnium principum aſſenſu XIIX Kal. Febr. Fridericus Magadab. Archi-Epiſcopus obiit.

Annus Dni. MCLIV. Friderici I.

Fridericus Rex Saxoniam pacifice intravit. Heinricus Mogontinus Archi-Epiſcopus à legatis Domini Apoſtolici deponitur, cui ſucceſit Arnoldus Cancellarius. Item Heinricus Mindenſis Epiſcopus deponitur, cui ſucceſſit Wernherus. Item Bernhardus Hildenesheimenſis Epiſcopus ab Epiſcopatu abſolvitur & moritur, cui ſucceſſit Bruno.

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 90;Leibn. Marg. 90, Stück 1, [324] - 304
PUBLIC DOMAIN

Bruno. Eugenius Papa obiit, cui succedit Conradus qui & Anastasius. Wigboldus cum aliis multis in Fresia periit, Yrmingardis Marchionissa obiit. *Fridericus ab uxore sua separatus est coram legatis Apostolici.*

Annus Dni. MCLV. Friderici II.

Eclipsis lunæ facta est, Fridericus Rex Romam profectus est: Fridericus Rex Magdeb. pascha celebrat. Anastasio Papæ succesit Nicolaus Albanensis Episcopus qui & Adrianus.

Annus Dni. MCLVI. Friderici III.

Fridericus Rex imperiali benedictione ab Adriano Papa sublimatur, & cor onatus cum victoria & gloria magna revertitur, Sveno Rex Danorum à regni primoribus regno depellitur, cujus regnum à Knuto & Waldamaro nepotibus ipsius occupatur.

Annus Dni. MCLVII. Friderici IV.

Weremannus Trajectensis Episcopus obiit, cui succesit Godefridus. Fridericus Imperator Monasterio pascha celebravit, Conventum apud Halverstad habuit Kal. Maji. Arnoldus Colonienſis Archi-Episcopus obiit, cui succesit Fridericus. *Heinricus Dux Fresiam* hostiliter ingreditur, sed inactè revertitur. Fridericus Imperator Radisponæ conventum habuit, ubi ipso mediante Heinricus Dux Saxoniæ ducatum Bavvariæ optinuit. Heinricus Bavvaricus Marchiam terræ illius retinuit. Marchio Cunradus obiit. *Heinricus Dux Svenonem Regem Danorum regno suo restituit.*

Annus Dni. MCLVIII. Friderici V.

Brandenburch obsidetur & capitur. Fridericus Imperator Poloniam hostiliter ingreditur, Kanutus Rex à Svenone dolose interimitur, Waldomarus verò vulneratus vix evasit. Non post multum verò temporis factum est prælium inter Waldomarum & Svenonem. Svenonis pars victa corruit, ipse autem fugiens capitur & obtruncatur, Fridericus Imperator natalem Domini apud Magdeburch celebrat. *Adalbertus Marchio* causa visitandi sepulchrum Domini Jerosolimam petiit, habita curia in purif.

Annus Dni. MCLIX. Friderici VI.

Fridericus Imperator Franconford conventum habuit, paſcha verò apud Trajectum celebravit. Italiam hoſtiliter intravit. Mediolanum obſedit. Wigboldus Abbas Corbienſis *apud Græciam* mortuus eſt. Heinricus Dux Sclavaniam terram intrans cum exercitu ferro & igne devaſtat. Eodem anno tempeſtas extitit, ventus turbinis arbores immenſas radicitus evulſit, Eccleſias cum domibus ædificiisque evertit, aquarum quoque inundatio hominum multitudinem cum pecoribus extinxit : Fridericus Archi-Epiſcopus Colon. obiit.

Annus Dni. MCLX. Friderici VII.

Heinricus Dux, & cæteri Principes collecto exercitu Italiam intrant. Friderico Colonienſi Archi-Epiſcopo ſuccedit Reinoldus Cancellarius. Imperator caſtrum Grimme obſidet rebellantibus Mediolanenſibus. Adrianus Papa obiit, cui ſucceſſit Octovianus qui & Victor. *Heinricus Dux* propter multiplicandam Chriſtianitatem conſtituendi & inveſtiendi Epiſcopos in Sclavania poteſtatem à Cæſare accepit. MCLX caſtrum Grimme Imperatori traditur, traditum verò funditus exciditur. *Sophia Marchioniſſa* obiit. Arnoldus Mogontinus Archi-Epiſcopus in atrio Eccleſiæ beati Jacobi ab inimicis ſuis ejusdem urbis civibus circumventus occiditur, ipſaque Eccleſia cum omnibus ædificiis monaſterii igne comburitur. Eclipſis lunæ. Heinricus Dux terram Sclavorum hoſtiliter intravit, ferro & igne totam devaſtavit, principem eorum Niuclath qui & Nicolaus trucidavit, ipſos rebelles ſibi ſubjugavit. Odelricus Halverſtadenſis Epiſcopus deponitur, cujus in locum Gero præpoſitus ſubrogatur. Wigbodo Corbejenſi Cunradus ſucceſſit. Fridericus Imperator cum Mediolanenſibus pugnavit, vexillum beati Ambroſii auferens plurimis occiſis victoriam retinuit. Heinricus Dux Epiſcopos in Sclavania ordinatos inveſtivit, Geroldum in Aldenburch, Evermodum in Razzisburch, Bernonem in Magnopolim, qui translatus eſt in Zuarinenſem urbem.

Annus Dni. MCLXI. Friderici IIX.

Bruno Hildinisheimenſis Epiſcopus obiit, cui ſucceſſit Hermannus.

nus. Gero Halverſtadenſis Epiſcopus dignitatem ferendi pallii à Victore Papa accepit. Magna diſcordia inter Ducem Heinricum & Radisponenſem Epiſcopum.

Annus Dni. MCLXII. Friderici IX.

Eclipſis Lunæ. Mediolanum Imperatori traditur. *Fridericus Palatinus* moritur. Conventus apud Biſantium.

Annus Dni. MCLXIII. Friderici X.

Heinricus Dux caſtrum Sclavorum *Werlam* obſidens ad deditionem coëgit. Fridericus Imperator Mogontiæ conventum habuit, murum civitatis cum domibus deſtruxit, interfectores Epiſcopi quosdam vita, quosdam rebus abjudicavit. Heinricus Dux congregationem in *Lubeke* clericorum inſtituit, Eccleſiam ex lignis conſtructam in honore ſanctæ Mariæ & ſancti Nicolai dedicari fecit. Ubi pacis gratia Principes Rugianæ Inſulæ ad dedicationem venerunt.

Annus Dni. MCLXIV. Friderici * XII.

Commotio aëris nimia, turbines ventorum, fulgurum choruschationes multis in locis terribiliter apparuerunt; Sed & fluctus maris in cumulos excreſcentes omnibus circa maritima commorantibus interitum minabantur. Ab aquilone verò ventus turbinis exurgens cumulos aquarum conquaſſavit, omnia circa maritima flumina aquis redundare fecit, ex quibus innumerabiles inſulæ cum hominibus, jumentis, domibus, ædificiis, ſubſtantiis, Eccleſiis, Eccleſiarumque locis funditus erutæ ſunt vel exſtinctæ, Homines verò numerum omnino excedentes aquis ſuffocati, frigore exanimati littora fluminum cadaveribus repleverunt. Quidam etiam vel in lignis ædificiorum vel in vaſculis conſtituti in ventorum & fluctuum longè in alias regiones, terras vivi dejecti ſunt, eratque maxima miſeria gemitus & clamores audire & videre pereuntium. Hæc clandeſtina miſeria circa occcidentem & aquilonem miſerabiliter prædicatur, facta XIV Kal. Mart. Ipſo die in *Magnopoli* civitate occiſa & captivata eſt multitudo Chriſtianorum à Sclavis. Signa quædam in ſole & nubibus viſa dicuntur. Magna diſcordia inter Reinoldum Colonienſem electum & *Palatinum de Reno* propter

propter caſtrum Rineke; fruges agrorum multis in locis grandine percuſſæ. Victor Papa obiit, cui ſucceſſit Wido Cremonenſis qui & Paſchalis.

Annus Dni. MCLXV. Friderici XIII.

Honorabile monaſterium ancillarum DEI in Herſe flammis exuſtum eſt. Diſſenſio inter Regem Angliæ & Regem *Karlingiæ*, quem concitavit Reinoldus Colonienſis Archi-Epiſcopus hac de cauſa. Idem Archi-Epiſcopus functus legatione Imperatoris ad Regem Franciæ primo honorifice ab eo ſuſceptus eſt, & fere impetrata cauſa pro qua venerat à Belvacenſi Epiſcopo ſuperveniente impedita eſt, & ita Archi-Epiſcopus non ſine indignatione inactè reverſus eſt.

Annus Dni. MCLXVI. Friderici XIV.

Fulgura & tonitrua terribiliter ſævientia & crebra aquarum inundatio æſtivis meſsibus importuna, & magna puerorum mortalitas & jumentorum. Arnoldus Magdeb. Abbas felicis memoriæ terrenis exemtus, clarum ſui reliquit memoriale. Cui eodem anno ſucceſſit SIFRIDUS electus de eadem congregatione. Werra inter *Heinricum Ducem* & Wigmannum Archi-Epiſcopum & cæteros Saxoniæ Principes - - - -

Annus Dni. MCLXVII. Friderici XV.

Caſtrum Haldeslove & Neindorp deſtruitur Imperatore in Italia fortiter agente. Romani ad XL milia congregati Tuſculanum fidelem Imperatori obſidione cinxerunt in vigilia Pentecoſt. Hoc comperto Chriſtianus Magontienſis electus cum Flandrenſibus & Brabantinis acceſsit, & juxta caſtra illorum ſua caſtra metatus eſt, Romanis indignantibus & bellum cum eis committentibus. Cum jam in eo res eſſet ut terga verterent Romanis, Reinoldus Colonienſis Archi-Epiſcopus advenit Rege interim abſente & iſta ignorante, vexillo beati Petri prævio & magnis laudum vocibus ipſius inclamato nomine, tanta virtute eos aggreſſi ſunt, ut VIII milia occiderent & IV milia caperent, & cæteri ſaucii vix effugerent, inter quos ceperunt filium cujusdam Ottonis Frangepanis, quem multis pecuniis redimere volentibus non

non reddiderunt. Hæc victoria peracta est in secunda Feria Pentecostes.

Annus Dni. MCLXIIX. Friderici XVI.

Italici Principes Imperatori rebellant. Reinoldo Colonienſi Archi-Epiſcopo ſucceſſit Philippus Cancellarius.

Annus Dni. MCLXIX. Friderici XVII.

In Syria Antiochia & aliæ civitates terræ motu à fundamentis concuſſæ ſunt, quarum una terræ hiatu abſorpta ſtagnantis abyſſi faciem prætendit, Waldomarus Rex Danorum adjunctis ſibi Luiticiorum Principibus ad Rugianos profectus Deos eorum ſuccidit, & multo auro & argento de præcipuo fano ipſorum ablato umbram Chriſtianitatis eis impreſſit, quæ in brevi tam ipſius avaritia quam doctorum penuria & deſidia abolita eſt, Daniel Pragenſis Boëmiæ Epiſcopus obiit, cui ſubrogatur Fridericus, aſſumptus de Choro Magdeburgenſi.

Annus Dni. MCLXX. Friderici XVIII.

Fridericus Imperator natalem Domini Spiræ celebrat. Æſtatis fervor inſolitus adeo, ut in plerisque locis terra ſolis exuſta ardoribus multos itinerantes tam equites quam pedites in pulverea præcipitia improviſe ruentes periclitari fecerit, quam comitata eſt magna mortalitas hominum. Gerungus Miſnenſis Epiſcopus obiit, cui ſucceſſit Martinus ejusdem Canonicus Eccleſiæ. *Adalbertus Marchio obiit.*

Annus Dni. MCLXXI. Friderici XIX.

Everhardus Nienburgenſis Abbas obiit, cui ſubſtituitur SIFRIDUS Magdeburgenſis Abbas. Fridericus Imperator in nocte ſancti Martini Goslariæ curiam tenuit, in qua patrimonium *Bernhardi Comitis* filii Marchionis Adalberti quod dicitur *Plozeke* exegit, ex quo gratis [gravis] inter Imperatorem & fratres ejusdem Comitis diſſenſio orta usque in feſtum ſancti Johannis Baptiſtæ eſt dilata. Repentina mors hominum & gravis peſtilentia pecorum plurimas provincias vaſtat.

Annus Dni MCLXXII. Friderici XX.

Eclipſis Lunæ in octava Epiphaniæ, in plenilunio noctu facta inviſo

viſo modo, per IV fere horas non apparuit. Menſe Januario ingens fragor ventorum & in Februario crebra micuerunt fulmina. Lodewicus Landgravius obiit.

Annus Dni. MCLXXIII. Friderici XXI.

III Idus Februar. Nube rubea in cœlo apparente ſecuta eſt magna ſiccitas terræ, ut frugibus exarentibus plerisque in locis nec futuri ſeminis auxilium inveniretur. Proceſſit item de terra nebula craſſa, de qua concepta eſt in hominibus tuſis graviſima, ipſaque lues graviter invaluit pluribus ex ea morientibus & præcipuè prægnantibus. Mortuus eſt ex ea Lothowigus Monaſterienſis Epiſcopus.

Annus Dni. MCLXXIV. Friderici XXII.

Imperator poſt aſſumptionem ſanctæ Mariæ cum procinctu Longobardiam intrat, gentem perfidam digna animadverſione multat, tandem Alexandrinam civitatem obſidione vallat & obpugnat, & diverſa fortuna uſus nec ſuperior nec etiam inferior congreſſu invenitur, ſicque totum hiemis tempus hac obſidione conſumptum eſt. Hoc anno multa ædificia vi ventorum diruta ſunt, annoſa robora evulſa fruges habundabant, vinum deperiit.

Annus Dni. MCLXXV. Friderici XXIII.

Exacta jam ferè iſtius anni XL adverſarii Imperatoris de diver ſis civitatibus validum exercitum conglomerant & quaſi pugnaturi contra Imperatorem acies dirigunt. Cæſar hæc audiens obſidionem ſolvit & contra adverſarios imperterritus tendit. Et ecce terribilis caſtrorum acies mutata repente voluntate arma ponunt, gladios jugulis imponunt, & ſine conditione veſtigiis Imperatoris ſe proſternunt. Quos Cæſar Imperiali clementia in gratiam ſuſcipit, & ſe in Papiam civitatem recepit. Heinricus Dux cum valido exercitu Bodam fluvium tranſiens & Groningæ initium depopulationis faciens ad injuriam *Bernhardi Comitis* omnia igne domat, inter quæ & famoſum oppidum Aſcerleve conflagrat. Lapideas verò ſtructuras impulſionibus quaſſat, quaſſatas diruit & ſubvertit. Inter hæc & quædam Eccleſiæ cum ſuis cimiteriis conflagrarunt, in quibus nonnulli hominum ſimul inter-

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 90;Leibn. Marg. 90, Stück 1, [330] - 310
PUBLIC DOMAIN

interierunt. Castrum quod dicitur Helpede *à Lantgravio* capitur insidiis circumventum. Imperator omnibus Episcopis cæterisque Principibus qui secum intraverant Longobardiam redeundi dat licentiam, retentis secum militibus paucis. Longobardi itaque intelligentes Imperatorem Teutonico exercitu desolatum juramentum ruperunt, & subjectionem sponsionis & ad curiam Imperatoris statuto die venire contempserunt. Unde Imperator gravi permotus indignatione dissimulata ira, quia exercitum longè remotum tam cito congregare non potuit in Papia & in Ravenna pluribusque aliis civitatibus, quæ sibi fideles exstiterant, reliquum tempus anni illius in pace exegit.

Annus Dni. MCLXXVI. Friderici XXIV.

Imperator misit Epistolas per omnes partes regni Teutonici, Archi-Episcopis, Episcopis & Abbatibus, Ducibus, Marchionibus, Comitibus Imperiali auctoritate mandans eos venire sibi in adjutorium. Quapropter Wichmannus Magdeb. Archi-Episcopus & Philippus Colonienſis cum omnibus quos sibi attrahere poterant Episcopis & Principibus & militibus, celebrata prius domi Paschali sollempnitate, cum magna lætitia post octavam ejusdem sollempnitatis exierunt. Transcensisque jugis Alpium Longobardiam intraverunt. Imperator Papiæ positus adventu eorum cognito exivit obviam eis cum paucis & cum magno gaudio eos suscepit. Subito autem gaudium versum est in mærorem, quia audierunt Longobardos cum magna multitudine sibi occurrere & in omnibus viis quibus iter erat ad Papiam positas insidias. Imperator videns se circumvallatum ab hostibus & nusquam ad tempus declinare posse, donec Christianus Mogont. Archi-Episcopus & Marchio de monte ferrato, nec non & Papiensis cum pluribus aliis sibi fidelibus possent advenire, eligens potius honestam mortem quam inhonestam fugam, Deo se committens ipsos aggressus est, in quo certamine à paucis Teutonicis benè & acriter pugnatum est, de Teutonicis quidem militibus duo ibi corruerunt, plurimi autem captivi ducti sunt, Longobardorum magna ibi corruit multitudo, pauci ex ipsis capti sunt, Imperator ferro per eos iter faciens Papiam incolumis

lumis venit cum paucis, cæteri circumquaque diſperſi, aliqui nocte, aliqui die altera, aliqui tertia, aliqui etiam die ſeptima venerunt. Longobardi ſperantes Imperatorem occiſum, eum inter omnia corpora occiſorum diligenter quæſierunt, poſt paucos autem dies cum comperiſſent, eum incolumem Papiam adveniſſe, nec aliquem de Principibus periiſſe nec captum eſſe, ipſam quam adepti fuerant victoriam pro nichilo ducentes deteſtati ſunt. Hæc acta ſunt in Sabbatho Penteco-ſtes, quando agitur jejunium quatuor temporum. Epiſcopi Teutoniæ & Longobardiæ diſcordiam inter Alexandrum Papam & Imperatorem jam diu habitam in concordiam & pacem reducere ſtatuerunt.

Annus Dni. MCLXXVII. Friderici XXIV.

Alexander Papa Venetiis adveniens Imperatorem in claſſe manentem expectat. In vigilia ſancti Jacobi Imperator Venetiam venit, ubi diu exſpectatus & optatus à Cardinalibus & Epiſcopis & nobilibus & populi infinita multitudine honeſtiſſimè ſuſcipitur & ante monaſterium ſancti Marci cum Papa in oſculo pacis, in concordiam & pacem firmam rediit. Chriſtianum Moguntinum Epiſcopum, quem titulo ſuperpoſitionis notaverat, in Epiſcopatu confirmat.

Annus Dni. MCLXXIIX. Friderici XXVI.

Alexander Papa à Mogontino & Wormatienſe pluribusque aliis Epiſcopis & nobilibus viris, quos Imperator cum eo direxit, Romam reductus honeſtè ſuſcipitur. Inter Olricum Halverſtad. & Ducem Heinricum grandis controverſia naſcitur. Urbem, quæ dicitur Nova, Epiſcopus juxta Halberſtat exſtruxit. Alexander Papa generale concilium omnibus Eccleſiarum prælatis Apoſtolica autoritate Romæ indixit.

Annus Dni. MCLXXIX. Friderici XXVII.

Celebratum eſt concilium generale à Domino Papa Romæ in medio quadrageſimæ, ubi aderant Patriarchæ tres, Epiſcopi, Abbates & Prælati Eccleſiarum pene totius orbis, cum innumerabili fidelium multitudine, in quo de ordinatis in ſchiſmate, & diverſa, quæ pro temporis neceſsitate & corrigenda & diſpenſanda fuerunt, ordinavit. Imperator curiam habiturus, Magdeburch in Feſto ſancti Johannis venit,

& die

et die Apostolorum Petri & Pauli cum uxore *& filio Rege* coronatus processit. Hyems gravis ipso anno ipsum etiam vernum tempus occupavit, ita ut XIII Kal. Julii flores in arboribus primum apparerent. In Septembri à militibus Ducis Heinrici Halberstad. civitas capitur, & plurimis occisis & igne consumptis, tota civitas & domus major, & omnes pene Ecclesiæ cum civitate igne consumptæ sunt, Episcopus Olricus captivus ducitur. Magdeburgensis Archi-Episcopus cum principibus orientis, & Colonienſe Archi-Episcopo oppidum Haldesleve obsederunt, ubi discordia inter eos orta ab obsidione inacti redierunt; Heinricus Dux oppidum Calve & fines Episcopii Magdeburgensis igne concremavit.

[Hîc desunt aliquot anni usque ad MCLXXXVI.]

Annus Dni. MCLXXXVI. Friderici XXXIV.

Udo Cicensis Episcopus obiit, cui successit Bertholdus Nuenburgensis Ecclesiæ Canonicus. Imperator à Longobardia reversus malam voluntatem Episcoporum Teutonicæ terræ pene omnium contra se, sed occultam comperit, præcipue Colonienſis, quem Urbanus Papa litteris suis & nunciis inter eos concitaverat. Unde Imperator convocatis eis Wormatiæ machinationem contra Imperium eis imponit. Sed illi negantes cum juramento se præter Mogontinum à suspicione absolverunt, Colonienſis autem nec venit, nec negavit; super quibus Imperator graviter motus curiam ei Strazburg super expurgatione instituit.

Annus Dni. MCLXXXVII. Friderici XXXV.

Imperator pro pace formanda inter Urbanum Papam & Imperium legatos Wirziburg. Episcopum & Babenberg., & Abbatem Herfveldensem Veronam misit, qui bene pro sperata pace in formam acta legatione Imperatori retulerunt in litteris. Imperator cum Rege Franciæ missis utrinque nunciis in multa amicitia fœderati sunt. Res omni Christianitati lamentabilis orientali accidit Ecclesiæ. Siquidem Rex Saladinus, Rex trium regnorum Damasci, Ægypti, & Syriæ cum multitudine

titudine infinita Paganorum terram Jeroſolymorum per fraudem quorundam Principum Chriſtianorum infra octavam Apoſtolorum Petri & Pauli intravit, cui occurrit Patriarcha & Rex Jeruſalem cum templariis & hoſpitalariis militibus & aliis Epiſcopis de terra & omni exercitu Chriſtianorum crucem Dominicam habentes in Comitatu, ſed Domino Deo Apoſtolo ſuo avertente faciem & in ira miſericordiæ non recordato Chriſtiani victi ſunt, crux Dominica capta, Patriarcha, Rex, & Epiſcopi multi occiſi cum omni exercitu : Saladinus Victor totam terram cum civitatibus & caſtellis invaſit & furore Barbarico ſæviens Eccleſias Clericorum Monachorum, Virginum martirio coronatis, quæ erant in eis, deſtruxit. Solam civitatem Tirum Conradus Comes filius Marchionis de Monteferrato de Conſtantinopoli veniens, ſe Deo mittente ſalvavit. His ita geſtis Epiſcopus Jeroſolymitanus nuntios & litteras de his miſit quærens conſilium & auxilium. Proinde Papa orationes & jejunia per Eccleſias inſtituens, Imperatori & cæteris Principibus & fidelibus pro adjutorio illius terræ Heinricum Albanenſem Epiſcopum Cardinalem miſit trans Alpes. Eclipſis ſolis facta eſt. Imperator pro pace firmanda nuncios, quos pridem Urbano Papæ miſit. Urbanus Papa apud Ferrariam migravit, cui Gregorius ſubſtituitur prius Cancellarius. Ipſe legatione Imperatoris optime ſuſcepta pacem filius pacis & vere Iſrahelita, in quo dolus non erat, accepit & firmavit. Gregorius Papa Imperatori & Principibus pro adjutorio terræ Jheruſalem ſcripſit, & quia vita ejus mundus non erat dignus, apud Piſas in fata conceſſit, cui ſubſtituitur Clemens prius Præneſtinus Epiſcopus.

Annus Dni. MCLXXXVIII. Friderici XXXVI.

Imperator pro legatione Apoſtolica de adjutorio orientalis Eccleſiæ omnibus Principibus Teutonicæ terræ & cæteris fidelibus curiam in medio quadrageſimæ Mogontiæ inſtituit. Ad quam Colonienſis Epiſcopus multis ante temporibus cum Imperatore de innocentia ſua tractationibus habitis in gratiam Imperatoris omni conditione remota

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 90;Leibn. Marg. 90, Stück 1, [334] - 314
PUBLIC DOMAIN

mota se & civitatem suam coram omni Imperio dedit. Imperator inspirante DEO in præsentia Albanensis Legati & totius Imperii in remissionem omnium peccatorum crucem accepit, deinde filius ejus Dux Sveviæ, Landgravius & multi Episcopi, Duces & Comites virique nobiles, milites & viri militares crucem acceperunt, ad eam Curiam IV milia virorum electorum, & expeditio in annum integrum dilata, in die sancti Georgii Ratisponæ statuta est. Magdeb. civitas judicio DEI occulto, tamen justo in vigilia Pentecostes pene tota exusta est. Ecclesia sanctæ Mariæ & Ecclesia sancti Sebastiani martyris cum Parochiis & Capellis XII exustæ sunt.

EXPLICIT.



GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK

Signatur: Leibn. Marg. 90;Leibn. Marg. 90, Stück 1, [336] - -

PUBLIC DOMAIN

JOHANNIS VITO DURANI

CHRONICON,

Quo ſuorum ac paulo ſuperiorum temporum res geſtas deſcribit.

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 90;Leibn. Marg. 90, Stück 1, [337] - -
PUBLIC DOMAIN



GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 90;Leibn. Marg. 90, Stück 1, [338] - -
PUBLIC DOMAIN

Procœmium.

CUm rerum geſtarum in præteritis temporibus & retroactis certa cognitio & fidelis conſcriptio poſteris, per continuas ſucceſſiones ſibi ſuccedentibus, non paucam imo multam conferat utilitatem, idcirco ego *Johannes ortus de oppido Wintertburn, fratrum minorum minimus*, decrevi ſcribere rudi tamen & inchoato ſermone, cum falaratis & pompaticis verbis loquendi peritiam & eloquentiam non habeam, *acta & geſta meorum temporum & paulò ante habita*, non ſemper ſecundùm debitum ordinem, ſed ſecundùm, quæ mihi occurrerunt, ſummatim, interdum & curtatim, quandoque ſingularius & diffuſius annotare.

Quæ autem in principio præſentis operis ſcripturus ſum, ad majorem perfectionem ejus faciendam, partim ex quibusdam Chronicis antè à me perlectis, partim ex relatione hominum ipſa ſcripta me atteſtantium & affirmantium hæc compaginavi.

Quæ verò poſthæc per totum opus ponenda cenſui, prout viſu proprio vel auditu didici, vel communis & fama celebris me edocuit, diligenter conſcribam.

Novitatem & varietatem inſuper hiſtoriarum ſcribendarum ab initio usque ad finem in margine libri hujus per paragraphum deſignabo, & ſi quando me contingat in proſecutione ipſarum aliqualiter exorbitare, ac metas plenæ meræque veritatis excedere, vel incautè, vel diminutè, vel ſuperfluè, ſeu præpoſtero procedere ordine, vel ab aliis, qui forte eorundem etiam temporum monumenta reliquerunt, diſcrepare, diſertus teſtor, ſi placet corrigat, ut meæ fictioni vel temeritati

non

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 90;Leibn. Marg. 90, Stück 1, [339] - 3
PUBLIC DOMAIN

non imponat, ſed potius meæ ignorantiæ, cùm melius non intellexerim, aut in memoria non retinuerim, condoneſcat. Summos verò Pontifices & Imperatores contemporaneos *non alternatim more quorundam hiſtericorum,* ſed mixtim, prout mihi expedire in proceſſu videbitur, collocabo.

Exordium autem narrationis meæ aſſumere cogitavi ab Innocentio Tertio illius nominis Papa, & à Friderico Imperatore Secundo hujus nominis, *qui non longè meæ meorumq; progenitorum tempora anteceſſerunt.* Quamvis autem de plurium partium geſtis ſcripturus ſim, præſertim Alemannus cùm ſim, de Alemanniæ partibus. * *

Innocentius verò tertius fuit vir eruditus valdè & plurimùm eloquens, ſedit annos XXII, dies .... Hic opera multa famoſa fecit, & libros compoſuit. Natus fuit de nobilibus Romanis : Sub eo cœpit ordo Teutonicæ domus oriri in Auone.

In hujus tempore capta eſt à Francis Conſtantinopolis & à Venetis. Amyrabolynus Sarracenorum cum innumerabili multitudine contra Hiſpanos veniens confuſus ad partes ſuas reverſus eſt. Hic Innocentius Papa in Lateranenſi Baſilico generale concilium celebravit pro ſubſidio terræ ſanctæ, & pro ſtatu terræ utili. In quo multas conſtitutiones edidit, etiam agnus Dei, orationes in Miſſa fieri inſtituit, pro terra ſancta videlicet pſalmum; Deus venerunt Gentes &c. cum collecta, Deus qui mirabili providentia; & cum his Abbatis Joachimi libellum, contra quem Magiſter Petrus Lombardus librum compoſuit, damnavit. Et Almarici doctrinam, ſicut habetur in Decretali, damnamus.

Hujus tempore cœperunt duo ordines, ſcilicet Prædicatorum & Minorum. Prædicatorum incœpit beatus Dominicus in Tholoſanis. Minorum initiavit ſanctus Franciſcus prope civitatem Aſſinatem.

Prædicatorum ordo inchoatus fuit Anno 1216. Pontificatus Papæ Anno VI. Sed Fratrum Minorum Anno Domini 1206. Pontificatus Papæ Anno XIV.

Iſte Papa ſicut Alexander tertius ſententiam interdicti in perſonas & loca conſtituit.

Hic

Hic etiam canonizavit beatum Thomam Episcopum Cantuariensem & Martyrem; Et sanctam Kunigundam virginem, scilicet Henrici Imperatoris sponsam.

Hic Papa declaravit, quòd Principes Teutoniæ jus habeant in eligendo Regem & promovendo ut habetur, Extra de electione Venerabilis & promovendo extra.

In Perusio obiit & sepultus ibidem.

Iste Papa Othonem de Brunswick coronavit in Imperatorem, & post eundem excommunicavit, suscitavitque illi adversarium Fridericum filium Henrici Imperatoris. Ratio autem movens Papam ad hoc faciendum fuit hæc videlicet. Quòd Henricus per venenum noviter extinctus contra Ecclesiam Romanam in vita sua tyrannidem exercuit. Ideo eo mortuo Papa iste, ne Frater ejus Philippus Francus, Rex Alemaniæ, in regnum schismate promoveretur, se opposuit, & Othoni adhæsit, & eum Aquisgrani in Regem Alemanniæ fecit coronari. Deinde eum in Imperatorem coronavit, ut & jura Ecclesiæ servaret, ab eo juramentum exegit, qui statim ipsa die contra juramentum venit & fecit, nec non Romanæ Ecclesiæ terras fecit spoliari, unde Papa eum excommunicavit & ab Imperio deposuit, & Fridericum prædictum Henrici filium contra eum erexit, & ipsum ad sceptrum regni sublimavit. Sic Otho filius Henrici Ducis Bavariæ & Saxonum imperium adeptus, regnavit annis XI & usque ad mortem fuit excommunicatus. Cùm in mortis articulo à Prælatis absolutus obiit, sepultus in Braunswik.

Fridericus verò secundus hujus nominis sæpè dictus, de propagatione Ducum Sveviæ imperium assecutus est, & regnavit annis XXX.

Hic Fridericus & sui prædecessores progenitores oriundi de Svevia per multa annorum curricula sine interruptione imperii gubernacula tenuere.

Honorius III defuncto Innocentio III natione Romanus sedit annos X. Hic confirmavit ordinem Fratrum Prædicatorum Anno Domini 1216 & sequenti anno ordinem fratrum Minorum. Hic Papa Fridericum Regem Siciliæ coronavit & consecravit Romæ in Imperatorem, sed tandem

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 90;Leibn. Marg. 90, Stück 1, [341] - 5
PUBLIC DOMAIN

tandem ipſum ſibi rebellem & Romanæ Eccleſiæ adverſarium comperiens anathematizavit, atque Barones ab ejus fidelitate abſolvit. Hujus tempore Damiatam Chriſtiani ceperunt, ſed Sarraceni fortuito caſu, contingenter eam poſtea recuperarunt.

Hic Papa multas conſtitutiones edidit & Decretales compilavit.

Ejus tempore Engelbertus Colonienſis Archi-Epiſcopus, occiſus à Friderico de Iſenburg, qui in ultionem ſanguinis in Colonia comite judicialem ſententiam currifragio miſerè interiit.

Iſte Papa ſanctitate & virtutibus plenus feliciter obiit, ſepultus Romæ ad Sanctam Mariam Anno 1230. Beatus Franciſcus continens in aëre Seraphim in cruce ex tunc in palmis latere & pedibus effigiem plagarum Chriſti tulit usque ad felicem exitum ſuum, multis utriusque ſexus videntibus illa in eo ſtigmata.

Defuncto Honorio ſedit GREGORIUS IX annis XVI, natione Campanus. Hic canonizavit Bononiæ beatum Dominicum, item beatum Franciſcum, qui ordinem ſuum incepit ſub Innocentio, rurſumque ſub Honorio perfecit glorioſum, ſuccedens his Gregorius magnificavit amplius miraculis famoſum. Hic Papa canonizavit de ordine fratrum minorum beatum Antonium Paduæ Patronum, item beatam Elizabeth relictam Domini Ludovici Landgravii Thuringiæ.

Item excommunicavit Fridericum Imperatorem, ſententiando, quam ſuus prædeceſſor Honorius contra eum fulminaverat, roborando, objiciens ſibi multa mala & conſtituit ſententiam interdicti; nam tertius hanc pœnam Eccleſiæ introduxit.

Hic Papa ſecum habuit Prædicatores pro ſecretariis ſuis, & per fratrem Raymundum ex pluribus voluminibus Decretalium unum volumen compilavit dividens in V libros. Huic Papæ beatus Franciſcus prophetico Spiritu prædixit, futurum Papam eſſe.

Item duos ordines confirmavit, quos beatus Franciſcus ordinaverat. Unum Dominarum ſanctimonialium ſanctæ Claræ: Unum pœnitentium ſexum utrumque ſcilicet virorum & mulierum capientem.

Item

Item confirmavit ordinem de Pœnitentia nuncupatum scilicet Mariæ Magdalenæ.

Hic Papa, cùm ab Imperatore Friderico, qui tunc ex magna parte patrimonium Ecclesiæ occupaverat, in urbe obsideretur, videns penè omnes Romanos per pecuniam corruptos esse, accipiens capita Apostolorum & processionem à Laterano usque ad sanctum Petrum faciens, animos Romanorum sic revocavit, ut ferè omnes contra Imperatorem cruce signarentur, quod Imperator, qui jam se credebat intraturum urbem, audiens, timens longè recessit ab urbe.

Item Anno Domini 1241. peregrina militia Barbarorum, gens ferocissima, cultibus idolorum dedita, *Tartari*, Ungariam & Poloniam invaserunt & multa millia hominum occiderunt: Contra quos crucem fecit Papa prædicari, similiter contra * Stenges, de quibus 5030 in ore gladii occisi sunt.

Item ut jam dictum est, quoniam stragem memoratam Tartari commiserunt in Ungaria & Polonia, ibique Dominos interfecerunt, quo facto tanta penuria subsecuta est in Ungaria, quod matres suos pueros manducarent, & pro farina quodam pulvere uterentur homines.

Item in Burgundia mons magnus ad alios montes longè translatus est.

Hujus etiam temporibus quidam Judæus in Hispania volens ampliare vineam, quoddam saxum amovit, in cujus spelunca cavata reperit tabulam continentem ab Adamo duplicem mundum, & in ultimo Christum nasciturum, & humanum genus redempturum, & se inveniendum tempore judicis tunc regnantis in Hispania, propter quod Judæus ad fidem Catholicam est conversus.

Gregorius IX demum multis pressus calamitatibus feliciter obiit, sepultus Romæ in Vaticano. Hic Papa Cœlestino successori suo, cùm adhuc foret Cardinalis, prædixit, quòd post obitum suum sessurus esset in sede Apostolica.

Anno Domini 1243 Cœlestinus Papa sedit dies 16. Cùm esset Cardinalis & Episcopus, negotia pauperum Clericorum frequenter promovit

movit apud Papam Gregorium IX. Cœleſtino hoc quarto Papâ defuncto feliciter, ceſſavit Epiſcopatus ferè duobus annis, & cùm non eſſent niſi novem Cardinales, in electione Papæ concordare non poterant, & hoc in periculum totius Eccleſiæ.

Cœleſtino quarto ſucceſſit INNOCENTIUS IV natione Januenſis, ſedit annis duodecim.

Hic canonizavit beatum Petrum Martyrem de ordine Fratrum Prædicatorum, occiſum ab Hæreticis apud Mediolanum; Inquiſitor enim erat hæreticæ pravitatis, & cùm una dierum Cumis Mediolanum pergeret pro inquirendis hæreticis, ſatelles Diaboli, nuntius hæreticorum loricatus ei obvians venerandum caput ejus impreſſis vulneribus ſauciavit & Chriſti Martyrium fecit.

Iſte Papa dedit Principibus Teutoniæ poteſtatem liberè eligendi Regem Romanorum.

Iſte Papa contra Fratres Minores & Prædicatores iniquas conſtitutiones edidit, quas poſtea ſucceſſores ſui retractaverunt. Hic in Lugduno celebrans concilium, Fridericum Imperatorem propter crimina ſua omni honore deſtituit, ipſumque condemnavit & privavit imperio ſuo, procuravitque Landgravium Thuringiæ in Regem Alimanniæ eligi, & mortuo eo Comitem Hollandiæ.

Hujus Friderici condemnatio & ejus à regno depoſitio patet in VI Decretalium capitulo incipiente ad Apoſtolicæ dignitatis & infra . . . . . guerrarum commotio Titulo, de ſententia & re judicata.

Hic Fridericus primò optimas leges pro libertate Eccleſiæ & contra hæreticos dedit: Supra multos Prædeceſſores ſuos divitiis & gloria abundavit, ſed ei in ſuperbia abuſus fuit, nam tyrannidem contra Eccleſiam exercuit: quamvis enim ab infantia per Eccleſiam tanquam per matrem fuiſſet educatus, non tamen ipſam ut matrem fovit, ſed tanquam novercam, quantum potuit, laniavit, & ideo in Concilio Lugdunenſi convocato ab Innocentio IV, ut dictum eſt, Imperiali nomine & dignitate ſpoliatus eſt. Cauſas autem principales hujus depoſitionis in prædicto concilio promulgavit, ſcilicet perjurium, pacis violatio reformatæ

matæ frequens, duorum Cardinalium Romanæ Ecclesiæ captivatio, multorum Prælatorum submersio, venientium ad Concilium quod Papa Gregorius IX Romæ duxerat convocandum, quod & ipse Imperator convocari, Prælatos ab Ecclesiæ regimine destituit, sacrilegium commisit, nam cruces aureas, thuribula pretiosa, calices, pannos sericos & Ecclesiarum thesauros diripuit, Clericos angariis & parangariis afflixit, qui non solum tradebantur ad judicia secularia, sed & cogebantur subire duella, incarcerabantur, decollabantur, suspendebantur in patibulum in opprobrium ordinis Clericalis. De hæresi quoque suspectus habebatur. Nam postquam Gregorius Papa IX ipsum anathematis vinculo innodavit, & post captionem Cardinalium, Prælatorum & Clericorum, ad sedem Apostolicam venientium, claves Ecclesiæ contempsit, sibi faciens celebrari, vel potius quantum in eo fuit prophanari divina & sententias Gregorii Papæ IX, scripsit vel allegavit non vereri, & eos coëgit non servari. Præterea conjunctus amicitia detestabili Saracenorum nuntios & muneratorum hilaritate & honorificenter excepit, & munera eis pluries destinavit, ritus eorum amplectens, illos quotidie obsequiis secum tenuit. Existens quoque ipse in partibus transmarinis facta compositione *quædam cum Soldano Machometi nomine, in templo Hierosolymis diebus & noctibus proclamari permisit.* Bachario Regi schismatico inimico Dei & Ecclesiæ solemniter excommunicato filiam suam tradidit in uxorem. Ducem Bavariæ fecit occidi per Assisinos, nulla hospitalia nec claustra, nec Ecclesias construxit, sed destruxit, religiosas personas jugiter attrivit, manum, sicut decet Principem, ad pauperes non extendit: Possessiones Romanæ Ecclesiæ sibi subjugavit, scilicet Marchiam Anchonitanam, Ducatum Spoletanum, Beneventum civitatem nobilem in Apulia, cujus Archi-Episcopus habet sub se XXIV suffraganeos, diruit & præoccupavit præterea alias civitates Thusciæ, hâc de re promulgavit Innocentius Papa in decreto Concilii Lugdunensis.

Hic Fridericus, ut quidam ajunt, cum suis exercitibus, & etiam Papæ copiosis, id instanter ab eo fieri postulantis ad debellandum Soldanum

num Regem Ægypti, qui Hieroſolymam cum Chriſti ſepulchro dudum Chriſticolis per vim abſtulerat, dum ſemel transfretaſſet,& in proximo die cum ipſo præclarum certamen committere decreviſſet, ab eo celeriter revocatus eſt à ſuo propoſito. Nam ſibi ſignificavit, quod fruſtra ſecum bellum inire diſponeret, cum Papam ſuſpicatum cooperatorem ſuum haberet adverſarium. Dicebat enim, ego accepi Epiſtolas Summi Pontificis certiſſimas, ſuis exercitibus propriis directas & etiam ſibi delatas, continentes hoc mandatum, videlicet quod quàm citò nos aggredi ad præliandum contingeret, quod juncti meo populo pro me & ipſo contra te & tuum populum ad proſternendum te viriliter dimicarent. Ergo nullo modo expedit, ut nobis bellum inferas, ne in manus noſtras corruas miſerabiliter cruciandus. His auditis Cæſar territus cum Soldano pacem compoſuit, & mox furore magno ſuccenſus ad perſequendum Papam iter rediturus arripuit, quod Papa audiens Romam reliquit, & in Avenionem ſeceſſit, ut ſub protectione illic Regis Franciæ tutò poſſet iram ejus effugere pertimeſcendam. Et ſic per relatores memoratos ſedes Papalis in Avinionem translata eſt, & illic ſub multis Apoſtolicis per multorum curricula annorum perduravit.

Hic Imperator iniquitatem in excelſo eſt loquutus ponens in cœlo os ſuum. Nam dixit audiente Henrico Landgravio, tres ſeduxerunt totum mundum, Moſes Judæos, Chriſtus Chriſtianos & Mahometus Barbaros, quamobrem ſi Principes imperii inſtitutioni meæ aſſentirent, ego utique multò meliorem modum vivendi & credendi cunctis nationibus ordinare vellem.

Henricus Landgravius electus in Regem Alimanniæ in odium Friderici, Conradinum filium ejus apud Francfurt cum exercitu ſuo in die ſancti Oſwaldi vicit, confudit & ignominiosè fugavit. Et ipſe Henricus in eodem anno Rex exiſtens in profluvio ventris interiit, & ſepultus eſt in Iſnaco, & ſine hærede defunctus eſt, quamvis feliciter plurima bella ſuperaverat.

WILHELMUS Comes Hollandiæ ſimiliter contra Fridericum electus eſt, regnans annis tribus à Friſonibus occiſus eſt.

Hic

Hic Imperator, quemadmodum fertur, à quibusdam cum magno exercitu & copioso tam Svevorum quàm aliarum nationum ad partes infidelium transfretavit, ubi Soldanum per bellum atrocissimum, quòd sibi intulerat, debellavit, eum autem pro triumpho accepto tam glorioso ab infidelibus, Domino cœli, à quo habuit, gratiarum actiones relaturus Monasterium intrarat Domini Jerosolomitarum, & victimas ac pacifica hostiarum munera unà cum optimatibus & primatibus suis & universa Catholicorum turma in templo Christi obtulisset, videns Templariorum & hospitalariorum cuneos non ad dandam Deo gloriam & laudem, præconia pro victoria tam solenni & laude digna & mirifica, ab omnium Dominatore data, paratos & intentos : sed æstu avaritiæ succensos, non posse concordare, in tam pacifica divisione ac æquali possessione, vel perceptione libaminum vel oblationum pretiosarum, inæstimabilium in Basilica prætaxata, cui præfuerunt, ut asseritur ad honorem & Dei reverentiam oblatorum, sed magis injuriosè discceptare, nec non ad vindicandas & usurpandas sibi oblationes, certatim ruere ac hostiliter invadere, esse studiosos : scandalizatus & offensus nimis in fide orthodoxâ fuit in tantum, quod verba perfidiæ, blasphemiæ & erroris multa protulit, quibus fidei detraxit, & ejus salutarem ac firmam veritatem penitus annulavit, & sic id factum à justitiæ tramite alienum, cùm aliàs in fide claudicaverit, sibi non modicum fomentum hæreticæ pravitatis ministravit. Unde agens in partibus, ut suspicor, transmarinis, triumpho jam potito, secundum opinionem istorum ac relationem astruitur, quadam dierum ipsum in Pompa præcellenti stipatum, undique corona procerum, missarum solenniis interfuisse, & ibidem à Soldano vel Principe quodam alio infideli, inquisitum ab eo fuisse : Quid in manibus sacerdotis elevaretur & cum adoratione tam reverenda ab eo & cunctis Christicolis tam diligenter conspicaretur, tale dicitur ei dedisse responsum. Sacerdotes nostri fabulantur id quod sursum erigitur fore DEUM nostrum. Ad quod ille, si fuisset DEUS ille tantæ magnitudinis ut mons maximus, dudum à presbyteris vestris ipsum quotidiè in Missa manducantibus, consumptus fore potuisset.

Quod dixi jam ultimò, de ingreſſu Cæſaris Friderici ad terram ſanctam, per conflictum habitum cum Soldano ſecundùm aſſertionem quorundam, quod minus veriſimile ſecundum prius enarrata eſt, imò minus ad comprobandum, ſed tenendum eſt, quod per pacta quædam compoſitionis vel treugarum intraverit.

Quidam etiam de eo referunt, quod ad tantæ dementiæ foveam deciderit, quod ad hoc totis vellet niti viribus, ut ritus ſalutares hoſtiæ ſeu Euchariſtiæ de medio tolleretur, & huic cogitatui maligniſſimo, judicio meo, incitamentum præſtitit, prædicti Principis Pagani venenoſum verbum & plenum veſania dicentis ad eum, niſi hanc ſuperſtitionem peſſimam abdicaret, tantam gloriam ſuam deturparat.

Fertur & de ipſo, dum tranſiret quadam die cum exercitu ſuo campum propè fluvium Rhenum, plenum ſegetibus uberibus ſpeltarum, quod dixerit, impiè & perversè ſentiens de altiſſimo Sacramento Corporis Chriſti. O quot dii ex hoc frumento ſuo tempore conficientur.

Quidam quoque ajunt, eum per anni curriculum quotidie jejunaſſe, niſi ſemel in die comedendo, non intuitu divinæ retributionis, ſed corporalis conſervandæ causâ ſanitatis. Fertur inſuper, quod frequenter balneis uſus fuerit Deo dicatis, per hoc patet, quod præcepta Dei & feſta, & Sacramenta Eccleſiæ irrita cenſuit & inania.

Nihilominus aliqui teſtantur & affirmant de Friderico Imperatore, dum aliquo tempore in partibus remotis ageret, quod miſerit pro conſorte ſua Imperatrice, quæ dum Mediolanum urbem tranſierat, à civibus ibidem putantibus ipſum forte mortuum, vel aliàs in ſtatu quodam impoſſibilitatis redeundi, poſitum eſſe, in odium & contemptum ipſius turpiter tractaverunt. Nam iſtam veſtibus detractis nudam ut in die nativitatis ſuæ ſtatuentes, poſterioribus aſinæ impoſuerunt, & publicè coram univerſo populo ludibrio ignominiæ & extremæ confuſionum tradentes, quia per * ypſima imò quaſi ſcortum vel centonem abjecerunt: quod Imperator intelligens, & ab hoc ad furorem inæſtimabilem accenſus, in reverſione ſua poſtea acerbiſſimè vindicavit. Nam civi-

civitatem cum grandi exercitu obsedit, & tam graviter & multipliciter afflixit, tandem cum eam cepisset, ac multum sanguinem effudisset hostium, & in ultionem injuriæ uxori suæ irrogatæ omnes cives dirisimis suppliciis absumere disponeret, difficillimè placatus factus est: Nam exteri cives perterriti res & corpora sibi supplicisimè subjecerunt, & emendam dignam cum humilitate profundissimam subdiderunt.

Fertur præterea de ipso, quòd dum eum quidam Comes Sueviæ quadam vice offendisse debuisset, & ob hoc sibi accusatum, persequi & infestare graviter cœpisset, & hoc Comes ultra ferre pertimuisset, amicos & consanguineos suos congregavit, & cum illis Cæsarem adiens, & sufficienter se à sibi falsò impositis expurgans, ipsum placavit & ad sui amicitiam gratam flexit. Cui dum postea in quodam pomerio revernetiam decentem exhibuisset & Imperator cum omnibus sibi cooperantibus & cohabitantibus illic deliciis, solatiis ac gaudiis operam daret, cifum pretiosum optimo vino repletum cum salvia ex incuria & negligentia non coopertum locatum in gramine, bufo grandis subintravit, quem dum prædictus Comes nescius de hoc Imperatori porrexisset, & cifum ori applicuisset, bufo ore distorto & aperto contra ipsum caput erexit, de quo nimis perterritus, de internecione Comitem suspectum habuit, quod timens Comes totus stupefactus in argumentum suæ innocentiæ bufonem illico discerpebat, & coxam unam ejus mittens in os suum comedit, quod dum Imperator illæsum in hoc pertransire conspiceret, eum inculpabilem & alienum à crimine recognoscens, sibi pro suis meritis mox Comitatum donavit.

Insuper fertur de eo, quod dum esset in sede Apostolica, mulctione anathematis percussus propter suam contumaciam & rebellionem, & cunctus Clerus tam Secularis quàm Religiosus arctatus per summum Pontificem ad pronuntiandum hoc distinctè teneretur, & medio tempore contingeret, eum cum magno comitatu quandam (ut puto) Sueviæ civitatem ingredi & ab universo populo ibidem sibi obviam procedente solenniter esse susceptum, quidam de Fratribus Minoribus

zelo fidei animatus, & anhelans palmam Martyrii attingere, ſibi etiam juxta portam introëundam occurſum dedit, & Spiritu DEI fortiter ſuper eo irruente, coram tota multitudine habenas equi Imperatoris apprehendens, ipſum figere greſſum coëgit, & aperta voce, erecto vultu ipſum hæreticum proclamavit, quod dum ſui ſatellites eum occidendo vel ad minus fuſtigando vindicare vellent, ab ipſo ceſſare cohibiti ſunt & refrænati. Dicebat enim, iſte per me vellet martyrizari, ſed certè per me ſuum propoſitum ferventisſimum nullatenus aſſequetur, & ſic permiſſus eſt illæſus abire.

Tempore illo, quo fuit anathematizatus Clerus & omnes Religioſi de civitate Thuricenſi expulſi præter fratres minores, qui in manu forti retenti ſunt & protecti. Nam propter diſſenſionem Papæ & Imperatoris ſchiſma grande fuit in Clero : Quidam enim Papæ, quidam Imperatori adſtabant : Tempeſtas itaque ferociſſimæ perſecutionis in Clero ſæviebat illis in temporibus : Tunc Fratres Prædicatores de conventu Thuricenſi ſe receperunt in monte ſancto ad tempus extra muros oppidi *Winthertur* ſito.

Fridericus Imperator quondam ſic anathematizatus, & Imperialis honoris apice privatus, cum Parmam in obſidione cingeret, victus in Apuliam rediit & Anno Domini cIↃ CCLII veneno extinctus eſt, & in die ſanctæ Luciæ virginis & Martyris ſepultus apud Fodiam tam occultè, quod multi per annos XL vadiabant eum vivere, venturum in proximo in manu robuſta : Alii famant, quod ad exhortationem ſuorum Aſtronomorum Europam reliquerit, & ad partes terræ longinquiſſimas per mare & per terram cum ſuis familiaribus & ſervitialibus dudum ante mortem ſuam devenerit, ne mala ſævisſima incurreret ſibi imminentia Aſtrologorum ſuorum in aſtris certam per cognitionem, ſi remaneret, qui recedens ultra non apparuit in terra.

Poſt mortem Patris filius ſuus Rex Conradinus, cujus mentio ſed ſiniſtra habetur in VI Decretalium capitulo incipiente Fundamento, Titulo de Electione, poſt breve tempus miſerè apud Patrem mortuus eſt, quemadmodum infra dicetur.

Iſtē

Iſte Rex per Bregantiam Italiam devenit, & in Ravenspurg, antequam iter arriperet, longam contraxit moram, nec ſe ad prælia diſpoſuit, quietem enim quæſivit, & de hoc à vulgo ignominiam multam ſuſcepit; nam de eo carmina prava decantarunt.

Fertur quoque de eo, quod ante introitum ſuum in Italiam, unâ die mater aſſurrexit, & eam debito aliàs honore, ſicut decuit, ſuam magnificentiam proſecutus eſt. In craſtino verò dum comperiſſet, quòd Dominum de Tyrol in maritum traduxiſſet, commotus nimis & ultra, quod dici posſit, conſternatus eſt, honorem debitum & ante exhibitum ſubtraxit, & nulla reverentiæ indicia demonſtravit : Quod admirans mater & moleſtè ferens, & cauſam ſciſcitans, ab eo reſponſum ejus habuit tale : Tibi heri adhuc aſſurrexi tanquam Imperatrici Romanorum, ſed hodie tibi degeneranti tuam illuſtrem & præcellentem ſtirpem & Regiam honorificentiam contrahendo matrimonium cum viro longè te minore, teque minimè decentem, Ego Rex & Filius Imperatoris nego & in perpetuum recuſabo.

Hic Rex dum vellet intrare Italiam, congregavit exercitum copioſum & fortem pugnatorum & expeditorum ad prælium, ut fertur, de regno Alimanniæ, & profectus eſt in Italiam, ubi dum Romæ & alibi honorificè ſuſceptus & more Regio pertractatus in Apuliam properavit. Sed cythara ſua verſa eſt in luctum & organum ſuum in vocem flentium, nam dolo ipſe ſuique circumventi & irretiti, capti ſunt, & capitum abſciſsione deleti. Secundùm quosdam verò propter avaritiam ſuam nimiam interierunt : Qui dicunt ipſos quandam civitatem obſediſſe, quam cùm jam ferè cepiſſent, & de inimicis triumphare debuiſſent, ipſos concludendo, occidendo vel captivando. Nimis præſumentes de ſe adverſarios conglobatos ad tuendum ſe & ſua in civitate parvi pendebant, prædam, catervatim inſequendo, quod hoſtes intranei, jam deſperati nimio præ pavore, videntes, confortati in ipſos minus circumſpectos impetum facientes, eos crudeliter percuſſerunt, & ſpoliis tantum intendentes ceperunt. Quibus Rex ille, dictus Carolus Gallicus, illic à ſummo Pontifice Rex conſtitutus non pepercit. Nam

eos

eos variis pœnis puniri & trucidari præcepit. Nam Principes Regis Conradini, cùm de nocte ſecundùm unam ſatis famoſam aſſertionem fuiſſent repentino acceſſu convicti : Quibusdam virilia fuerunt amputata, quidam decollati, quidam alias malè tractati ſunt. Ibi multi nobiles inſignes, proceres, robuſti & bellicoſi viri de Alimania oriundi, heu! truncatis capitibus miſerabiliter perierunt : Cujus pectus tam ſaxeum non contremiſcit & ſtupeſcit, attendens & animadvertens, inclytum Regem exſpectabilem tam genere quàm corpore tam crudeliter omni ablatâ miſericordiâ capite jugulari, cum tam egregiâ acie militum, ex millibus electorum; qui ſi circumſpecti & magis cauti fuiſſent, nec ipſos ad deprædandum tantùm acceleraſſent, cum Rege ſuo ſine reſiſtentia devoraſſent hoſtium cuneos.

Sermo famoſus longè lateque divulgatus & in ſcripturam, ut dicitur, redactus teſtatur. Hunc Conradinum Filium Friderici à conflictu inter ipſum & Siciliæ Regem Carolum inito, mortis timore perculſum ad oppidum cujusdam Domini, creati quondam à Patre ſuo, in militem confugiſſe, ut ibi latere poſſit ſub umbra alarum ſuæ protectionis à facie inimici, animam ipſius perdere cupientis, qui immemor beneficiorum cunctorum ſibi collatorum contra ſuam firmam confidentiam eum Regi Siculorum prodidit & tradidit puniendum, qui gaviſus Conradinum *unà cum ſuo proditore* ſceleratiſſimo & XXXV Comitibus Alemanniæ victis & raptis in bello præfato, genere & corpore, ut dixi, exſpectabilibus ad mortem ſententialiter & ordine judiciario, coram maxima multitudine populi condemnavit, qui omnes mox capitum obtruncatione plexi ſunt, cæteris variis cruciatibus & tormentis conſumptis.

Fertur quoque, quod dum Rex Conradino optionem dediſſet, primò an in medio, vel in ultimo intra cæteros mortis ſupplicium obeundi : primus in ordine acephalandorum mori elegit, ne funeſtam necem glorioſæ ſuæ militiæ gemitibus inenarrabilibus perſpiceret.

Adjicitur quoque præmiſſis, quod eſt ſtupendum nimis & admirabile in oculis meis, ſcilicet quod una aquila Conradini Regis paſſionis impa-

impatiens, de alto in imum citiſſimo volatu deſcenderit, & dextram alam ſuam coram omni populo circumſtante & ad ſpectaculum terribiliſimum congregato per cruorem ſuum traxerit, & taliter cruentatus effectus, in aëra, unde ſe præcipitaverat, revolaverit.

Prætereà fertur, quod poſt decollationem Conradini Regis prædicti, miles quidam oriundus de Franconia, veniens de Lombardia, ubi militaverat, ad patriam ſuam reverti voluit, quem videntes cives Thuricenſes, quos in repatriando præterivit, fore ſimilem per omnia lineamenta corporis Regi Conradino tunc noviter perempto, ſuſpicantes ipſum eſſe, in cuſtodiam detruſerunt, fortè per ſpatium unius menſis, donec de eo, an eſſet, vel non eſſet, certiores redderentur. Comperto autem quòd non erat, veniam ab eo poſtulantes pro offenſa cum magna reverentia & ſumptuum in itinere neceſſariorum exhibitione ipſum libertati ſuæ reſtituerunt. Circiter iſta tempora Tartari partes Orientales Soldano ſubactas expugnaverunt, fugatis habitatoribus illarum regionum tam Chriſtianis quàm aliis nationibus, ſcilicet Sarracenis & Judæis, ultra mare: De quo dolens Pharao Rex Ægypti Soldanus reſumptis civibus cum exercitu clam irruit Sarracenus caſtra Tartarorum, multa millia ex eis interfecit, quod factum fuit Anno Domini M CC LVI.

Anno Domini M CC LXII [1262] Rex Tartarorum miſit ſolennes nuntios circiter XXX nobiles Tartaros, cum duobus fratribus de ordine Prædicatorum, qui eſſent Interpretes linguarum ad Regem Franciæ Ludovicum, ut ſe & totum regnum Franciæ ditioni ſubjiceret Tartarorum, alioquin Franciam impugnaret tempore procedente. Qui Ludovicus Rex habito conſilio cum primoribus ſuis in regno, conſtanter reſtitit.

Item Anno Domini 1264 univerſitas Angliæ bellum inferentes Regi ipſorum propter graves exactiones ſuas & violentas populo illatas, ipſum cum fratre ſuo ceperunt, & multis aliis nobilibus, multaque millia hominum in ore gladii perierunt. A populo itaque Rex cum fratre ſuo & duobus filiis Regis & nobilibus plurimis captivi ducti ſunt.

Hoc etiam tempore ferè inter multos Dominos Teutoniæ bellum acerrimum commiſſum eſt, in vigilia Simonis & Judæ, in quo Dux Albertus de Brunſvvik, ſtrenuus in armis, vulneratus eſt, & captus, & cum eo multi magnates & electa militia usque ad D. L. cum amisſione armorum & equorum, & in vinculis ſunt detenti circiter tria millia hominum memorata die in eodem bello prope Halle ceciderunt. Sed Dux Albertus redemit ſe à captivitate cum VIII millibus marcarum argenti & VIII caſtellis in Brunſvvig.

Stella Cometes apparuit in illo anno, in Oriente ante ortum diei poſt ſtellam matutinam cum radiis multis, veloci curſu tranſivit usque ad meridiem, præceſſit ſtellam Luciferum, à feſto Mariæ Magdalenæ apparuit usque ad feſtum S. Auguſtini.

Innocentio IV ſucceſſit ALEXANDER IV natione Campanus, ſedens annis VII. Hic Papa beatam Claram canonizavit, & Ezelinum tortorem Chriſtianorum & interfectorem LX fratrum de ordine Minorum, & etiam aliorum hominum ſanctæ fidei profeſſorum, tanquam hæreticum & perſecutorem ſanctæ fidei Catholicæ condemnavit & excommunicavit in litera Apoſtolica, quæ ſic incipit : Scandalum fidei, malum Italiæ & macula populi &c. Iſte Ezelinus hæreticus publicus hoſtis Chriſtiani nominis captivatus, cùm crux Chriſti contra eum prædicaretur, traditus in reprobum ſenſum, nequaquam volens cibum capere, ſeipſum fame interfecit.

Hic etiam Papa reprobavit *duos peſtiferos libellos*, quorum unus dicebat, quod omnes Religioſi etiam verbum DEI prædicantes de eleemoſynis vivendo ſalvari non poſſent. Alter quod Evangelium Chriſti & doctrina Novi Teſtamenti neminem ad perfectum perduxit. Et evacuato eo anno Domini M CC LX deberet inchoari *doctrina Joachimi, quam Conditor libri Evangelium æternum* nominavit & tandem perfectionem hominum ſalvandorum in illo ponendo. Namquidam Theologi Pariſienſes duplici corde compoſuerunt librum infamiæ contra venerabiles fratres Prædicatores & Minores, qui tale habuit initium : Ecce videntes clamabunt foris &c. Hunc librum Alexander

xander IV condemnans sententialiter combussit in audientia Domini *Alberti ordinis Fratrum Prædicatorum*, eosdem errores principaliter expugnantis, destituit eosdem Magistros ab officiis & beneficiis, restituens fratres supra nominatos famæ sanctæ & honestæ, scribens universis regionibus de statu & numero salvandorum.

Hujus tempore scilicet Alexandri Papæ Manfredus filius naturalis quondam Friderici Imperatoris, gerens se pro pædagogo Conradi nepotis Friderici, ipso Conradino mendaciter publicato mortuo, sibi ipsi coronam assumpsit, quod quia factum in præjudicium Domini Papæ fuit, primò excommunicatus erat, post contra ipsum magnus exercitus, sed in nullo proficiens, mittitur.

Hujus etiam tempore Principes Alemanniæ in duo se dividentes: Quidam Regem Castellæ, & quidam Richardum Comitem Cornubiæ ad Imperium elegerunt; quod schisma multis annis duravit. Hic Papa in die sancti Urbani Papæ defunctus est, & cessavit Episcopatus usque ad decollationem beati Johannis Baptistæ, discordantibus Cardinalibus in electione.

Anno Domini 1263 elegerunt Cardinales Patriarcham Hierosolymitanum nomine JACOBUM in Papam & vocatus est Urbanus IV. Hic congregata multitudine tam Cleri quàm populi cum Cardinalibus & Pontificibus XIV calendas Decembris solenniter incepit prædicare crucem in subsidium terræ sanctæ, & fratribus Prædicatoribus per literas Apostolicas datas Viterbii, strictè dedit in mandatis eandem Crucem constanter & diligenter prædicando per DEI Ecclesiam cum longa indulgentia in subsidium terræ sanctæ.

Inter hunc Papam & Manfredum Principem Apuliæ, filium Friderici quondam Imperatoris, orta est contentio pro regno Apuliæ, & cum Dominus Papa quotidie suis stipendiariis donaret salarium mille marcas, defendere se non potuit.

His etiam temporibus venit quidam cum magno exercitu, dicens se esse Fridericum Imperatorem, qui ante decem annos mortuus fuerat, hic impugnavit Manfredum Principem Apuliæ, & strenuè

ipſum perſequebatur, aſſerens ſe velle rehabere regnum Apuliæ & Siciliæ.

Temporibus etiam illis Soldanus Rex Ægypti impugnans Chriſtianos in terra ſancta, cepit Azolum caſtrum firmiſſimum : Rabul domus hoſpitalis, quod alio nomine vocabatur Aſſur, in quo habitabant duo millia hominum, quos omnes occidit, ſed & fratres milites domus hoſpitalis & domus templi 180 captivos ſtrictè vinculatos deduxit in Ægyptum, cepit Cæſariam & civitatem Raphas, quas nunc tenet violenter.

Hic Papa Urbanus IV devotione ſpeciali corporis Chriſti affectus, piè ſtatuit annuatim feria V proxima poſt feſtum Pentecoſtes, memoriam integro *officio Dominici corporis* fieri per univerſam Dei Eccleſiam, tribuens largas indulgentias agentibus, recolentibus & frequentantibus officium Miſſarum & ſeptem horarum per totam octavam ſolennitatis corporis Domini : Sedit II annos tantum & defunctus eſt.

Poſt hunc ordinatur Clemens IV, qui ante fuerat Archi-Epiſcopus Narbonenſis, ſedit annos III, hic uxorem & liberos habuit, Conſiliarius Regis Franciæ fuit, poſt verò uxoris obitum in Papam electus eſt, propter vitam & ſcientiam ſuam laudabilem.

Hic Conradinum debellaturum Regem Siciliæ, cui Papa regnum contulerat, ſuperandum prædixit, & tanquam fumum tranſiturum, & ipſum tanquam ad victimam Apuliam intraturum, quod factum fuit, quia captus dein decollatus fuit.

Hic Papa bellum habuit cum Manfredo Principe Apuliæ pro patrimonio beati Petri.

Hic Papa ſub præcepto diſtrictè *feſtum corporis Chriſti* fecit per Eccleſiam ſolenniter celebrari.

Poſt hæc anno Domini 1265 Ludovicus Rex Franciæ cum Chriſtiano exercitu contra conſilium Papæ tunc ſedentis transfretavit & fugientibus Barbaris à facie ejus, cepit Damiatam & eam pacificam habuit. Poſtea verò in brevi bello ipſe à Soldano Babyloniæ, id eſt, à Pharaone

Pharaone Rege Ægypti captus est, & suus Christianus exercitus dissipatus est & occisus totus : Dedit autem Soldano pro redemptione sua C. M. marcas argenti & civitatem Damiatam; arma verò & tentoria, vasa pretiosa, equos electos, alimenta Christianorum Sarraceni in illo prælio obtinuerunt. Cùm autem Ludovicus Rex captus esset ultra mare, convenerunt multa millia pastorum, dicentes : quod venire velent in adjutorium Regi Ludovico, & habebant unum Capitaneum nomine Jacobum, peritum in multis linguis. Hic fuit *Apostata Cisterciensium* sceleratissimus homo, violentas injecit manus in Clerum, & hunc sequebantur meretrices, latrones, magi, malefici, & plures occisi, alii dissipati sunt. Dixit autem hic seductor adhuc vivens, se vidisse in cursu astrorum Regem Ludovicum redimendum fore per pastores, & sic sub tali prætextu allexit pastores & congregavit.

Circiter ista tempora floruit frater *Bertholdus ordinis Fratrum Minorum* in Alimania, egregius Prædicator, qui circumeundo & perambulando frequenter Alimaniam, ipsam mirabiliter illustravit, & peccatores innumeros verbo & exemplo pariter ad Dominum convertebat, *cujus memoria in benedictione est, & adhuc recentissimo meo tempore perseverat* in hominibus. *In campis sæpius solebat prædicare*, & tunc populus ex omnibus partibus finitimis confluebat, qui solitus erat ambonem, cùm in camporum planitie sibi constructum ibidem sermocinaturus ascenderat, quod *per pennam filo appensam, & in aërem protensam, flatum venti, à qua parte veniret, perpendebat, & versus illam partem populum persuadebat considere.* Ipse fuit linguæ disertæ, vitæ sanctæ, magnæ literaturæ, sicut adhuc evidenter apparet & patet *in diversis voluminibus ab eo compilatis sermonum, quos Rusticanos appellari voluit.*

In suis prædicationibus peccatores inveterati, obstinati ac sceleratissimi surrexerunt, apertè peccata sua confitentes, & vitam turpem præteritam abdicantes, veniamque postulantes, & satisfactionem ac emendam dignam promittentes. Hic ab hominibus *adhuc præsenti tempore, scilicet Anno M CCC XL*, superextantibus, qui sæpe suis sermonibus

monibus interfuerant, multis & aliis hoc narrantibus aſſeritur habuiſſe Spiritum Prophetiæ, nam multa & diverſa prædixerat, ſecundùm relata eorum, quæ noſtris ſunt temporibus adimpleta. Hic nunquam in oppido, de quo oriundus ſum, dicto Wintherthur, ſed in pago nuncupato Turgöw ſeminare verbum Dei voluit, propter quoddam thelonium peſſimum, imo exactionem nefandisſimam, quæ illic in pauperibus hucusque acta eſt, & quod Burgenſes iſtius oppidi illud thelonium non voluerunt intuitu divinæ pietatis & ob precum ſuarum inſtantiam deſerere, ideò ad eos declinare ſprevit, disſimulans imo repellens preconia illorum aſsidua & obnixa, ut ad eos divertere dignetur, licèt loca circumpoſita cauſa prædicationis ibidem faciendæ, ſicut oppidum vocatum Wil, & oppidum nominatum Klingnow, & civitatem Thuregum nomine ſæpius viſitaret. Inter cætera facta miranda ſua unum ponam, in quo patebit, ipſum tam peccatores convertiſſe, quàm etiam ſpiritum prophetiæ habuiſſe; In quodam II ſermone ſuo meretrix publica compuncta ſurrexit, & ſuam vitam fœdam & turpem abnegavit. Cùm autem Frater Bertholdus in turba copioſa, ſedente coram eo, de eminento loco ſuo, in quo ſtabat, proclamaret, ſi ibi vir aliquis eſſet, qui filiam ſuam peccatricem per eum converſam & renatam in uxorem traducere vellet, ob reſpectum amoris divini hanc ipſam ſibi daret & inſuper dotaret. Quod dum ſurgens quidam de multitudine faceret, ſibi pro dote decem libras ſe donaturum repromiſit, quas ut promptas de turba cùm alias non haberet, colligeret viros aliquot, turmas populi compreſſi præ multitudine perambulare mendicando oratur ſigillatim ab hominibus poſcendo eleemoſynam, quousque ſumma X librarum denariorum compleatur, qui cum partem hominum petendo ſuffragium dotis percurriſſet, & pars magna hominum adhuc reſtaret petenda, acclamavit altâ voce Pater ſanctus in ambone: Sufficit nos, habemus pecuniam, quam optamus, illi ſicut prius monitis ſuis obtemperantes ab incepto deſtituerunt, & revertentes ad eum eleemoſynam petendo quæſitam dinumeraverunt, & inventa eſt præcisè ſumma prætaxata, nec plus, nec minus, nec pauciores, nec plures denarii quàm X

libræ

libræ ſunt reperti, quos in continenti dari juſſit illi viro, qui deſponſaverat præfatam peccatricem, ſibi eam fideliter recommendans. Quis ſibi revelavit & ſuggeſſit hanc occultam & inſcrutabilem veritatem? Nemo alius niſi Spiritus Sanctus, qui cor ipſius abundanter inhabitando illuſtraverat. Humana enim ratio hoc arcanum & ab humanis ſenſibus ſemotum & alienum capere non ſufficit. Poſt mortem ſuam in civitate Bavariæ dicta *Ratiſpona, in qua, ut fertur, natus & alitus erat,* multis multo tempore corruſcavit miraculis, in loco fratrum Minorum, ubi ſepultus eſt.

Poſtquam vacavit ſedes Apoſtolica tribus annis, defuncto Clemente IV Cardinales in Biterbio concorditer elegerunt in Papam quendam Canonicum Eccleſiæ Leodienſis nomine Theobaldum, ultra mare exiſtentem, de Placentia oriundum; Cùm in ipſa peregrinatione eſſet, electus eſt, & * miſſum præco ultra mare, hunc Gregorium X vocaverunt. Hic Papa cum ſolemni comitatu intravit urbem Romam, Carolum Gallicum inſtitutum Regem Siciliæ fovit. Ante hunc Papam per annos XI nullus intravit urbem propter diſcordiam Romanorum. Dum iſte Papa proceſſionaliter tranſivit per Romam, eum deduxerunt reverenter Balduinus Imperator Græciæ & Rex Carolus Siciliæ ſuper terram ſibi miniſtrantes.

Hic Papa ordinavit ut Principes Teutoniæ Regem elegerent & conſecrarent, quod factum eſt. Nam elegerunt Comitem de Habspurg.

Hic in Lugduno concilium celebravit, ubi vir ſanctus multas edidit conſtitutiones. Hoc autem Concilium tertio Pontificatus ſui anno pro utilitate terræ ſanctæ, quam perſonaliter viſitare intendebat, celebravit: In quo Græcorum & Tartarorum ſolennes nuntii interfuerunt. Græci ad unitatem Eccleſiæ redire promittentes, in ſignum cujus Spiritum ſanctum ſunt confeſſi à Patre & Filio procedere, ſymbolum in concilio ſolenniter decantando.

Tunc Tartari ferè omnes in Concilio baptizati ad propria redierunt: Numerus autem Prælatorum, qui fuerunt in Concilio, ſunt quin-

quingenti Epiſcopi, LX Abbates, & alii Prælati circiter mille. Hujus tempore ad ordinationem ſuam, ut prius dixi, Anno Domini MCCLXXIV, menſe Octobri Principes convenerunt & elegerunt præfatum Rudolphum de Habspurg in Regem Alimanniæ, quam electionem Gregorius X apud Loſannam confirmavit, ſed poſtea conſecratus eſt Aquisgrani in Regem Alimanniæ & Romanorum, & concorditer fuit electus ab univerſis Principibus.

Fertur de eo, dum adhuc Comes extiterat, quòd cum quadam vice per terram ſuam equitaret cum ſuis ſatellitibus, obviam habuit Clericum corpus Domini portantem, & in terra pedibus ambulantem, quod cordi apponens, illico de equo proſiliit, & Clerico in reverentiam corporis Chriſti dedit. Qui ſtatim poſt ſublimatus fuit in Regem Romanorum. Noluit tamen ſe transferre ad partes Italiæ ad captivanda & occupanda ibidem bona Imperii, quocunque nomine conferrentur, territus exemplo Conradini Regis in Apulia, ut ſupra dixi, ne decollationem more ipſius contingeret eum perire & periclitari. Volens potius regno Alemanniæ in tranquilla poſſeſſione potiri & contentari, quàm aliàs ſe exponere diſcrimini & perditioni.

Cùm Principes in Frankfurt elegerunt Comitem Rudolphum de Habspurg, ipſe potenter obſedit civitatem Baſileam, cum adjutorio ſuorum civium Thuricenſium, & Thuricenſibus vexillum coronavit cum magna gratiarum actione, ac licet Comes adhuc tenuis rebus fuit, tamen adeo atrociter & hoſtiliter ipſam oppugnavit circumquaque, quod nullus per multos dies ipſis civibus introitus vel exitus evaſionis opportunitas patebat. Nam cives utriusque ſexus de ſpe ſalutis diffidentes ſtupore ac timore in eo, quod illis contigerat, medullitus ſunt perculſi. Dum autem medio tempore poſt longam & diſcriminoſam conflictationem & pernitioſum ſchiſma habitum, ut ſupra dixi, inter Regem Caſtellæ Comitemque Cornubiæ in diſcordia electos, Principibus iterum Alimanniæ congregatis in unum ad Regem Alimanniæ eligendum, ſecundùm tenorem Decretalium incipientis: Venerabilem in Imperatorem coronandum & confirmandum, & intelligentibus fa-

bus fama celebri gesta & acta horribilia, & nimis mirifica magnanimi Comitis invictissimi & strenuissimi militis Rudolphi coram præfata civitate ipsum, ut dixi, Canonicè elegerunt, sibi in continenti legatos hæc annuntiantes destinando in obsidione, quibus perspectis à Comite admirabatur præ gaudio de gratia minus præcogitata & sperata sibi tam dignitativè in sui absentia collata, & exultans in Spiritu jucunditatis, obsidione postposita abiit cum festinatione ad ipsos Principes, ipsisque gratiarum actionem referens, postulavit mediante eorum auxilio & consilio in regno Alimanniæ incanonizari & bona Imperii possessione pacifica obtinere, quod & factum est secundùm ejus votum & omnimodam voluntatem.

Fertur quod tempore Rudolphi *quidam Faber per omnia similis Friderico Imperatori* apparuit, qui à multis Baronibus & Magnatibus dicti Regis, nec non à plebea turma Imperator Fridericus æstimabatur, & valde honorificè & gloriosè tractabatur, qui cum hujusmodi honorem non recusaret, imo lubenti animo acceptaret, gerendo se in persona ipsius, & hoc in præjudicium Regis Rudolphi vergeret, commotus Rex dixit toties & tam frequenter, vidi faciem Friderici Imperatoris, quia sæpe sibi conversatus sum, & quasi in aula sua enutritus, quod nolo dimittere, quin istum de quo est opinio ista videam, an ipse sit vel non, quem cùm ipsum non esse comperisset, jussus est ab eo occidi, & de memoria hominum tolli nimium credula falsitate. Quidam verò ajunt, quod judicio meo credibilius & verisimilius est, Fabrum jam dictum similem Imperatori Friderico dudum ante defuncto & sepulto totis viribus suis renitentem prænominatis honoribus applicatum; maluisset enim operi, officio & artificio cum uxore & liberis suis in domo & commodo suo vacâsse & invigilâsse, quàm falso & contra justitiam honoris apicem & culmen dignitatis, de quo non erat dignus taliter usurpare; Cùm autem diu reluctabatur suæ gloriæ indebitæ, & ad damnum suum redire anhelaret, exaudiri meruit, & ad propria rediit.

Item fertur de Rudolpho, dum adhuc Comes erat, quod uno tempore cum adjutorio civium Thuricensium bellum commiserit

cum Dominis nuncupatis de Regenſpurg, tunc quidem in rebus & perſonis florentibus : nunc autem quantum ad utrumque in nihilum reductis, in quo quamvis victoria potitus fuerit, de equo tamen miſerabiliter cecidit, nam tam acriter percuſſus & ad terram proſtratus fuit, quod ab hoſtibus mortuus putabatur, unde garconnes more ſuo prædam inſequentes, ipſum in conflictu nudum reliquerunt, mortuum enim ſe ſimulabat, ut tempore oportuno devicta morte reſurgeret & de mortis faucibus erui videretur. Quod videns quidam Burgenſis de Thurego appellatus Müller, *quem ego vidi*, vir corpulentus & procerus fortisque viribus, ipſum defenſavit pro eo, ſe ut clypeum opponendo potenter eum erexit, & in equum ſuum repoſuit, qui poſtea acies inimicorum ſecans & dirumpens ipſos crudeli plaga percuſſit; * hoc beneficium Rex factus in Almanno cordis ſui reponens, cum poſt hoc una dierum in Civitate Moguntina demoraretur, & inter militiam ſederet ſuam, & Molitori præfato civi ad ſe illuc venienti ſereno vultu & alacri aſſurgeret, & eum dignis honoribus & amicitiæ indiciis pertractaret : Et ab eo ſciſcitaretur, cur tam ſimplici viro nullo dignitatis apice ſublimato tam reverenter & devotè aſſurrexiſſet, reſpondit quod me in uno conflictu, dum adhuc Comes extiteram, cùm in manus hominum incidiſſem hoſtium, de eis eripuit, & in equum ſuum collocavit, per eum mortem evaſi, & hoſtes meos fortiter ſtravi, nunquam non illum revereri debeo, qui vitam meam, Domino adjuvante, conſervavit.

Prætereà fertur, quod tempore ſuo, eo adhuc Comite exiſtente, unum caſtrum excelſum & firmum in monte dicto Albis prope Thuregum ſitum erat, quod Thuricenſibus oneroſum & valde infeſtum fuit. Nam ipſos odio habuit inceſſanter, quod tanto pernitioſius fuerat, quanto patentius introitum & exitum eorum de vertice montis, in quo caſtrum locatum erat, inhabitatores caſtri conſpicere potuerunt. Cùm hæc diu toleraſſent, & ſe minimè defendere valuiſſent, ſuſcitavit eis Dominus liberatorem Comitem Rudolphum, qui tunc temporis civibus Thuricenſibus glutine amoris & vinculo amicitiæ colli-

colligatus & conjunctus erat, nam eo tempore domicilium seu mansionem in oppido suo dicto Bremgarten tenens, sito in Ergöw, ad quod etiam patulus erat aspectus de castro prænominato, mira astutia & callida adinventione Castellanum cum suis auxiliatoribus taliter circumvenit & decepit, nam circiter 30 equos præparari jubebat, & singulis binos armatos viros insidere, qui una cum Comite præcepto hujusmodi obtemperantes & ad nutum obedientes in fortitudine & audacia magna montem contra castra hostiliter ascendentes castri speciem tantum unius viri prætendebant, propter quod eos ad exitum contra se provocabant, nam de sua multitudine confidebant paucitatem adversariorum suspicantes, qui dum ferè congressi fuissent ad dimicandum parati, posteriores de equis deciderunt, & simul cum in equis remanentibus in hostes irruere conati sunt, sed alii videntes eos multiplicatos contra suam confidentiam & in visu se videntes delusos esse, certatim cum festinatione fugerunt, sed ipsi eos celerius persequentes & tandem superantes castrum ceperunt, & ipsum demolientes solo coæquaverunt; & sic Thuricensibus pax per Comitem Rudolphum acquisita & reddita est, quod factum tantum amicitiam, quam habebant Thuricenses ad Rudolphum Comitem de Habspurg, augmentavit & roboravit, quod postea secum ad confligendum pro eo contra Dominos memoratos processerunt, ubi prosperati sunt.

Hic Comes Rudolphus Rex factus *extitit maximus desolator & destructor castrorum, ex quibus homines spoliabantur*, nam ipsa expugnavit, & expugnata confregit, solo coæquando; benignus fuit erga Amicos & Domesticos, sed sævissimus contra hostes; liberalis fuit sed præcipuè suis militibus sibi fideliter militantibus; usurpavit sibi res Dominorum, qui spreverunt eum, nec defendit Bonifacium Papam, Vir erat strenuus & sapiens de confessione Fratrum Minorum.

Hic cum quâdam vice in civitate Thuricensi quandam civem excellenter speciosam uxorem cujusdam Fabri ardenter amare cœpisset, & quadam die depositis regalibus indumentis in similitudine mercatoris domum ipsius intravit, marito stante super incude sua ipsum pacificè

ſalutavit & minimè cognoſcente. Cùm autem Rex cum uxore Fabri per modicam horam ſediſſet, & ſibi ſicut concupiverat & intendebat ſolaciosè dulciterque confabulatus fuiſſet, conjunx fabri ivit ad eum dicens & orans hoſpitem illum, ut majori reverentia reciperet, & honorificentius eum, quàm fecerat, pertractaret, quod eſſet Rex Rudolphus, qui in ſpecie mercatoris ipſo vidente intraviſſet, quo audito cum admiratione & ſtupore Regem acceſſit, & ipſum honore debito & congruo proſecutus fuit, rogans & invitans eum pariter, ut quando ſibi placeret, domum ſuam frequentaret. De hoc verò Rex gratus exiſtens eis viciſſitudinem rependebat ſimilem ambos diligenter commendando, & mulieri immediante per unum famulum ſuum pannum pretioſum & decentem pro novo veſtimento emendo.

Prætereà cùm quadam die vicum unum Civitatis Baſileenſis pertranſiret, & quendam cerdonem illic videret cuti rudæ ac fœtidæ ſuper lignum extenſæ aſſiſtentem ei dixit: O quam dulce & ſuave eſſet habere centum marcarum redditus & inſuper formoſam uxorem. Reſpondit cerdo: ambo in plena poſſeſſione habeo. Ad quam reſponſionem Rex cum vehementi admiratione ſubjunxit, & ego quàm citò in hoſpitio meo de equo deſcendero, rediturus ad Te hæc videbo; medio autem tempore abjectis & exutis veſtimentis ſuis ſordidis cerdo induit veſtes decentes & ſplendidas & decoras, quibus amiciri feſtivis diebus ſolitus erat, nec non conſortem ſuam idem facere jubebat, menſam quoque poni præcepit ſolenniter & deſuper in ſcyphis & aliis vaſis aureis & argenteis vinum nobiliſimum copiosè infundi, & de cibis delicatis & exquiſitis apparatum magnum ſuper menſam fecit præſentari, & matronam ſuam pulcherrimam indutam purpura & byſſo atque cultu muliebri accuratiſſimè ornatam in capite menſæ locari. His factis expeditus, ſicut promiſerat, advenit, & videns ſingula admirans nimis credidit, & non parum magnificavit. Cùm verò Rex omnia perſpexiſſet & ſibi placuiſſet, & ædificia ſua cerdo & divitias non viſas Regi declaraſſet; Rex ſubintulit, cùm his omnibus abundes, cur tam fœtulentum exercitium non relinquis? Qui ait, quamvis his affluam, tamen ſicut cum

me præ-

me præteriiſtis vobis dixi, non minus artis meæ officium fœdum & contemptibile exerceo, ne divitiæ meæ decreſcant, ſed potius augeantur, quod per otium & vacationem notabile ſtatim paterentur decrementum vel paulatim penitus abſumerentur, quod audiens Rex approbavit & conſorti ſuæ eximia & pretioſa tribuens receſſit.

Item quodam tempore dum adhuc Comes exiſteret *in caſtro dicto Kyburg reſidens*, quidam Domini vocati de Regenſpurg æmuli ſui ab antiquo, una die in unum congregati, dixerunt, iſte vilis Comes non effugiet manus noſtras, nam hâc vice ſibi quamdiu ſumus coadunati, inſidias tendemus, & ſuum naſum longum diſcerpemus, quod audiens quidam fatuus eorum continuæ vecordiæ iter ſuum incontinenti de Regenſpurg in Kyburg direxit, qui dum importunè in caſtri porta pulſaret, prius incognitus tandem agnitus fieret, intromiſſus fuit; intuens autem vultum Comitis, ait, certè tu non habes tam longum naſum, ſicut audivi hodiè à Dominis meis in Regenſpurg, qui audiens hæc verba coram familia ſua ſibi aſtante dixit: Notate verba, ſignate myſteria, aliquid enim innuit, volens autem ſenſum verborum clarius inveſtigare dixit, quid dixiſti? Ille ait, Domini mei multiplicati plus ſolito ad invicem dixerunt hæc: Comitis naſum longum conteremus, longum enim, ut dicitur, naſum habuit Comes. Comes autem animadvertens verba illa ab illo prolata & in corde ſuo ponens inſtruxit mox aciem virorum armatorum robuſtam, & cum ea contra Regenſpurg in furore tendens, Dominos illos conglobatos & contra eum conſpiratos obvios habuit, & in eos beſtiali more & indomito cum ſuis clientelis irruens plures ex eis occidit, reliqui verò per fugam, quam inierunt, ſalvati ſunt, & ſic malitiam ipſorum funditus extinxit.

Magnæ manſuetudinis & humilitatis fuit Rudolphus Rex, quod per tale exempli argumentum luculentiſſimè demonſtratur: Nam cum quodam tempore in civitate Thuricenſi moram ad aliquot dies contraheret, & ſtaret cum magna vallatus parte militum, ecce quidam plebejus ex turba pertranſire cupiens irriſit eum, alta voce dicens: Iſte Rex cum longo naſo ſuo, quem habuiſſe, ut ſupra dixi, aſſeritur, me impedit

pedit quod ſtratam recto tramite perambulare nequeo, quod audiens Rex retroceſſit, & ſibi locum eundi vultu hilari & verbis pacificis benignisque dedit.

Fertur quoque, dum quadam die Lindaviam veniſſet, quidam Burgenſis ibidem ſibi magnum piſcem Lucius nominatum erogavit, quem dum coquus exentare vellet, ad decoquendum præparare vellet, invenit in faucibus ſuis grandem bufonem, ob hoc opus piſcem coquus abjecit, & cum coquere tanquam cibum abominabilem ſprevit, quem dum Rex diu in menſa expectaret, quemadmodum moris ſui erat, ut eum militibus ſuis diſtribueret, & ſibi apportaretur, minimè coquum aſpectu ſuo præſentari jubet, à quo cùm cauſam didiciſſet, quare ſibi piſcis non eſſet allatus, reſpondit, bufo ſuus cibus erat, nec minus edendus. vade igitur & mihi non coctum affer, quod factum eſt.

Hic Rex Rudolphus, quanquam fortiter multa bellica facta ſtrenuè geſſerit, inter cætera tamen virum laude dignum in ſcripturam redigere ſummatim curavi, quod recenti ac celebri hominum famâ & opinione vulgatur.

Fertur quod Rex Bohemiæ dictus Odacer ob perſuaſionem conjugis ſuæ nimis elatæ & de faſtu regalis honoris ſibi ſupra modum inflatæ contempſit Regi Romanorum parere, Regemque Bohemiæ Rudolpho parere, poterat ab eo ſicut meritò debuerat poſtulare, quod cùm tandem ſaniori ductus conſilio facere reluctante ſua uxore diſponeret, & ad iter ſe cum ſua militia præpararet, & hoc Regi Rudolpho veraciter innoteſceret, ſuis apocriſariis per .... convocatis ſciſcitabatur, quali veſte ſe oſtendere deberet Regi Bohemiorum venienti ad ſe, & petituro ab eo regnum Bohemiæ in feudum ſibi concedi, quibus ſibi reſpondentibus, quod Regio cultu & indumento gloriæ ac excellentiæ ſuæ deberet coram eo apparere, reſpondit eis, quod nequaquam hoc fieret, ſed in veſte ruſticali & rudi ſed tunica griſei coloris vellet ſe ſuis obtutibus demonſtrare, ut per hoc ſibi innoteſceret & pateſceret, quod tumorem ſuæ arrogantiæ parumper penderet, imò quaſi pro minimo reputaret, quod dum totum, ſecundùm quod decreverat, eveniſſet, &

ſet, & Rex Bohemiæ remeâſſet, & conſorti hæc omnia ſecundùm ordinem enarraſſet, plus quàm dici poſſet igne furoris accenſa Regem convitiis affecit, & vituperiis acerbiſſimè laceravit, dicens : quare à tali tibi diſſimili, viliori, & tali veſtimento ſimplici & agreſti in tuum contemptum & confuſionem induto, cùm ſis longè præſtantior eo divitiis, gloriâ & honore, regnum tuum titulo feudi petere ac recipere in tuam grandem ignominiam præſumſiſti, his & aliis verbis multis ipſum toto conatu ſuo provocavit, ut Regnum Bohemiæ rejecto titulo infeudationis pro ſe proprietatis titulo poſſideret, & inſuper Ducatum Auſtriæ, quem ſibi contra juſtitiam diu uſurpaverat, fortiter retineret, & Regi Rudolpho eundem petenti ſibi reſignari, cùm ad imperium pertineret, nullatenus reſtitueret, ſed potius ad defendendum eum & ſibi conſervandum ſe Regi Rudolpho opponeret, principatum ejus nullatenus formidando, ſed ad reſiſtendum ſibi & ad rebellandum ſibi quando citius poſſet, ſe totis viribus præpararet, quod intelligens Rex inſtruxit virorum delectorum de Suevia & aliis partibus exercitum robuſtum, & directus eſt contra eum in fortitudine & audacia magnâ, convenientes in campo quodam magno acriter pugnaverunt, ſed prævalente Rege Rudolpho cum ſuo exercitu, multa ſanguinis effuſione ſuorum Rex Bohemiæ occiſus eſt, & exercitus ſuus contritus, & ſic Rex Rudolphus gloriosè triumphans, regnum memoratum ſibi ſubjecit, & Ducatum Auſtriæ ſuis liberis & eorum poſteritati jure feudi poſſidendum à ſe & ſuis ſucceſſoribus in perpetuum reliquit, filium ſuum Albertum illic collocavit & multos Alemannos ibi præfecit, & ſic certè prævaluit. De ordine Fratrum Minorum tunc duo Epiſcopi creati fuerunt, Tullenſis & Archi-Epiſcopus Moguntinus, frater hujus, ambo de Iſnach oriundi oppido in Algavia ſito.

Fertur, quod in hoc bello Rudolphus Rex de equo ſuo miſerabiliter proſtratus in terram pedibus Caballorum & manibus hoſtium expoſitus erat, quod cernens quidam miles ſuus vocatus *de Ramsvvag* ipſum non ſolùm à conculcatione equorum & inſultu inimicorum eripuit, verum etiam ſuper equum alium gloriosè locavit, in quo devicta morte hoſtem

hoſtem fortiter cædens ſolenniter triumphavit, cujus beneficii Rex memor exiſtens adjutori ſuo in tribulatione Domino de Ramswag & ſuis poſteris *thelonium Lindovienſe* XX, ut dicitur, librarum, & thelonium aliud apud Rhenum ſitum 50 librarum contulit in perpetuum poſſidendum, & ſuper his ſibi literas aſſignavit, cujus hæredes usque ad hodiernum diem hoc poſſident, & in uſus ſuos convertunt, impetentibus ea inſtrumentum confertum ſuper hoc demonſtrantes & ab impetitione compeſcentes. Ante congreſſum pugnæ prælibatæ per totam expeditionem, ut multi famant, quidam lector de ordine Fratrum Minorum magnæ ſcientiæ & optimi conſilii Regem comitabatur, nam ſibi ſpeciali prærogativa & præcipuè amoris privilegio dilectus erat, hic exhortationis verbum fecit ad exercitum Regis Rudolphi, jam hoſtium cuneis ſe immiſcere volentem, per quod tantum proficiebant, quod victoriam optimè obtinuerunt, per hujus lectoris prudentiam, conſilia & ſalubria monita, non ſolùm illâ vice, verum etiam multis vicibus in periculoſis & cauſis arduis & plenis vigiliarum negotiis Rex Rudolphus ſecundum omnem voluntatem ſuam proſperatus eſt, propter quod volens illum pro meritis præmiari, brevi poſteà interjecto temporis ſpacio ſibi Epiſcopatum Baſileenſem, tandem Moguntinum obtinuit, quibus per eum adeptis poterat efficacius ſibi conſilium dare & auxiliari, ſicut & fecit.

Fratres etiam ſui ordinis confeſſores ſibi & liberis propter eum adoptavit & præ cunctis religioſis elegit, quod & per multa annorum curricula inviolabiliter perduravit, hic ſuum ordinem intimo & præcordiali proſequebatur affectu, quamobrem ipſum ab injuriis defenſabat, & in ſuis honoribus fovit ex totis viribus & viſceribus protexit, ſed Sacerdotibus & Clericis ſpiritualibus minus deferens & favoris ſui gratiam ſubtrahens, infeſtus nimis fuit.

Hic in Baſilea apud Minores, frater adhuc in minoribus agens, lector exiſtens, quandam Dominam ibidem *filiam confeſſionis* habuit, quæ Spiritus maligni per multa tempora illuſiones frequentes ſub ſpecie Angeli lucis habuit, quæ putans taliter à Domino conſolari, diu cum gaudio

gaudio sed falso sustinuit & amplexabatur affectuosè illam visionem, tandem in hæsitationem & ancipitem dubium . . . . dicto visionis Domino instigante producta querulosis vocibus causa informationis Lectori memorato exposuit, qui visionem ejus per propriam sapientiam . . . . . profundam recognoscens diabolicam, sibi consilium salubre tribuit; fuit autem ut contra eum proferret verbum Petri seu per aspersionem sanguinis JESU CHRISTI, quo proxima nocte sequente ipsa utens dæmonem abegit, & eum penitus effugavit, qui dolens de hoc Dominam, ut fertur, taliter allocutus est: ille quem novi, qui te suggessit suis monitis ut me expelleres, talionem à me recipiet; laqueum enim sibi extendam, in quem incidet, non multos post dies hos, & ex quo inde decidisti per eum, ipse loco tui cedet in die : cùm verò post istud factum statim fastigium Episcopalis dignitatis ascenderit, conjicitur Dæmonis taliter respondentis ex verbis laqueum esse Prælaturam Pontificatus, quam procurare sibi Diabolus animo malevolo voluit causâ capiundæ ultionis, ut sic tanto profundius & gravius in præcipitium mortis æternæ caderet, quanto prædaltius per suum instinctum & suggestionem in gradum dignitatis tumore excessivo superbia comitante scanderet in altum, quod à multis evenisse minimè dubitatur, quia in dignitatis suæ culmine positus plus quàm dici vel scribi possit cordis & operis elatione intumescens, omnis humilitatis modum & metas penitus abjecit. Tempore illo, quo Rex Rudolphus adhuc Comes, ut dicitur, extiterat, quoddam *prælium ortum fuerat inter invictissimos Dominos Comites de Habspurg consanguineos Regis, & civitatem dictam Bern sitam in metis Galliæ & Alimanniæ*, quod quantum ad Bernenses flebilem sortiebatur exitum: nam cùm utraque pars in campo ante civitatem sito convenisset, pars Bernensium stetit contra hostes conglobata in modum coronæ & compressa cuspitibus suis prætensis, qua dum de adversa parte nemo aggredi præsumeret, Comes querulosis vocibus valenter & miserabiliter clamare cœpit: Heu! quod neminem habeo, qui cuneum adversariorum penetrare possit, vel etiam invadere præsumat; quod audiens quidam cordatus miles fidissi-

diſſimus reſpondit, ego ſolus meo impetu ipſos attentabo invadere, veſtris deſideriis ſatisfacere cupiens, qui cùm dicto modo in eos efferatus fuiſſet, & in eorum lanceas receptus in fruſta diſcerptus & conciſus lamentabiliter periit, cujus occiſione turmæ Comitum nimio furore ſuccenſæ unanimiter in turmam hoſtium more belluæ impegerunt, & ipſam ab invicem disjunxerunt, quo facto in ipſas Bernates tanta furia & crudelitate debachati ſunt, quod multi ex eis ceciderunt, multò verò plures pedibus mutilati ſunt, ad quod faciendum maximè conati ſunt; pauci illæſi de Bernenſibus tranſierunt; extranei ergo triumpho ſecundùm vota ipſorum concinnebant, & alternantibus modulis miſcebant dulciſona carmina, intranei verò è contrario cum luctu & mœrore corpora peremptorum ſepelierunt, ſed mutilatis ex intimo cordis condolebant. Statuerunt quoque ſuffragia pro peccatis mortuorum debita impendi præcipuè anniverſarium diem Miſſarum ſolenniis, oblationibus, orationibus & eleemoſynis devotiſſimè in perpetuum celebrari, quod fideliter ſervatur usque in hodiernum diem.

Poſt iſtud bellum aliquanto tempore decurſo bellorum impetus atrociſſimus excrevit *inter Regem Francorum & Comitem Flandriæ*, quod ſæpe Flandrenſibus proſperantibus & triumphantibus, Francigenis verò ſuccumbentibus, viribusque reſumptis iterum rebellantibus, nec prævalere valentibus perniciosiſſimè replicatum eſt. Unâ autem vice Flandrenſes taliter Francos ſuperaverunt: cùm enim eſſent proxima die una in quadam valle ad præliandum congreſſuri, Flandrenſes dolum hujusmodi, quo animos adverſariorum minus cautos & inſcios involverent, machinati ſunt; foveas ſubterraneas in nocte præcedente conflictum occultè parando ſubtiliter, ſolerterque deſuper obducendo, quod Franci neſcientes, & in craſtino commiſſuri prælium, contra hoſtes inſultum & impetum facientes in foveas plenas aqua inciderunt, cùm quendam rivum prædictam vallem præterfluentem in ipſas fluere fecerunt, qui ſive in fovea obruti & concluſi, ſive in aqua abſorpti, ſive in ore gladii hoſtium ipſos inſequentium conſumpti in maximo numero perierunt, ut à pluribus in illis partibus tunc temporis commorantibus

bus enarratur, ſeptuaginta quoque famoſi & potentes Domini terrarum, ut didici ex relatione fide digna eorum, qui in eodem bello fuerunt, illic interierunt, qui omnes ſua vexilla diſtincta ab aliis nota & nominata habuerunt. Quidam ajunt Flandrenſes callidâ intentione ſolas equas aſcendiſſe, & illis, ubi caſtrametati fuerant, ad reſiſtendum parati inſediſſe, ut per eos equos equorum Francorum phaleratos & egregios ex adverſo conſtitutorum ad coitus appetitum accenderent vehementem, ut ſic deſiderio nimio commixtionis habendæ cum equabus tanquam furioſi & amentes effecti rapido curſu certatim per præfatam vallem contra ipſos ruerent, & in foſſas præcipites ſe darent cum ſuis ſeſſoribus effrenati, quod & factum eſt; quamprimum enim equi equas ſenſerunt, contra eas omnis diſciplinæ obliti concurrerunt, & in foſſas ſibi ſtudioſè paratas deciderunt. Tandem tamen Rex reſumpto & recuperato quaſi poſt infinitam ſtragem ſuorum robore, renovatoque exercitu, de Flandrenſibus triumphavit, & eos deſolando proſternens & humiliando ſubjiciens poſt jacturam magnam & ignominiam fructum copioſum & ſupereffluentem gloriam reportavit ad proſequendum.

Adhuc factum laudabile unum de Rege Rudolpho manum apponam: nam licèt ad imperium non aſcenderit, tamen fortunatus exiſtens in regno Alimanniæ mirifica opera & inſignia multa parabat; paulò enim ante finem vitæ ſuæ quoddam caſtrum * Spolum dictum Wiſenburg ſitum infra Schafhuſam obſidebat, quod quamvis modicæ firmitatis & munitionis fuerit, tamen ejus obſidio ad ſex ſeptimanas continuas ſe protraxit, quod remiſsè obſidentes agebant non irruendo in muros ipſos ad dirumpendos. Cùm autem quidam de familia Regis hoc tacitus animadverteret & Regi diceret, quod caſtrum ſtudioſius & expeditius oppugnare juberet, & ut muri frangerentur operam diligentiorem adhiberi præciperet, quod cum magno diſpendio & gravibus ſumptibus ibi moraretur. Ad hoc Rex tale fertur dediſſe reſponſum: Ego malo caſtrum tardius capi & demoliri, & prolixiori tempore, cùm alibi conſtitutus ſumptus me habere oporteat, cum ſalute corporum pugnato-

gnatorum meorum, in quibus dependet virtus & gloria mea, quàm citius & breviori ſpatio cum eorum diſcrimine ac ingente periculo, & ſic noluit, quod ſe morti muros incautè & importunè more inſipientium & freneticorum invadendo irrumpendoque exponerent, & ſic caſtrum ſine aliqua ſuorum cæde *per ſuffoſſiones & concavationem montis* [captum] & dirutum eſt.

Hic cùm regnâſſet XIX annis in die B. Margaritæ virginis defunctus eſt, ſepultus regiâ ſepultura in Spira.

Mortuus eſt anno milleno C ter triplicato.
Sex minus atque tribus Julii Rex menſe Rodolphus.

Circiter iſta tempora oppidum nomine Büchorn ſitum in ripa lacus Botanici captum & deſolatum eſt ab aliis civitatibus in odium Domini ſui, cui obligatum erat.

Defuncto Gregorio X, qui, ut ſupra dictum eſt, electionem Regis Rudolphi confirmavit,

Sedit Innocentius V, natione Burgundus de ordine Prædicatorum menſes quinque, dies duos; electus eſt in Agnetis. Obiit verò in vigilia Johannis Baptiſtæ. Magiſter in Theologia erat & plura opera fecit ſuper Biblia & ſententias. Fuerunt autem usque ad hoc tempus à beato Petro Apoſtolici CXCII Lino & Cleto exceptis, & *fœmina*, quæ non computatur.

Innocentio V ſucceſſit Adrianus V natione Januenſis, ſedit menſem I, dies IX. Anno Domini M CC LXXVI.

Adriano V ſucceſſit Johannes XXI natione Hiſpanus, qui ſedit pauco tempore: nam cum camera nova, quam ipſe pro ſe in Viterbio circus Palatium conſtruxerat, ſolus corruit, & intra ligna & lapides colliſus, die ſexto poſt caſum, Sacramentis omnibus perceptis, exſpiravit; ſedit autem Anno M CC LXXVII.

BREVE

BREVE CHRONICON ECCLESIÆ TREVIRENSIS.

ANte Romam Treveris ſtetit annis mille trecentis. Hi rithmi leguntur apud S. Simeonem:

Dieſe Kirche / die . . . . . hudt der Dohmb /
Seyndt dreyzehen hundert Jahr älter denn Rom.

Anno Dominicæ incarnationis

958. Henricus Epiſcopus Trevirenſis forum, quod in urbe eſt, inſtituit, & crucem erexit. In foro & cruce leguntur hæc:

IN MEMORIAM SIGNORVM CRVCIS, QVÆ SVPER HOMINES APPARVERVNT ANNO DOMINICÆ INCARNATIONIS DCCCC LVIII. EPISCOPATVS NOSTRI SECVNDO.

In circumferentia:

HENRICVS ARCHIEPISCOPVS ME EREXIT.

Videatur Trithem. in Chronic. Hirſaugienſ. fol. 41.

1045. Poppo Epiſcopus Treverenſis mortuus eſt 16 Junii.

1368. Laus ejus in Eccleſia Sanctorum.

1408. Teclæ cecidit Leodium.

1419. Rufi ſancta dies Moſella colligit uvas.

1458. Reverendiſſimus D. D. Nicolaus à Cuſa Cardinalis &c. fundavit ac dotavit in vita ſua hoſpitale Cuſa, Anno Dominicæ incarnationis 1458. qui obiit Tudertinæ, anno reſtitutæ ſalutis 1464. Et corpus ſepultum fuit Romæ ad S. Petrum ad vincula: Et cor ejus in hoſpitali prædicto à ſe fundato.

1462. In die SS. Simeonis & Judæ capitur Moguntia; unde legitur:

Ecce ſaltat Leo Judæ, Moguntia la . . . .
Ecce ruit fato Moguntia capta ſecreto.
Ecce lignum crucis.

1474. In die S. Jacobi Dux Carolus de Burgundia obſedit Noveſium ſive Nuſſiam.

1476. Carolus Dux Burgundiæ occiſus, qui obſedit Noveſium anno 1474. 24 Julii, & receſſit ab obſidione anno 1475, 11 Junii.

1477. Dux Carolus ante Nanceum occiditur.

1481. Feria 6 Paſchæ, qui fuit 27 Aprilis, concremata fuit igne cœleſti turris Eccleſiæ B. Mariæ virginis Treverenſis intra tres & quatuor horas.

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 90;Leibn. Marg. 90, Stück 1, [373] - 37
PUBLIC DOMAIN

1486. Maximilianus I Romanorum Rex coronatus die 9 April. Aquisgrani.
1488. Bylſtein caſtrum oppugnatur.
1493. Obiit Fridericus III Imperator Romanorum 19 Auguſti.
1497. Bopardia capitur à Johanne de Baden Archi-Epiſcopo.
1504. Landgravius obſedit Cubam, & eodem anno crevit dulce vinum.
1512. Ecce tunica dilecti filii mei.
1513. Ecce crucem JESU CHriſti. Eodem anno Colonia occidit conſulatum.
Unde verſus: Ecce cadunt gladio ſupremi Colonienſes.
1517. Ecce gelu turbat vites nocte altera Marci.
Idem contigit 1576. quoque 20 Aprilis.
1523. Crux occidit Franciſcum Treviri. Culmina Franciſco tulerunt cautè Gigantes: Occidit infelix Franciſcus fragmine ligni.
O Richarde Epiſcope, qui viciſti Franciſcum hodie.
1525. Captus erat Gallus coëunt cum rure cohortes.
Crux Chriſti occidit ruſticos.
1526. Ecce Gallorum Rex inſignis Paviæ cecidit.
1527. Altera poſt captos Gallos populique furores
Æſtas te capta Roma cruenta fuit.
1529. Tabificè occidit multos ſudor truculentus.
1531. Weſtphaliæ Monaſterium capitur.
Ecce alienigenæ populique. Æthiopum fuerunt illic.
1540. Ferdinandus Rex Romanorum ingreſſus fuit Treverim 20 Maji.
1546. Ferdinandi Romanorum Regis filius Ferdinandus unà cum Duce Sabaudiæ & Hieron. Verallo Legato Apoſtolico ingreſſi ſunt Treverim 8 Martii.
1547. Saxoniæ Princeps nunc eſt à Cæſare captus
Landgraviusque miſer triſtia fata tulit.
Sicut cera, quæ fluit, auferentur, ſupercecidit ignis, & non viderunt ſolem;
Vide Breidenbachium in Pſalterio fol. 57.
1552. Marchio Trevericos vaſtavit belliger agros
Et cadit in Sacros Dux ferus, hoſtis atrox.
1557. Quintinum (S. Quintin) à Philippo Rege Hiſpaniarum captum 10 Auguſti.
Bis quinto Auguſti victoria prima Philippo
Obtigit; aſt Iuſtus Gallia victa tuus.
1558. Ferdinandus Rom. Rex electus eſt in Imperatorem Francofordiæ 14 Mart.
1576. Gelu vites perierunt 20 Aprilis.

F I N I S.

LEO-

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 90;Leibn. Marg. 90, Stück 1, [374] - 38
PUBLIC DOMAIN

LEODIENSIUM CANONICORUM,

Qui ex Illustribus familiis anno MCXLIII in loco residebant, nomina. [Hic Catalogus continet quædam nomina Principum, qui nunquam extitêre, itaque fabulositatis manifestus est, quia tamen aliquid veri ineſt, conservandum putavi.]

ANno Domini MCXLIII ipso die Lætare, Præsidente Sanctissimo Patre Domino Innocentio Papa II Ecclesiæ Romanæ, imperanteque Lothario, contigit fieri in civitate Leodiensi, quam S. Hubertus Bertrandi Aquitanorum Ducis filius fundavit, ac Episcopus primus rexit DCCXIII, obiit anno DCCXXX solennem processionem de Ecclesia S. Martini in monte ad Ecclesiam majorem, in qua contigerunt quæ sequuntur.

1. Idem Romanus Pontifex in dicta Ecclesia majorem missam celebravit.
2. S. Bernhardus Abbas Clarevallensis ibidem prædicavit.
3. Romanus Pontifex Lotharium Regem electum in Imperatorem coronavit.

His diebus erant in Ecclesia Leodiensi subscriptæ personæ residentiam facientes.

Alexander Filius Comitis Juliacensis, Episcopus Leodiensis XXIX.

FILII REGUM.

LOtharius, filius Lotharii Imperatoris, Præpositus Leodiensis.
Anselmus, filius ejusdem Imperatoris, Archidiaconus Condrosii.
Philippus, filius Regis Franciæ, Archidiaconus Hannoniæ.
Theobaldus, filius Regis Ungariæ, Archidiaconus Ardennæ.
Ogerus, filius Regis Daciæ, Archidiaconus Famemiæ.
Godofridus, ejusdem Regis filius, Archidiaconus Brabantiæ.
Guido, filius Regis Bohemiæ, Archidiaconus Hasbaniæ.
Philippus, filius Regis Navarræ, Archidiaconus Campyniæ.
Guido, filius ejusdem Regis, simplex Canonicus.

FILII DUCUM XIV.

BErtrandus, filius Ducis Bavariæ. Abbas secularis Thudinensis.
Waymo, frater ejus, secularis Abbas Mesinensis.
Guillermus, filius Ducis Saxoniæ, Cantor.
Conradus, filius Ducis Sueviæ, Præpositus Hoyensis.
Guido, filius Ducis Ardennæ, Doctor Sacræ paginæ, Decanus.
Cœlestinus, filius Ducis Normandiæ, Abbas de Eyke.
Carolus, filius Ducis Lotharingiæ, Custos.
Guido, Frater ejus, Scholasticus.
Franco, filius Ducis Austriæ, Præpositus Mechlinienſis.

Carolus

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 90;Leibn. Marg. 90, Stück 1, [375] - 39
PUBLIC DOMAIN

Carolus, filius Ducis Burgundiæ, Præpoſitus S. Dionyſii Leodienſis, Doctor.
Petrus, frater ejus, Præpoſitus S. Petri Leodienſis Doctor.
Ludovicus, filius Ducis Bituriæ, Abbas Daxavienſis.
Baretus, frater ejus, Abbas Cellenſis.

FILII COMITUM.

Godofridus, filius Comitis Lovanienſis, ſimplex Canonicus.
Sequinus, filius Comitis de Monhalt.
Simon, filius Comitis Hannonienſis, Abbas Anacenſis.
Balduinus, frater ejus.
Rynardus, filius Comitis Loſſenſis, Præpoſitus Foſſenſis.
Guido, filius Comitis Sabaudiæ, Abbas Namurcenſis.
Adalbertus, filius Comitis Geldriæ, Præpoſitus S. Martini; poſt Alexandrum depoſitum factus Epiſcopus.
Notgerus, filius Comitis Flandriæ, Præpoſitus S. Johannis Leodii.
Petrus, filius Comitis de Zeyne, Præpoſitus S. Pauli Leodii.
Ogerus, Frater ejus, Præpoſitus S. Crucis Leodii.
Rogerus, filius Comitis Viennenſis in Ardenna.
Arnoldus, filius Comitis Claremontenſis, Abbas Dyonenſis.
Albertus, filius Comitis Namurcenſis.
Henricus, frater ejus.
VVilhelmus, filius Comitis Juliacenſis.
VValo, filius Comitis de Monte acuto, Abbas Tongrenſis.
Falco, frater ejus, Abbas S. Mariæ Trajectenſis.
Henricus, filius Comitis Lutzenburgenſis, (alii Lymburgenſis) poſt Adalbertum ſive Alberonem electus Epiſcopus Leodienſis.
Johannes, filius Comitis de Rupe in Ardenna.
Arnoldus frater ejus.
Gerhardus, horum duorum frater.
Laurentius, filius Comitis de Treſte.
Paulus, frater ejus.
Johannes, horum duorum frater.
Petrus, filius Comitis de Polonia, Decretorum Doctor.
Guido, filius Comitis Provinciæ.
Henricus, frater ejus.

FILII BARONUM & NOBILIUM.

Boynus de Naſſau.
Sebaſtianus de Haſtallis, Decretorum Doctor.
Rodulphus de Pratis, hi duo fuerunt fratres, &
Godofridus de Pratis, Sacræ paginæ Profeſſores.
Leodericus, filius Domini de Marialmex, Doctor Theologiæ.
Ingerandus de Fleron, legum Doctor.
Rynaldus de Falcomonte, adhuc Scholaris.

FINIS.

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 90;Leibn. Marg. 90, Stück 1, [376] - 40
PUBLIC DOMAIN

GESTA TREVERORUM
AB URBE CONDITA USQVE AD ANN. Ch. M C XXXII.

Incipiunt Gesta Treverorum.

CAP. I.

ANNO ante urbem Romam conditam Mo CCmo Rex Asiriorum nomine Nynus primus ut historici volunt propagandæ dominationis libidine arma foris extulit cruentamqve vitã qvinqvaginta annis per totam Asiam bellis egit à meridie atqve mari rubro surgens sub ultimo septentrione Euxinum pontum vastando perdomuit, Scitiamqve barbaricam adhuc tunc imbellem & innocentem. [f. innocentia] torpentem excitare volens seviciam vires suas nosse, & non lacte pecudum sed sangvine hominum vivere, & ad postremum vincere dum vincit, docuit. Novissimè Zoroastrem Bactrianorum Regem, eundemqve, ut fertur, magicæ artis repertorem, pugna oppressum interfecit, post ipse

ipse dum deficientem à se oppugnat civitatem, sagittæ ictu interiit, relicta uxore Semirame cum duobus filiis Trebeta & Nyna, qvorum primus scilicet Trebetas ex Regina qvadam Chaldæorum quam ante Semiramem duxerat. Nynas [Nynus] autem de Semirame natus erat. Occiso autem [ergo] Nyna [Nino] Semiramis privignum suum scilicet Trebetam maritum ducere voluit, eumqve renitentem & execrantem, invidia & libidine stimulata tam diu persecuta est, donec eum patria pelleret & regno. Pulsus igitur dum [cum] diu longeqve sedes vagando quæreret, & non inveniret, cœpit ex diuturni itineris fatigatione tædere, & ubinam sibi fata quiescendum consulerent missione sortis inquirere. Sors obtulit Europam, quæ est tertia orbis licet quidam Secundã affirment, & Africam non per se partem esse sed ad Europam pertinere contendant. Transfretato mari mediterraneo quod ab Asia dividit Europam, pervasta solitudinum & invia saltuum venit ad Mosellam in cujus litore reperit vallem speciosam aquis irriguam, silvis nemorosam, montibus undique circumseptam. Captus amœnitate loci ibidem subsistere delegit urbemque constituit quam ex suo nomine Treberim appellavit.

Cap. II.

ANno ante Romam conditam M^{o} CC^{mo} L^{mo}. urbs Treberis in Europâ ab auctore Trebeta profugo filii Belis, parvo adhuc nomine condita est Anno septimo [70.] ætatis Abrahæ, Patriarchæ, Originem gens qvæ incoluit eam de Gomer filio Jafeth filii Nöe nomine duxit, & ex candore corporum nomen assumsit gens & urbs antiquissima anteqvam in Europa gentes neque urbes fuere, Sed qvæ sunt vel ex illa vel post illam esse cœperunt,

Nœ

Noë quippe tres filios habuit, Sem Cham & Jafeth. De Sem nati ſunt Hebræi, Chaldæi & Græci. De Cham Affrici & Getuli, De Jafeth, Ytali, Galli & Hispani. Sem poſſedit Indiam, Meſopotaniam, Syriam, Paleſtinam, Armeniam & ceteras Aſiæ provincias. Cham tenuit Ægyptum, Æthiopiam, Numidiam & totam Africam. Jafeth ſortitus eſt Hiſpaniam, Betigam, [Bæticam, forte] Luſitaniam, Aqvitaniam, Britanniam, Germaniam, Belgicam; Galliam togatam, Braccatam, Cisalpinam, Transalpinam; Pannoniam, Italiam Rurriam [f. Hetruriam] Liguriam, Dalmatiam, Illuricum, Bizemilia [Bohemiam] cunctamque Europam.

Cap. III.

TRebeta mortuo Hero filius in principatu ſucceſsit, qvi patrem ſecundum ritum gentilium [gentiliratis] igne combuſtum in vertice Jurani montis tumulavit, cui & aras inſtituit, & ſibi ſubjectis ut Deum colere & adorare præcepit; Error magnus & à Nyno ipſius Heronis avo adinventus, qvi primus patris ſui Belis ſimulachrum fudit & hominem pro Deo venerari juſsit. Hero patris ſui merita tabulæ marmoreæ inſcripſit, qvam ad ejus memoriam pariter & futurorum notitiam cum eo recondidit ad inſtar hujuscemodi.

Nini Semiramis, qvæ tanto conjuge felix
Plurima poſsedit ſed plura prioribus addit.
Nec contenta ſuis nec totis finibus orbis,
Expulit a patria privignum Trebeta regno.
Profugus inſignem noſtram qvi condidit urbem
Treberis huic nomen dans ob factoris amorem

Qvæ

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 90;Leibn. Marg. 90, Stück 1, [379] - 3
PUBLIC DOMAIN

Qvæ caput Europæ cognoscitur à veritate
[anteritate]
Filius hujus Hero patris hæc epigrammata pono
Cujus ad inferias hic cum Jove Mars tenet aras
Sidere concordi pax est non dissocianti &c.

Cap. IV.

POst Heronem Treberorum ex ipsa gente orti principes extiterunt & duces. Namque Treberenses & numero aucti & opibus urbem suam munire & modis omnibus decreverunt adornare, Primo itaque ad aqvilonalem plagam urbis ex qvadris lapidibus cũ turribus magnis ædificaverunt portam ipsa sui magnitudine & minaci proceritate mirabilem eamque portam nigram portam martis appellavere, cujus lapides non cemento aliquo sed ferro conglutinabantur & plumbo [f. Dixere portam] martis qvi Deus belli credebatur, [f. quia] Per hanc portam bellum gesturi proficiscebantur; nigram autem ob tristitiam, quia [quando] de bello fugientes per eandem tristes revertebantur. Campus autem longitudine & latitudine spatiosus Campus Martis vocabatur, ubi tyrones armis instruebantur. Secunda deinde porta ad ortum solis cum turribus speciosis est ædificata ad quam victores de bello revertentes totius civitatis occursu excipiebantur & lætitia, & ob hoc alba porta nominata. Tertia porta ad plagam meridianam cum turribus firmis & altis in medio urbis est constituta eaque de causâ porta media nuncupata. Forum vero venatium maximum ante hanc portam constitutum habebatur. Locus etiam quo mortui ad sepeliendum efferebantur. Qvarta porta versus occidentem constructa est ad litus Mosellæ, qvæ mira sui operositate & turrium in compa-

comparabili pulchritudine ceteras portas excelluit & ab hoc portæ inclytæ vocabulum ſumſit. Hanc portam ſtellis ex auro factis mirabiliter pinxere, qvæ portui navium proximum nocte dieque luminis officium præbuere. Fecerunt ibidem & Capitolium maximum templumq; idolorum, in quo non minus quam centum ſtatuta ydola generaliter ab omni populo colebantur, & per ea miſeri reſponſis dæmonum ac variis præſtigiis deludebantur. Fecerunt etiam in honorem Mercurii quem Deum ſummum inter Deos & homines quaſi mediatorem & arbitrum pacis arbitrabantur, Fornicem magnæ altitudinis, in qva ferream imaginem miræ magnitudinis ejusdem Mercurii quaſi volantem in aere pendere fecerunt cum ſcriptura hujuscemodi.

Ferreus in vacuis pendet caducifer auris. Erat autem lapis magnes unus in ſummitate alter, unus in pavimento fornicis junctus, cujus naturalis vis è regione ferrum ſibi aſcivit ſicque ferrum ingens quaſi dubitans in aere pependit.

Cap. V.

NOn longe ab hinc ſuper Moſellam ex magnis lapidibus ferro plumboque compactis pontem conſtruxere qvem nulla vetuſtas labefactare nulli fluctus poſſunt diſſolvere. Feceruntque per diverſa urbis loca turres firmas & altas, Capitolia, palatia, templa, ſtatuas, thermas, lavacra theatra. Sub terra etiam intra urbem & extra & in omni ſua poteſtate ignorantibus qvædam veritatem incredibilia multa fecere. Siquidem aquarum habundantiam habere cupientes, rivulum qui à modernis olevia [olima] dicitur ſub monte jurano introduxere, qui diviſus in partes vix mediæ civitati ad uſum ſufficere potuit. Tunc rivulum nomine Ruverias [Ruvearias] miliario ab urbe ſecundo alterum rivulum

qui ruvora vocatur marmore habundans in fluente primo ſuper eandem ruvoram lapideis fornicibus deinde per divexa montium latera & vallium profunda ducentes, univerſæ civitatis plateas viventibus aquis implevere, qvæ interdum pluvialibus aquis adauctæ cunctas platearum ſordes in Moſellam vexere. Hunc autem rivulum poſterius nominatum introducendum ſimul & amphitheatrum conſtruendum Catholdus Princeps ſorte acceperat, qui cum heſitaret, quomodo illum tam longe per tot montes & valles circumduceret, ſervus domeſticus ſumpta fiducia ſpondet firmisſimè ſibi datis impenſis eum ſe in urbe præſentaturum, quocunque die dominus amphitheatrum foret perfecturus. Reluctari Dominus graviter cœpit, & hoc eum nequaquam eſſe facturum aſſeverare, tandem hoc pacto finem dedere certamini ut ſi die conſtituta ſervus quod promiſerat minus implesſet, à Domino capite plecteretur. Si verò effectum demonſtrasſet pari modo dominus à ſervo puniretur. Animaverat ſervum ad hoc facinus uxor domini ſui, quæ mentita fide maritati ſæpius cũ eo in adulterio miſcebatur, quid plura? Coeptum opus fervebat utrinque, ſervus interim contrariis conjugis ſtudiis & ſumtibus juvabatur, dum maritus necem ſervi vitam ſibi, mulier necem mariti vitam ſervi conrivalis operiebatur. Die denominata perfectum erat Amphitheatrum, & aquæ ductus qui ex inſcitia undique obſtruſus cum nulla in ſe admitteret aurarum ſpiramina, impeditæ aquæ non per venere ad deſtinata. Anxium de hac re ſervum mulier inceſtuoſa nocte die illam præcedente occultat ſub lectulo in quo ipſa cum marito hujusmodi habuit mentionem. Eja inquit maritus ſervus ille noſter quam confuſus & dejectus eſt, qui tam ſuperbe gloriatus eſt. Ego autem novi qua arte poſſet ſibi cito conſulere, Tunc mulier virum aggreditur rogat ſibi artem indicari, pollicetur fidem ſilentii illicit [ilicet] perſvadet, poſtremo hoc ab eo reſpon.

ſponſum accepit. Si inquit quibusdam in locis quantum jactus eſt lapidis ab invicem diſtantibus parvo foramine aquæ ductum irrumperet, ſine mora curſum ſuum aqua perageret. Hoc avido auditu percepto paulo poſt ſoporato domino ſervus clanculo egreditur accitisque operariis celerrime qvod doctus erat implet, & ſecum aquam pariter urbi præſentavit. Qvod ubi Catholdus mane comperit, ejus clamante ſervo, Domine ecce aqua, volens dedecoroſum ſervilis mucronis jugulum prævenire ſceleratæ uxori funeſta imprecatus raptam eam ſecum ex amphiteatro præcipitavit & æternum loco vocabulum, id eſt Catholdi ſolarium, indidit.

Cap. VI.

ERat itaque civitas non ſolum humanis laboribus valde munita, ſed & naturaliter [naturalibus] fluminibus ſilvis ac montibus arduum & anguſtum iter pandentibus vix acceſsibilis, & munitisſima. Montibus jure [vel jurano] & Cebenna [Gebenna] quorum alterum Caſtellum ſuper poſitum ad tutelam urbis continebat. Succeſsu deinde temporum proſperoque eventu bellorum finitimis undique gentibus & urbibus devictis jugum impoſuerunt, in quibus quinque urbes nobiliſsimas in ripa Reni fluminis conſtitutas hoc eſt Baſileam, Argentinam, Wangiam, Mogontiam, Coloniam, [Ubiorum urbem] cum populis ſuis ſubjugaverunt à qvibus & plurimum vectigal annualiter [anualiter] accepere & eo longe lateque dominari cœpere.

Cap. VII.

POſt multos vero annos hæ quinque urbes libertatem ſibi propriam vendicare cupientes, rebellaverunt & cenſum debitum XXX^ta annis continuis perſolvere noluerunt, ſed grando de cœlo veniens cum maximo agrorum &

vinearum detrimento eas populabatur. Hinc rumor & timor magnus increvit civibus illis, putantibus hanc tempestatem grandinis a diis Trevirorum sibi propter retentum vectigal adinferri. Et idcirco inito consilio censum triginta annorum collectum Treberis retulerunt, & deinceps se soluturos qvotannis spoponderunt. Tunc Treberenses statuam pretiosi marmoris erexerunt & super eam Jovem, scutulam [scutellã] auream duorũ pedum latitudinis in manu tenentem hoc verborem ordine caraxatam [characteratam] jovi vindici Treberorum ex censu qvinque urbium Reni per tria decennia denegato, sed cœlesti igne & terrore extorto placabile holocaustum. Item: Ignibus haut mixtus adolet tymiamata discus. Hoc, autem mechanica arte factum erat, ut thure vel alia qualibet specie scutellæ injecta sine igne fumum odoriferum flagrans exhiberet. Ne tamen spes ipsa in aliqvo minuta deficeret, in urbe etiam lingonis [Lingonum] ad usque quam suam potestatem extenderant, super portam in lapide ad huc scriptum legitur. Huc usque jura Treberorum. Cum Remensibus fœdus & amicitiam iniere propterea quod Remenses portam construxere eamque trebericam appellavere.

Cap. VIII.

Treberi & Remenses principales sunt in Gallia Belgica. Nam Gallia trifariam dividitur in Galliam comatam braccatam & togatam. Gallia comata postea dicta est Gallia Belgica à Belgio Treberorum duce, ex cujus nomine Trevires dicuntur Belgæ Cum qvo & Belgio portio maxima Gallorum in Græciam transivit hoc modo; namque Galli cum tanta habundarent multitudine ut eos non caperent terræ quæ genuerant, trecenta millia hominum ad sedes novas quærendas emiserunt. Ex his portio in Italia consedit

qvæ

qvæ sedibus propriis Tuscos expulit & civitates has Mediolanum, Ariminum, Comum, Brixiam, Veronam, Pergamum, Tridentũ, Vicentiam [Vincentiamq;] condidit. Portio Illiricos sinus ducib⁹ avib⁹, nam auguriandi studio Galli præter cæteras callent [valent] per strages barbarorum penetravit, & in Pannõia cõsedit, gens aspera, audax & bellicosa, quæ prima post Herculem cui res ea virtutis admirationem & immortalitatis fidem dedit, alpium invicta juga & frigore intractabilia loca transcendit. Ibi domitis Pannoniis per multos annos cum finitimis varia bella gesserunt. Hortante deinde successu divisis agminibus alii Græciam alii Macedoniam, omnia prosternentes, ferro petivere, tantusque terror gallici nominis erat ut etiam Reges non lacessiti pacem ultro ingenti pecunia mercarentur. Solus Rex Macedoniæ Ptolomæus adventum Gallorum intrepidus audivit, hisque cum paucis & incompositis, furiis parricidiorum agitatus, occurrit. Igitur Galli duce Belgio ad temptandos Macedonum animos legatos ad Ptolomæum mittunt, offerentes, pacem, si emere velit. Ptolomæus inter suos belli metu pacem Gallos petere gloriatus est nec minus ferociter se legatis qvam inter inimicos jactat, aliter se pacem daturum negando, nisi principes suos obsides dederint & arma tradiderint. Non enim se fidem nisi inermibus habiturum. Renunciata legatione risere Galli, undique acclamantes brevi sensurum sibi an illi consulentes pacem obtulerint. Interjectis diebus prælium conseritur; victi Macedones cæduntur Ptolomæus multis vulneribus saucius capitur, [cæditur] caput ejus amputatum & lancea fixum tota acie ad terrorem hostium circum fertur, paucos ex Macedonibus fuga servavit, ceteri aut capti aut occisi.

Cap. IX.

CAP. IX.

TAntæ fecunditatis ea tempestate Gallorum fuit juventus, ut Asiam omnem velut examine aliquo implerent, denique neque reges orientis sine mercenario Gallorum exercitu ulla bella gesserunt, neque pulsi regno ad alios qvam ad Gallos confugerunt, tantus terror Gallici nominis & armorum invicta erat felicitas ut aliter neque majestatem suam tutam neque amissam recuperare se posse sine Gallica virtute arbitrarentur. Itaque in auxilium à rege Bithyniæ vocati cum eo regnum parta victoria diviserunt, eamque regionem ex Gallis & Græcis composito nomine Gallo-Græciam agnominaverunt. Ibi exercitus Treberorum pars in patriam remissa, & pars quæ remansit Gallicum genus procreavit & duas linguas deinceps in usu habuit id est Gallicam & Græcam, denique Gallathæ qui ex Gallo-Græcis orti sunt excepto sermone Græco, quo omnis oriens loquitur eandem pene proprietatem sermonis habent quam Treberi; nec refert si aliqua exinde corruperint, cum & Afri Fenicum linguam nonnulla parte mutaverint & latinitas ipsa & regionibus cottidie immutetur & tempore, [temporibus.]

CAP. X.

IGitur Treberorum ducatus longè lateque dilatatus adusque tempora Romanorum mansit inviolatus. Deinde etiam Romani cum totum orbem armis & prudentia domuissent, amicitiam cum Treberensibus & fœdus firmissimum iniere, & hanc urbem, propter antiquam nobilitatem & civium sibi quodammodo parem dignitatem, secundam Romam appellavere. Tunc etiam Treberi romana jura & leges habere cæperunt quas usqve in hodiernum diem habere noscuntur. Eisdem temporibus venit ad Treberim Arimaspes [Arismaspes] urbis RomæSenator & rector volens auditam sepius de tre-

de treberibus virtutũ eminentiam ipsa suimet melius experiri sententia. Cui Treberi idem quod in Romana urbe administraverat rectoris officium commisere, & egregium virum tanta liberalitate & amicitia fovere ut nequaquam ulterius cuperet ad patriam remeare. Adhuc autem eo Romæ [Romanum] jus regente contigit quendam nomine Epten reum ab ipso Arimaspe capite condemnari, qui judicium fugiens hac & illac incertus vagabatur & profugus. Hic ergo ubi fama volante cognovit qualibus honoribus Arimaspes in Treberi floreret invidit, & mortem sibi olim ab ipso destinatam ulcisci desiderans Treberim venit, ubi se nemine agnoscente & ob hoc nihil siniştri suspicante, tandem post multa Arimaspem inventum occidit. Qvi sentiens hoc se vulnere mortem non posse effugere in porta Martia se rogat sepeliri, & hoc epithaphium ad gratiam Trebirorum sepulchro super inscribi;

Exul Arimaspes hac martis in arce quiesco,
Belgica Roma mei non mea digna fuit
Jure bono meritorum nobilitate triumphis
Dii tueantur ei pax [pars] nisi roma nihil
Vulneror Epte reo consul primusque senator
[Senatûs]
Hic gaudete mei, sic meruisse mori.

CAP. XI.

ANno V^to^ ante incarnationem Domini L^mo^. Cum Julius Cæsar ad Gallias de Roma fuisset missus treberim, quorum inter Gallos opinio est virtutis singularis, auxilium equitum Cæsari miserunt, sed cum apud Attrebatas & Viramandos pugnandum foret, & viderent romanorum castra multitudine hostium compleri, legiones premi & pene circumventas teneri, calones, equites, funditores Numidas diversus

versos dissipatosque in omnes partes fugere vidisent, desperatis Romanis domum contendere voluerunt, Romanos pulsos superatosque castris impedimentisque eorum hostes potitos civitati renunciaverunt, deinde inito consilio neque ad concilia Cæsaris veniebant neque imperio parere Romanorum volebant, Germanosque trans Rhenanos contra Romanos solicitare cæperunt. Hac de causa Cæsar cum legionibus IIIJor & equitibus Octingentis in fines Treberorum profectus est. Hæc civitas longe plurimum totius Galliæ equitatu valebat, magnasq; copias peditum habebat, Renũ ut supra docuim9 tangens. In ea duo de Principatu contendebant, Induciomarus & Cingetorix. Ex quibus alter ubi de Cæsaris legionumque adventu cognitum est ad eum venit se suosque omnes in officio futuros confirmat, neque ab amicitia reipublicæ defecturos, neque reos se, quæque in treberis gerantur ostendit. At Induciomarus equitatum peditatumque cogere, eisque qui per ætatem in armis esse non poterant, in Arduennam silvam abditis quæ silva totius Galliæ maxima est, & ingenti magnitudine permedios fines trebirorum à flumine reno ad initium Remorum pertinet, bellum pararé instituit. Sed postea qvam nonnulli principes ex ea civitate & auctoritate Cingetorigis adducti & adventu Romani exercitus perterriti ad Cæsarem venerunt & de suis privatis rebus ab eo petere ceperunt, quoniã suæ civitati cõsulere nõ possent; Induciomar9 veritus ne ab omnibus desereretur, legatos ad Cæsarem mittit, sese idcirco à suis discedere atque ad eum venire noluisse, quo facilius civitatem in officio retineret ne omnis nobilitatis discessu plebs propter imprudentiam laberetur. Itaque civitatem in sua potestate esse seque si Cæsar permitteret ad eum in castra venturum civitatisque fortunas ejus fidei permisurum. Cæsar & si intelligebat qua de causa ea dicebantur, quæque eum res ab instituto consilio deterreret, tamen ne æstatem

tem in treberis conſumere cogeretur, omnibus rebus ad Britannicum bellum comparatis, Induciomarum ad ſe cum ducentis obſidibus venire juſſit. Hos adductis filiis propinquisque ejus omnibus quos Cæſar nominatim evocaverat conſolatus induciomarum hortatus eſt ut in officio permaneret. Nihil tamen egit aliud, ſed principibus trebirorum ad ſe convocatis eos ſingillatim Cingetorigi reconciliavit, quod cum merito ejus ab ſe fieri intelligebat, tum magni intereſſe arbitrabatur ejus auctoritatem & inter ſuos qvam plurimum valere, cujus egregiam voluntatem in ſe perſpexiſſet. Id factum graviter tulit Induciomarus, ſuam gratiam inter ſuos minui & qvi jam ante inimico animo in Romanos fuisſet multo gravius hoc dolore exarſit.

CAP. XII.

BEllo igitur Britannico confecto cum frumentum Galliæ propter ſiccitates anguſtius proveniſſet, coactus eſt Cæſar aliter quàm ac ſuperioribus annis exercitum in hyberna collocare, legioneſque in plures civitates diſtribuere. Ex quibus unam cum Tyto Labieno in confinio Treberorum & Remorum hyemare juſſit, alteram cum Titurio Sabino & Cotta in Eburronas quorum pars maxima eſt inter Rhenum & Moſam ſub imperio Ambiorigis ad hyemandum miſit. Induciomarus miſſis nunciis Ambiorigem impulit ut legiones cum legatis in ſuis finibus hyemantes occideret, quas cum Ambiorix inſidiis circumventos funditus interfeciſſet, Induciomarus magnas armorum copias habens, poſtquam etiam de conſenſu totius Galliæ certior factus eſt, Labienum Legatum legionemq; cui is præerat, quod facile factu arbitrabatur delere ſtatuit ac deinde Eburronibus Nerviisque conjunctus eſt & ad opprimendum Cæſarem pergere. Labienus interitu Sabini & cæde cohortium cognita cum omnes ad eum Treberorum copiæ conveniſſent, veritus ſi ex hyber-

nis

nis fugæ similem profectionem feciſſet, hoſtium impetum ſuſtinere non poſſet, præſertim quos recenti victoria efferri ſciret, literas Cæſari mittit quanto cum periculo legionem ex hibernis educturus eſſet, rem geſtam in Eburronibus perſcripſit, docet omnes equitatus peditatuſqve trebirorum tribus millibus paſſuum à ſuis caſtris conſediſſe. Cæſar mira celeritate venit ad Nervios, ibique copias Ambiorigis Ciceronem legatum cum legione ſecunda delere meditantes, Ambiorige fugato celeriter ſuperavit eaq; de victoria Labieno velocisſimum nuncium miſit. Hac fama ad treberas perlata, Induciomarus, qui poſtero die caſtra Labieni oppugnare decreverat, noctu fugit omneſque copias in trebiros reduxit. Deinde totius ſequentis hyemis nullum tempus interniſerunt, quin trans Rhenum legatos mitterent civitates ſolicitarent pecuniaſque pollicitarentur, magna parte exercitus Romani interfecta minorem dicerent ſupereſſe nec tamen ulli civitati Germanorum perſvaderi potuit ut Rhenum tranſirent cum ſe ex his expertos eſſe dicerent Arioviſti bello, non eſſe fortunam temptandam. Hac ſpe lapſus Induciomarus nihilominus copias cogere, arma exercere à finitimis comparare, exules dampnatoſque tota Gallia magnis præmiis ad ſe allicere cepit; ac tantam ſibi jam his rebus in Gallia auctoritatem comparaverat, ut undique ad eum legationes concurrerent, gratiam amicitiamque ejus publice privatimque peterent. Ubi intellexit ultro ad ſe veniri altera ex parte Senones Carnotesque conſcientia facinoris inſtigari, altera Nervios Attuaticosque bellum Romanis parare neq; ſibi voluntariorum copias defore, ſi ex finibus ſuis progredi cepiſſet, armatum concilium indicit. Hoc more Gallorum initium eſt belli, in quod communi lege omnes puberes armati convenire coguntur, *qui ex his novisſimus venit in conſpectu multitudinis omnibus cruciatibus necatur.* In eo concilio Cingetorigem

gem alterius Principem factionis, generum suum, quem supra demonstravimus Cæsaris fidem secutum ab eo non cessisse, hostem judicandum curat bona ejus publicat. His rebus confectis in concilio pronuntiat accersitum se ab omnibus Senonibus & Carnotibus aliis compluribus Galliæ civitatibus hoc iter facturum per fines Remorum eorumque populaturum agros ac prius qvam id faciat castra Labieni oppugnaturum, & qvæ fieri velit præcipit.

CAP. XIII.

Labienus cum & loci natura & manu munitissimis castris se teneret de suo & legionis periculo nihil timebat, & neqvam occasionem rei benè gerendæ dimitteret cogitabat. Itaque à Cingetorige atque ejus propinquis oratione Inducimari cognita, quam in Concilio habuit, [nuntium] circummittit ad finitimas Civitates equitesque undique evocat; his certum diem conveniendi dicit: interim prope qvotidie cum omni equitatu Induciomarus sub castris ejus vagabatur alias ut situm castrorum cognosceret, alias colloqvendi aut territandi causa; eqvites plerumque omnes tela intra vallum conciebant. Labienus suos intra munitiones continebat timorisque opinionem quibuscunque poterat rebus augebat, cum majore in dies contemtione Induciomarus accederet, nocte una intromisis equitibus omnium finitimarum civitatum quos accersendos curaverat tanta diligentia omnes suos custodiis intra castra continuit, ut ea res nulla ratione enuntiari aut ad trebiros perferri posset. Interim Induciomarus ex consvetudine quotidiana ad castra accedit atque ibi magnam partem diei consumit equites tela conjiciunt & magna contumelia verborum Romanos ad pugnam evocant; nullo autem à Romanis responso dato, ubi visum est sub vespero dispersi ac dissipati discedunt. Subito Labienus duabus portis omnem equitatum emittit, præcipit atque interdicit, perterritis hostibus, atque in fugam conjectis, quod fore, sicut accidit, vide-

videbat, omnes unũ petant Induciomarũ neve quisquam prius aliũ vulneret qvam illum interfectum videret, qvod mora reliquorum spatium nactum illum effugere nolebat; magna proponit his qvi occiderint præmia, submittit equitibus cohortes subsidio. Consilium hominis comprobat fortuna & cum unum omnes peterent in ipso fluminis vado deprehensus Induciomarus interficitur, caput ejus refertur in castra, redeuntes equites quos possunt consectantur & occidunt. Hâc re cognita omnes Eburonum & Nerviorum quæ convenerant copiæ discedunt pauloque habuit post id factum Cæsar Galliam qvietiorem.

CAP. XIV.

INterfecto Induciomaro ad ejus propinquos à trebiris imperium defertur. Illi finitimos Germanos sollicitare & pecuniam polliceri non desistunt. Cum à proximis impetrare non possent, ulteriores temptant, inventis nonnullis, civitates jure jurando inter se confirmant obsidibusque de pecunia cavent, Ambiorigem sibi societate & fædere adjungunt. Qvibus cognitis Cæsar concilio habito cum reliqvi præter Senones & Carnutas trebirosque venissent, totus & mente & animo in bellum treberorum & ambiorigis succensus, cum Senonibus Carnutisque pacisci tur acceptis eorum obsidibus. Erant menapii propinqui Eburonum finibus perpetuis paludibus silvisque muniti, qvi uni ex Gallia de pace ad Cæsarem non miserant. Cum his erat hospitium Ambiorigi, idem per trebiros in amicitiam germanorum pervenerant. Hæc prius Ambiorigi detrahenda auxilia existimabat quam ipsum bello lacessere. Hoc inito consilio totius exercitus impedimenta ad Labienum in trebiros mittit, duosque ad eum legiones proficisci jubet, ipse cum suis legionibus expeditis quinque in Menapios proficiscitur illi nulla coacta manu loci præsidio freti in silvas & paludes confugiunt, suaque eodem conferunt

Cæsar

Cæſar partitis copiis cum centurione Fabio & Marco Craſſo qvæſtore celeriter effectis pontibus adit tripertito, ædificia vicosque incendit magnoque pecoris atque hominum numero potitur. Quibus rebus coacti Menapii legatos ad eum pacis petendæ cauſa mittunt: ille obſidibus acceptis hoſtium ſe numero eos habiturum confirmat, ſi aut treberos aut Ambiorigem aut eorum legatos finibus ſuis accepiſſent. His rebus confirmatis Comitum Attrebatem cum eqvitatu cuſtodis loco in Menapiis relinqvit.

CAP. XV.

INter hæc treberi magnis coactis peditatus equitatusque copiis Labienum cum una legione qvæ in eorum finibus hyemabat, adoriri parabant jamque ab eo non longius via bidui aberant, cum duas veniſſe legiones miſſu Cæſaris cognoſcunt, poſitis caſtris a milibus paſſuum XV auxilia Germanorum expectare conſtituunt. Labienus cognito hoſtium conſilio ſperans temeritate eorum aliqvam fore dimicandi facultatem, qvinque cohortibus præſidio impedimentis relicto cum viginti qvinque [triginta qvinque] cohortibus magno equitatu contra trebiros proficiſcitur & mille paſſuum relicto ſpatio caſtra communit. Erat inter eos & Labienum difficili tranſitu flumen ripisque præruptis. Hoc neque ipſe tranſire in animo habebat neque treberos tranſituros exiſtimabat. Augebatur quotidie auxiliorum ſpes treveris Labien⁹ loqvitur in concilio palam: cum Germani appropinqvare dicantur ſeſe ſuas exercitusque fortunas in dubium non devocaturum & poſtero die prima luce caſtra moturum. Celeriter hæc ad trebiros deferuntur, & ex magno ſuorum eqvitatus numero non nullos Gallicis rebus favere natura cogebat Labienus nocte tribunis militum primisque ordinibus coactis qvid eſſet ſui conſilii proponit & qvo facilius det hoſtibus timoris

moris suspicionem majore strepitu & tumultu qvam publicæ rei fert consvetudo, castra moveri jubet. Hiis rebus fugæ similem profectionem efficit. Hæc quoque per exploratores ante lucem ad Trebiros deferuntur. Vix agmen noviſſimum extra munitionem processerat cum Galli cohortati inter se ne speratam prædam ex manibus dimitterent, longum esse perterritis Romanis Germanos expectare neque suam pati dignitatem ut tantis copiis tam exiguam manum præsertim fugientem adoriri non audeant, flumen transire & in loco iniqvo bellum committere non dubitarunt. Qvod fore suspicatus Labienus ut omnes citra flumen eliceret eadem usus simulatione itineris placide egrediebatur. Cum remissis paululum impedimentis atque in tumulo qvodam collocatis cohortatus milites simul signa ad Gallos converti aciemque dirigi jubet, paucis turmis ad impedimenta dimissis, reliqvos eqvites ad latera disponit. Romani celeriter clamore sublato pila in trebiros mittunt. Illi ubi præter spem quos fugere credebant, infestis signis ad se ire videre, impetum modo ferre non potuerunt ac primo concursu in fugam conjecti, proximas silvas petierunt qvos Labienus eqvitatu consectatus magno numero interfecto, compluribus captis, paucis post diebus civitatem recepit. Nam Germani qui auxilio venerant, percepta treberorum fugâ sese domum contulerunt. Cum hiis Induciomari propinqui, qui defectionis autores fuerunt, comitati eos ex civitate excesserunt, Cingetorigi qvem ab initio permansisse in officio demonstravimus principatus atque imperium est traditum.

CAP. XVI.

CÆsar verò postquam ex menapiis venit in trebiros, duabus ex causis Renum transire voluit, qvarum erat altera qvod contra se auxilia treberis miserant, altera ne Ambiorix receptum ad eos haberet. Firmo in Trebiris præsidio

sidio ad pontem relicto nequis ab hiis subito motus oriretur, cum reliquis copiis contra Svevos qvi auxilia treberis miserant Renum transivit. Non alienum videtur esse, de moribus trebirorum vel Gallorum proponere quibus videlicet morib' ex parte fœdus est læsum, quod cũ Rõanis habuerant. In treberis non solum in omnibus pagis & partibus, pene etiam in singulis domibus, factiones earumque factionum principes fuerunt, qvi summam autoritatem ex juditio habebant, qvorum ad arbitrium judiciumque summa omnium rerum consiliorumque redibat, idque ejus causâ antiquitus institutum est, ne qvis ex plebe contra potentiorem auxilii egeret suos enim quisque opprimi & circumveniri non patitur, neque enim aliter si faciant ullam inter suos habent autoritatem. Hæc eadem ratio est in summa totius Galliæ namque hæc civitas ideo detrimentum sustinuit qvod alterius factionis erat Induciomarus, alterius Cingetorix.

CAP. XVII.

IN ea sicut in omni Gallia, eorum hominum qui in aliquo numero & honore censentur genera erant duo, nam plebs pene servorum habebatur loco, quæ per se nihil audebat, nulli adhibebatur consilio plerique cum ære alieno aut magnitudine tributorum aut injuria potentiorũ premebantur, in servitutem se dicabant nobilibus, in hos omnia jura quæ domini in servos. Sed de his duobus generibus alterum erat, Druidum hoc est Philosophorum, alterum equitum. Illi rebus divinis intererant; sacrificia publica ac privata procurabant, religionem interpretabantur, ad hos magnus adolescentium numerus disciplinæ causa concurrebat, magnoque hii erant apud eos honore; nam fere de omnibus controversiis publicis privatisque constituebant, & si quod facinus admissum, si cædes facta, si de hæreditate de finibusqve controversia erat, iidem decernebant præmia pænasqve constituebant. Si

Si quis autem privatus aut populus eorum decreto non obediebat, interdicebant. Hæc pæna apud eos gravisſima, ab hiis omnes diſcedebant aditum ſermonemqve fugiebant, ne quid ex communione incommodi acciperent, neque hiis petentibus jus reddebatur, neque honor ullus communicabatur. Hiis autem omnibus Druidibus præerat unus, qui ſummam inter eos habebat autoritatem. Hoc mortuo ſi quis ex reliquis excelluit dignitate, ſucceſſit, aut ſi erant pares plures, ſuffragio Druidum eligebatur. Nonnunquam etiam armis de principatu contendebant. Hii certo tempore anni in finibus Carnotum, quæ regio totius Galliæ habetur media, conſidebant in loco conſecrato; huc omnes undique qui controverſias habebant conveniebant, eorumqve decretis judiciisque parebant. Diſciplina in Britannia reperta atqve inde in Galliam translata exiſtimatur. Et qui diligentius eam rem cognoſcere volebant plerumque illo diſcendi cauſa proficiſcebantur. Druides immunes a bello eſſe conſveverant neque tributa unquam cum reliquis pendebant, militiæ vacationem, omniumque rerum habebant immunitatem. Tantis excitati præmiis, multi & ſua ſponte in diſciplinam veniebant, & à parentibus propinquisque mittebantur. Itaque nonnulli annos vicenos in diſciplina permanebant, neque fas eſſe exiſtimabãt, eam literis mandare, cum in reliquis rebus fere publicis privatiſq; rationib⁹ Græcorúm uterentur literis. Id nobis duabus ex magnis cauſis inſtituiſſe videntur, quod neque in vulgus efferri diſciplinam vellent, neque eos qui diſcebant, literis confiſos minus memoriæ ſtudere, quod plerisq; accidit ut præſidio literarũ diligentiã in perdiſcendo ac memoriam amittant. In primis hoc volebant perſvadere, non interire animas, ſed ab aliis poſtmortem tranſire ad alios. Atqve hoc ad virtutum excitare putabant metu mortis neglecto. Multa præterea de ſideribus atque eorum motu de

mundi

mundi ac terrarum magnitudine, denatura rerum, de vi ac poteſtate Deorum diſputabant, & juventuti tradebant. Alterum genus erat eqvitum. Hi cum erat uſus atque aliquod bellum acciderat, quod ante Cæſaris adventum fere qvotannis accidere ſolebat uti aut ipſi injurias inferrent, aut illatas propulſarent, omnes in bello verſabantur; atque eorum ut quiſque erat genere & copiis amplisſimus, ita plurimos circa ſe ambactos clienteſque habebat. Hanc unam gratiam potentiamqve noverunt. Natio erat omnis Gallorum adeo dedita religionibus, atque ob eam cauſam qvi erant affecti gravioribus morbis, quique in periclis prœliisque verſabantur aut pro victimis homines immolabant, aut ſe immolaturos vovebant, miniſtrisque ad ea ſacrificia. Druidibus utebantur, qvod pro vita hominis niſi vita hominis redderetur nō poſſe aliter deorū immortaliū placari numina arbitrabantur. Publiceque ejus generis habebant inſtituta ſacrificia. Alii magnitudine imani ſimulachra habent, qvorū contecta [contexta] vimenibus membra vivis hominibus complebant qvibus ſuccenſis circumventi flamma exanimabantur homines. Supplicia eorum qvi in furto aut latrocinio aut aliqva noxa forent comprehenſi gratiora Diis mortalibus eſſe arbitrabantur. Sed cum ejus generis copia deficeret, etiam ad innocentum ſupplicia deſcendebant; Deum maximè Mercuriū colebant. Hujus erant plurima ſimulachra, hunc omnium artium inventorem ferebant, hunc viarum atqve itinerum ducem, hunc ad qvæſtus pecuniæ mercaturaſque habere vim maximam arbitrabantur. Poſt hunc Apollinem Martem, Jovem, & Minervam. De his eandem qvam reliqvæ gentes habebant opinionem Apollinem morbos depellere, Minervam opera [operum] atque ſacrificiorum initia tradere, Jovem imperium cœleſte tenere, Martem bella regere, huic cum bello dimicandum foret ea, quæ bello cepiſſent plerumque devovebant, quæ ſuper-

superassent, capta animalia immolabant, reliqvas res in unum locum conferebant. Multis in civitatibus harum rerum exstructos tumulos consecratis locis olim & adhuc conspicari licet. Namque [neque] sæpe accidit ut neglecta quispiam religione aut [capta] occultare aut posita tollere auderet graviſſimumque supplicium ibi horum delictorum cum cruciatu constitutum erat. Treberi se sicut & omnes Galli à Dite patre prognatos, prædicabant idque à Druidibus proditum dicebant, ob eam causam spatium omnis temporis non numero dierum sed noctium finiebant; & natales & mensium & annorum initia sic observabant, ut noctem dies subsequeretur. In reliquis vitæ institutis hoc fere à reliqvis gentibus differebant, qvod suos liberos, nisi cum adoleviſſent ut munus militiæ sustinere possent, palam ad se adire non patiebantur, filiumque in puerili ætate in conspectu patris in publico assistere turpe. Viri qvantas pecunias dotis nomine accepiſſent tantam ex suis bonis existimatione facta cum dotibus communicabant. Hujus omnis pecuniæ coniunctim ratio habebatur, fructusque servabantur ut cujus vita superaviſſet ad eum pars utriusque cum fructu superiorum temporum perveniret. Viri in uxores sicut in liberos vitæ necisque habebant potestatem & cum pater familiæ illustriore loco natus decessisset ejus propinqvi conveniebant & de morte si res in suspicionem veniſſet, de uxoribus in servilem modum quæstionem habebant & si compertum, igne atque omnibus tormentis excruciatas interficiebant. Funera erant pro cultu [pro captu] Gallorum magnifica & sumtuosa omnia, quæ vivis cordi fuisse arbitrabantur, in ignem inferebant & animalia ac paulo supra hanc memoriam servi & clientes quos ab his dilectos esse constabat, justis confectis una cremabantur. Habebant & hoc legibus sancitum, siqvid de republicâ à finitimis rumore accepis-

accepisſent, uti magiſtratum deferrent neve cum alio aliqvo communicarent quod ſæpé homines temerarios atque imperitos falſis rumoribus terreri & ad facinus impelli & de ſummis rebus conſilium capere cognitum eſt. Magiſtratus qvæ viſa erant occultabant qvæ eſſe utilia judicaſſent, multitudini prodebant de re publica niſi per concilium loqui non concedebatur.

CAP. XIIX.

CÆſar igitur ſicut prædiximus, Cingetorigi principatum treberorum conceſſit, civitati, ob egregiam in ſe & bene meritam Cingetorigis fidem, & ſocietatem priſtinam & libertatem indulſit; Ipſe omni Gallia quæ ſaltu pyrenæo alpibusque & monte Cebenna qui eſt ad Occidentem urbis Trebirenſis,& fluminibus Reno ac Rodano continetur,patetqve in circuitu ad bis & tricies centum millia paſſuum in provinciæ formam redacta, ſtipendii nomen impoſuit excepta ut diximus. Trebirorum civitate propter ejus antiqviſſimam auctoritatem & Cingetorigis egregiam fidem, & ſic Romam ire diſpoſuit. Sed cum intellexiſſet à Pompejo & Senatu triumphum ſibi ob invidiam denegari, reverſus in Galliam Germanos & Gallos in amicitiam ſibi aſcivit & eorum auxilia magna accepit. Cui & Trebiri nihilominus auxilia contulere. Grata fuit Gallis hæc belli adminiſtratio videlicet videntibus ad Romam bellum referri, à qua ſibi dudum per Cæſarem fuerat illatum, qua multitudine victus Cæſar Pompeium & Senatum Roma expulit, poſtea ad mortem coegit, Romanum regnum ſolus obtinuit, poſt aliquantos annos à ſenatoribus occiſus interiit.

CAP. XIX.

CAP. XIX.

HUic successit Octavianus ejus ex sorore nepos, qui Claudium, Tiberium, Neronem & Drusum privignos suos misit ad Gallos rebellantes pacandos. Iste est Tiberius qui post Augustum imperavit. Hic ergo cum Druso ad Renum in loco quodam Bingis, contra Gallos dimicavit, in qvo conflictu Drusus occisus est. Tiberius post magnam Drusiani exercitus stragem [cædem] tandem cruentissimè vicit. Ceciderunt in eo prœlio omnes copiæ Trebirorum. Galli usqve ad internetionem deleti sunt ibi, sicut Ausonius dicit, Latias æquavit Gallia Cannas Inflatæqve jacent inopes super arva catervæ. Drusus Moguntiam relatus ibique sepultus est; dicit tamen Svetonius eum Romam relatum Tiberiumqve pedes [peditem] funus ejus prosecutum.

CAP. XX.

IGitur anno imperii Octaviani Augusti XLII, in quo firmissimam verissimamque pacem Dei ordinatione idem Cæsar composuerat, natus est Christus cujus adventui pax ista famulata est, in cujus ortu audientibus hominibus exultantes angeli cecinerunt gloria in excelsis Deo & in terra pax hominibus bonæ voluntatis Cæsare defuncto Tiberius successit cujus Imperii anno XV°. Christus jam XXX^ta annorum à Johanne baptizatus est deinde XII discipulos elegit, & in eorum solatium LXXII discipulos postea designavit. Postqvam verò Dominus noster passus mortuus, & sepultus, à mortuis resurrexit, & in cœlum ascendit: beatissimus Petrus, Apostolus, Antiochenam ecclesiam primam confessione Christiani nominis super solidissimam petram fundavit & Pontum, Gallatiam, Capadociam atqve Bithiniam verbo prædicationis illustravit.* Igitur cum beatissimus Petrus, Apostolorum

* ab initio cap. 20. usq; huc plerag conveniunt cum Historia Trever. apud Dacher. Tom. XII. sequentia autem differunt.

lorum Princeps ac univerſalis eccleſiæ Paſtor à Domino conſtitutus Antiochenam primitus fide, quæ in Deum eſt catholica fundaſſet, eccleſiam, eam VII circiter continuis regeret annis, urbi qvæ ſicut in gentilitate ita in Chriſtianiſmo meritis videlicet beati Petri totius orbis Principatum ſortita, eſt ejusdem fidei normam paſtorali ſolertia inferre ordinavit, cujus rei gratia anno, ſicut ab hiſtoriographis accepimus regni Claudii Cæſaris IIIJto illuc ingreſſus largiente Domino ſignis & virtutibus ac per verbum ſacræ prædicationis non modica populorum fruge acquiſita civitates & nationes ubiq; locorum dæmoniorum ne dicamus Deorum cultui deditas eſſe ſæpius ingemiſcens, ideoqve qvod ſine ulla ambiguitate credi poteſt, interpellato ſæpius in oratione ſua Domino quatenus novellæ plantationi ſuæ provideret incrementa cœleſtia ſcilicet operarios mitteret in meſſem ſuam, tandem ſalubri deliberato conſilio beatum Eucharium ſuum condiſcipulum ſanctitatem ſuam ab Jeruſalem uſqve Romam proſecutum, qui ſicut nomen indicat Græcus erat, Pontificatus gratia ſublimatum in hoc opus miſit cui ex diſcipulis ſuis quos per Evangelium ſuum filios Dei genuit probatæ ſanctitatis viros cooperatores verbo conjunxit, qui populum à ſervitute diaboli eruerent & ad creatorem ſuum ſacris eruditionibus converti perſvaderent beatum videlicet Valerium & Maternum Sinicium [Sinecium] & Manſvetum; Clementem & Felicem atqve Memmium alioſqve qvam plures, qvorum omnes ad Epiſcopatus promovit dignitatem in pluribus Galliæ civitatibus verbum Dei Evangelizandum beatum videlicet Eucharium Clementem, Manſvetum, Sinicium atque Weminium [Memmium] quosdam autem cæterorum Diaconatus ſive Subdiaconatus habere fecit officium.

CAP. XXI.

VErum tamen his omnibus, qvod non sine remurmurante invidia dictum noverimus, Beatum præfecit Eucharium tam copiosiore ministerio qvam & dignitatis privilegio, quippe qui secum pariter ab ipso Domino in carne commorante sicut à majoribus nostris traditum accepimus, sacræ fidei rudimenta percepit, qvi & in illa sanctissima cœna, qua discipulis suis Dominus precioſa corporis & sanguinis sui mysteria celebranda contradidit convescentibus affuit resurgentemqve à mortuis ac in cælos ascendentem cum Apostolis beata visione videre promeruit, sanctumqve Spiritum ac linguas omnium nationum in ignis accepit apparitione. Abierunt autem omnes hi sancti patres ad Galliarum populos verbo salutis Deo lucrifaciendos, per gentes, per viam, sanam doctrinam cunctis evangelizando. Tunc itaqve divertit Clemens cum Felice, Mediomatricum, Mansvetus Tullum, Sinitius, Rhemis, Meminius Catalaunum ceteriqve in loca sibi à Deo præordinata: & prosperatum est verbum Dei in manibus eorum. Beatus verò Eucharius cum Diacono suo Valerio videlicet Elegie qui est vicus grandis provinciæ Galliæ Materni commilitonis sui per maximam valetudinem desolatus substitit, qvi crescente eadem infirmitatis molestia animam reddidit quod multorum salutis causa accidisse sequens lectio demonstrat. Nam cum eum terræ commendassent sancti viri piè pro depositione ejus lugentes concito gressu Romam revertuntur, magistro suo supra dicto beato Petro qvæ in via gesta sunt nunciantes, hoc adjicientes quod in populum duræ cervicis devenissent in qvo convertendo nisi virtus Domini nostri JEsu Christi, Materni resuscitatione manifestaretur parum se profecturos qvos beatus Petrus consolatus ait: Nolite lugere carissimi mei qui a mortem Fratris vestri Dominus Deus noster ad vitam mul-

multis providit. Confidite in Domino & nolite deſperare, aderit enim divina Clementia quæ vos ſuper triſtitiâ veſtrâ conſoletur. Dans Euchario baculum qvo ſenilia ſua membra ſuſtentabat ita dixit; Via qua veniſtis in dubitanter recurrentes hunc baculum meum deferte vobiſcum accedenteſqve ad locum ſepulchri effoſſo corpori baculum ſuperponite dicendo; Materne in nomine JEſu Chriſti ſurge. Deniqve accepta benedictione Magiſtri denuo ad Elegiam cum fiducia properabant, quo cum perveniſſent, & accesſiſſent ad ſepulchrum, multa cum eis turba per voluntatem concurrente videndi cauſa quid fieret, Eucharius nichil de ſe præſumens ſed magnam auctoritatem Magiſtri commendans præmiſſa oratione dicebat, Materne Frater præcepit tibi Magiſter meus Petrus Apoſtolus ut in nomine filii Dei & Domini noſtri JEſu Chriſti à morte reſurgas & nobiſcum populo huic qvi circumſtat creatorem ſuum conteſteris. Et ille quaſi de ſvavi ſomno evigilans vivus & ſanæ meritis nomine Chriſti aſſurrexit, habens jam in ſepulchro dies XL qvo viſo miraculo non ſolum omnes hi qvi aderant ſed & multi longe poſitorum ad qvos hæc fama perlata eſt eadem hora, Idolis renunciantes ceperunt ad ſanctos Dei confluere, & ut cognitionem fidei Chriſti & Baptiſma ipſis darent poſtulare, confitentes clara voce hunc eſſe verum & tremendum omniqve nationi Deum adorandum, cujus invocato nomine ſervi ejus talia poſſent miracula facere & acceptis fidei rudimentis & regeneratione baptiſmatis cum celeritate ipſo in, loco baſilicam in honorem & memoriam virtutis Domini noſtri JEſu Chriſti conſtruxerunt. Cui ex reſurrectione qvæ illic celebrata eſt nomen impoſuerunt tam Spiritualem animarum ſuarum qvam corporalem materni reſurrectionem recolentes. Omnibus igitur per gyrum in confeſſione fidei ſolidatis aliis etiam regionum gentibus beati viri ver-

verbum salutis impertitum ire disponebant & commendatis omnibus ei cui se per fidem subdiderant, abeuntes per viam semina vitæ ferendo tandem divino ductu Treverim qvæ magna civitas est Metropolis Belgicæ Galliæ pervenerunt. Hoc in loco salva lectoris caritate libet qvædam de illius civitatis antiquitate ac situ commemorando aliqvantisper immorari, quod series rerum inibi gestarum quas dicere conamur aliqua ex parte monstrabit non esse abs re.

CAP. XXII.

Sicut Gallica narrat historia sub temporibus Abrahæ Patriarchæ Ninus potentissimus rex qui ædificavit civitatem Niniven de qua Jonas Propheta perhibet testimonium quod magna sit itinere trium dierum, de quadam regina Chaldæorum filiũ Trabetam dictũ procreavit. Cui reginæ, inquã si dum ad huc viveret nescio uxorem aliam dictam Semyramin superduxit quæ post longo tempore Nino defuncto eundem Trabetam voluit sibi in conjugio copulare, Cui cum juvenis noluisser in re tam nefaria consentire, illa ut erat acris animi multis eum dolis ac veneficiis aggreditur, demum innumeris bellorum persecutionibus fatigatum totius regni finibus propulsavit, Qui pervagatis plerisque orbis partibus nec invento in quo sibi remanere placuisset loco, tandem sorte ductus Belgicam Galliam elegit, qva perlustrata, in eum qvi nunc Treviris est locum devenit, qvi ad inhabitandum sub oculis ejus valde complacuit & digne, erat enim ut nunc est delectabilis nulla inhabitantibus aeris incommoditate nociva, planitie satis ampla & ut paucis dicamus omni delitiarum spetiositate referta, natura munitissima qvam altis muris ac desuper nemoribus ex omni parte circumsepta & secus eam versus occidentalem plagam in pede montis fluvius decurrens cui Mosella nomen est gu-

sta dul-

ſtu dulci ac lavationi ſalubris locuples piſcium & magnarum fertilis navium, in cujus ripa, ea videlicet qvæ ad occidentalem eſt plagam fluviolus eſt quidam qui civitatem intuens Belgis nõine influit à qvo tota provincia nomẽ accepit. Hac in valle cum nobilis ille juvenis conſediſſet & placuiſſet ei ut inhabitaret ibi, fretus auxilio non tam ſuorum qui ſecum venerant quam & aliorum qui de diverſis regionibus tum ob auditam herilium advenarum nobilitatem ac fortiorum factorum quæ de ejus fama diſperſerant patrationem, tum & propter loci firmitatem confluebant, cepit ædificare civitatem poſt in proceſſu temporis civitatibus multis honore ac dignitate præeminentem, ita ut omnium diceretur Caput regionum in Europa tertia videlicet orbis parte conſiſtentium quam in ſui memoriam eo quod primus eam cœpiſſet inhabitare eamque moriens Filio ſuo Hero nomine gubernandam dereliquit, Treberim appellavit ex nomine Trebete. Hoc nimirum quod multis totius Galliæ civitatibus eadem Civitas fortitudine prælata ſit earumque gentes ſubegerit armis, teſtantur usque in hodiernum in pluribus locis earundem devictarum Civitatum ab ipſis triumphatoribus conſtructæ tunc munitiones firmæ nunc autem veteres ruinæ quæ hoc vel huic ſimile in ſuis ſuperficiebus ſcriptum continent: *Huc uſque jura Trebirorum.* Namque ut ferunt id erat moris victoribus, ut ſi gentem vel regionem armis caperent mox a principiis in finibus ad tutamen ditionis eorum municipia conſtruerent, gentemque legibus ſuis cum traditionibus ſervire cogerent.

CAP. XXIII.

CRevit itaque Civitas illa regia omni ut dictum eſt excellentia ſublimis muris ac vallo circumdata turribus altis & firmis munita, quatuor habens publicas portas, qua-

quatuor mundi climatibus oppoſitas, quarum prima quæ ad ſeptentrionem reſpicit ex lapidibus quadratis non cœmento ſed ferro mirabili arte compaginatis conſtructa; Nigra porta vel Martis nomen accepit. Martis, eo quod inde viri civitatis ad bella proceſſuri egrederentur, Nigra vero pro eo quod cum non bene illis in bello ſucceſſerat per eam triſtes regrederentur, vel quod per eam defuncti civitatis ſepeliendi efferrentur. De ſecunda quæ eſt ad orientem porta alba dicitur, quod cum de bello victores revertebantur apud illam bubus albis invecti cum laudibus ac triumphis a Concivibus ſolennirer excipiebantur. Tertia vero quæ ad meridionalem ſpectat plagam porta media nominatur, quod per eam ingredientibus per mediam civitatem iter pateat. Quarta autem videlicet ad ſolis occubitum ſita ex lapidibus quadrangulis opere præclariſſimo fuit inſtituta cujus in exitibus ſtatio vel portus navium, per alveum ſupra nominati fluminis ſecus decurrentis hinc & inde venientium, pro quibus per noctem illuminandis hæc eadem porta quaſi ſole & luna ac ſtellis erat auro ac lapidibus pretioſis artificioſe fabricatas inſignita, unde ab operis præclaritate inclyta porta dicta eſt ex nomine. Adhuc plura de ejusdem civitatis vel decore vel firmitate libet perſequendo commemorare ſi te ôlector non pigeat auſcultare. Hæc utique civitas multo eſt Romæ conditione antiquior quæ cum fuiſſet ut dictum eſt muris portis ac turribus circumquaque munita unanimiter omnes inhabitantes populus ac principes ad ornatum illius animos converterunt & extruxerunt in parte occidentali templum ſtudioſisſime intus & foris auro decoratum multorum idolorum numinibus illud dedicantes, quorum effigies qui adhuc diligenter conſideret inſcriptas ibi vel affixas parieti reperiet quæ uſq; in hodiernũ diẽ quod innumeris fuit dæmonibus conſecratum vulgus dicit

Cen-

Centifanũ appellatũ. Hujus in veſtibulo ex lapide quadro inſignis arcus exſurgens habet ferream Mercurii imaginem dictu mirabile in aëre pendentem ſeorſim autem Jovem marmoreum, ſcutellam auream manibus tenentem cui thus immiſſum redolebat in naribus circumſtantium tanquam ſi igni mitteretur nec tamen urebatur, quod ne forte noſtris dictum verbis tanquam à nobis confictum credere quis detrectet, non nos, ſed potius audiat *Galbam Viatorem Lucinio Sophista* hoc ipſum inter cætera rerum ſtupendarum quas viderat & audierat his verbis conteſtantem. Sic enim ait; Audi præterea quod mireris: Treberis eſt civitas Galliæ nobilis, ubi ſenecio quidam cujus hoſpitio uſus ſum per XII dies in ſuburbio civitatis ferream imaginem Mercurii volantis magni ponderis oſtendit in aëre pendentem; Erat autem magnes ut hoſpes idem mihi oſtendit, ſupra in fornice itemque in pavimento, quorum naturali vi è regione ſua ferrum ingens quaſi dubitans in aëre remanſit. Vidi etiam in eadem urbe ingenti & pretioſo marmore, jovem ſcutellam auream duorum pedum latitudinis tenentem, ubi hoc inerat ſcriptum: Jovi Vindici Trebirorum ex cenſu quinque civitatum per tria decennia denegato ſed fulmine & cœleſti terrore extorto. Factum arte mechanica; Nam thus quaſi prunis impoſitum redolet, ſi immiſeris, nec tamen deficit, quod ita probavi eſſe.

CAP. XXIV.

HUjus etenim [etiam] opinatiſſimæ civitatis fama cum fuiſſet ſuo ad huc in tempore ubivis divolgata quod eſſet inexpugnabilis inhabitantium fortitudine quodque non eſſet ei ſimilis, jure, bonis, meritorum nobilitate, triumphis. Longe poſt cum fuiſſet Roma condita & viri potentes dominarentur in ea, quidam eorum nobilis Arimaſpes nomine Conſul primusque ſenatus illorum, divertit videndi cauſa, ſi vera ſunt quæ de illa fama diſperſerat, &

ut

ut vidit non ultra Romam rediit sed concesso sibi illic magnatorum collegio, secundum Romanas consvetudines cultum & officia ac diversa dignitatum nomina, consilium, duces, instituit. Hoc equidem à veritate non discrepare satis evidentia sunt testimonia imagines & tituli, qui consulum aut senatorum vel primorum [Patriciorum] aliarumque dignitatum nominibus & gestis ad perpetuandam eorum memoriam lapidibus insculpti per omnem ferè civitatem sub collibus, aut pyramidibus, vel acervis lapidum defossi inveniuntur. Itemque astruunt hæc ruinæ theatri adhuc superstites quod ut diximus juxta Romanum ritum ad exercendos Circensium ludos & Palæstras institutum est.

CAP. XXV.

ITaque modo quo diximus Civitas illa **Treverica** se extulerat, ut post cum Romani totam terram suo decreverunt subjugare imperio, subactis omnibus regionibus juxta vel procul consistentibus, sola hæc nimium confidens in viribus suis cum pertinentiis suis tota videlicet Gallia, Francia, & Germania resistere præsumsit. Tempore illo Julius qui dicebatur Cæsar apud Romanos consulatus officium administrabat, simulque à Senatu hoc in mandatis accepit, ut adversus Gallos aciem dirigeret, & Romanis obedire compelleret. Venit ergo & obsedit Treverim Metropolim Gallicæ provinciæ. De cujus speciali prærogativa fortitudinis in toto ut præmisimus orbe fama pervolavit, ubi per totum fere decennium impugnando frustra laboravit quam diu namque unanimitatem & concordiam inhabitantes servaverunt invicem ab hostibus vinci non potuerunt. Mox vero ut hanc prætererunt non substiterunt. Tunc enim magno qvodam infortunio duo de optimatibus qvi civitati principabantur, **Induciomarus** & **Cingetorix**, quorum alter Patricia, alter Con-

Conſulatus dignitate pollebat, inter ſe de [principatu] primatu contendebant, quis eorum videretur eſſe major. Cumque hujuscemodi diſſenſio inter eos ageretur Cingetorix clam foras egreſſus Julii caſtra adiit & ſi ei Principatus concederetur dediturum ſe civitatem repromiſit, quod cum ad petitionem ejus firmatum fuiſſet, egit ut hoſtibus pateret ingreſſus ſicque regiæ illius Civitatis faſtus magna ex parte attritus. Sed qvid confert ejusdem Civitatis ſecularem gloriam & regiam nobilitatem commemorare? Utilius eſt namqve & plus habet ſpecialis lætitiæ ſi eam qva ad meliorem vitam eſt per gratiam Dei provecta conditionem, ſtudeamus exponere.

CAP. XXVI.

Anno igitur incarnationis Dominicæ LIIII regni autem Claudii Cæſaris IX° Epiſcopatus vero beati Petri Apoſtoli in Roma anno VIII° Sanctus Eucharius tertius in ordine LXX duorum diſcipulorum Domini cum Sociis ſuis Valerio & Materno ad prædicandum Gallicis gentibus directus, demum Treberem pervenit. Cujus infidelitatis aciem [arcem] devincens veræ religionis arcem obtinuit & ejusdem urbis Pontificatum XXIIIbus. [XXXIV] annis tenuit [obiit autem VI. Id. Decembr. ac] Sepultus eſt in Eccleſia Beati Johannis Evangeliſtæ qvam ipſe ante portam mediam conſtruxerat & in circuitu ejus Cœmiterium benedixerat. Poſt cujus obitum Valerius in miniſterium ſacerdotale ſucceſſit illudqve per XV annos ſanctè vivendo & verbum vitæ prædicando probatiſſimè rexit. Cujus prædicationis tanta fuit inſtantia ut jam tunc per Galliam & Germaniam Chriſtiani paganos & numero ſuperarent & religione. [Obiit autem I. Kal. Febr.] Sepultus eſt & ipſe in eadem Eccleſia juxta corpus S. Eucharii poſt cujus deceſſum Beatus

Maternus Pontificalem suscipiens apicem XL annis talentum sibi creditum fideliter multiplicavit. Hic Tungrenses & Aggrippinenses ad fidem Christi convertit & his tribus civitatibus pontificali jure præsedit in qvibus singulis fertur uno eodemqve paschali die divinum officium celebrasse. In hoc tempore fecerunt Treberi subterraneam viam ductam à Treberi usqve Coloniam per pagum Hedonis, per qvem magnam copiam vini Colonienſibus amicitiæ causa miserunt. Iisdem diebus venit Treberim Sanctus Nazarius prædicans Christum sed à civitatis infeliciſſimo Principe Cornelio Domitiano Imperatori delatus est. Igitur Stus Maternus apud Coloniam obiit Senex (18. Kal. Oct.) anno Dominicæ incarnationis CXXVIII. Cujus obitu Treberi comperto mox Coloniam profecti sunt Pastorem suum repetentes. Aderant & Tungrenses qui simul cum Coloniis eum sibi retentare satagebant. Certamen diu ab utrisqve erat. Interim venerandus qvidam senex in urbe apparuit monens cives ut à lite desistentes suis parerent consiliis, & corpus Pontificis in navi ponentes dein à littore fluctibus impellentes qvo Deus velit abire sinant. Mira res mox ut Angelus consuluerat factum est, navis sacro corpore onusta nullo seregente Nauclero, angelico remigio contra fluctus dirigitur & parvo horarum spatio miliario confecto in loco qui ex tristitia Colonienſium Roze vocatus est littore applicatur. Tunc Treberi corpus sui Pontificis à deo sibi destinatum cum debita gratiarum actione suscipientes Treberim revexerunt & in Ecclesia non longe à corporibus Sanctorum Eucharii & Valerii honorabiliter sepulturæ tradiderunt.

CAP. XXVII.

DEin Auspicius quidam Ecclesiæ regimen tenuit. Dein insignes per legitimas succesſiones, salubritate (sanctitate)

tate) & gratia pollentes extiterunt Felix, Manſvetus Clemens, Moyſes, Martinus, Anaſtaſius, Andreas, Ruſticus, Auctor, Favricius, Fortunatus, Caſſianus, Marcus, Navitus, [Havitius] Marcellus, Metropolus, Severinus, Florentius, Martinus, Maximinus, Valentius [Valentinus] quorum VIII ultimi etiam Tungrenſi Eccleſiæ præfuiſſe noſcuntur, qui omnes diverſis temporibus non ſolum in propria provincia ſed in extimis & ultimis induſtrii & illuſtres non ſolum confeſſione quin & martyrio exiſtentes regna tyrannorum vicerunt, qui videlicet Epiſcopi omnes in Eccleſia S. Eucharii ſepulti eſſe creduntur. Quorum autem Imperatorum vel Conſulum ſinguli claruerint temporibus quosque vita eorum habuerit exitus quotque ſinguli annis adminiſtraverint officium Pontificatus, ſeu quantum quisque ampliaverit Eccleſiæ ſuæ reditus, quia totius Galliæ ab Hunnis & Nortmannis facta abolevit everſio, nec à nobis lectorum cujusque requirat exactio, cum & antea diris X. perſecutionibus, ſub quibus vixere eorum memoriam fama ſcriptorum ſtudio minus potuerit divolgando perpetuare. Primus etenim Nero Chriſtianos perſecutus eſt, Secundus domitianus, III^us. Trajanus, IV^tus. Marcus Antoninus, V^tus. Severus, Pertinax, VI^tus. Maximinus, VII^us. Decius, VIII^us. Valerianus, IX^us. Aurelianus, X^mus. Diocletianus cum Maximiano. Harum itaque perſecutionum temporibus prædicti viri Trebirorum præſulatum nequaquam manifeſte ſed ſicut ait Apoſtolus in ſolitudinibus & montibus & caverins terræ peregiſſe probantur. Ut merito eorum vita tam fervente tunc ubique perſecutione quam poſtea exterminata ſæpius Trebirorum civitate oblivioni tradita fuiſſe credatur. Auxit hoc infortunium humani generis adverſarius. Poſtquam denique inſeparabilis Trinitas tres Evangelii ſui operarios perpetim remuneran-dos ſcilicet Eucharium, Valerium & Maternum vocavit ad ſupe-

superos: Treberi rectæ fidei credulitatem amiserunt & ad pristinum paganismi vomitum ex maxima parte redierunt.

CAP. XXVIII.

ANno Dominicæ incarnationis CCXCIo Maximianus Imperator Romanus cognomento Herculeus propter frequentes Gallorum tumultus Thebæos milites ab Oriente in auxilium accersivit, Hi Thebæi ab Antistite Jerosolymitano fuerant baptirati dein à beato Marcellino PP. Romano qualiter sub armis Romanæ libertatis Christianam innocentiam custodire deberent instructi, prælati sunt autem huic legioni duces duo qvorum unus Tyrsus [Thyrsus] alter Secundus vocabatur & Mauricius ejusdem primipilarius, qvorum ordine & nomine Secundus apud Victemilium [Victimilium] Italiæ castrum morte vitam finivit, Mauricius vero apud Agaunum oppidum cum suis sociis pro Christo victimatus occubuit. Tyrsus autem & Bonifacius cum suis plurimis sociis & militibus in Treberim devenerunt ibiqve in campo Marcio castra posuerunt, ubi ab ejusdem civitatis Christianissimis Principibus Christianitatis & pacis signa ipsis cognoscentibus Christianiter & amicè hospitaliter & honestè summa qvæ in deo est ordinante hâc caritate recepti sunt. His ergo principibus dum causam suæ ab oriente profectionis suæqve ad huc perventionis flebiliter retulissent eorumqve consilium simul & auxilium humiliter postulassent flagranti adeo Sancti Spiritus ardore corda omnium & civium & hospitum in dei amore accensa sunt, ut ad mortis magis pro Christi amore susceptionem qvam ad idolorum veneprationem vel Christianorum oppugnationem se animas præbere invicem exhortarentur. Vix dum ergo Sanctæ exhortationis armis se invicem munierant; Cum ecce Ricciovarus

ovarus [Rutiovarus] à Maximiniano Imperatore Trebirorum præfectura donatus eandem urbem cum maximo militum agmine stipatus intravit, qvi vocatos ad se inprimis qvorum causa præcipuè venerat Thebeæ legionis Christianos interrogavit, utrum & ipsi Romanorum deos adorare eorumqve detractores armis vellent subjugare, cui cum dux legionis Tirsus responderet se suosqve omnes & socios & milites pro Christi amore malle mori qvam hujusmodi sacrilegio pollui. Rittiovarus diffusis per totum campum militibus omnes præcepit interfici & corpora eorum ferisavibusq; devoranda relinqvi. Ex his innumeris tanta multitudo ad litus Mosellæ juxta Capitolium martyrizata est, ut sanguinis rivuli defluentes in Mosellam aqvæ permixti eam in suum colorem converterent usqve ad castrum qvod Nimmaga [Neomagum] dicitur, ut naturali claritate remota peregrino magis qvam proprio colore ruberet. Inhumatis tunc sanctorum corporibus unda præbebat tumulum, quo redeunte grata compage membrorum futuro ea repræsentaret judicio. Hoc idem Capitolium postea in honore Sanctæ Mariæ semper Virginis est dedicatum. Et ipse locus ob memoriam Martyrum Littus ad Martyres accepit vocabulum. Hanc cædem Rittiovarus [Riciovarus] exercuit videlicet Tirsi & sociorum ejus die IV Non. Octob. Seqventi autem Palmacium [Dalmatium] Consulem cum XI principibus occidit, qvorum nomina hæc sunt: Maxentius, Constantius, Crescentius, Justinus, Leander, Alexander, Sother, Hormisda, Papirius, Constans, Jovianus. III. nihilominus die Rittiovarus [Ricciovarius] cædem exercuit in plebem sexus utriusqve & ætatis totamqve urbem occisis innumerabilibus Christianis implevit. Pauci ergo Christiani qvi hujus persecutionis procellas fuga declinaverunt, postqvam aliqvantum cessavit, horum martyrum corpora partim sepulturæ tradiderunt,

& qvendam ingentis capacitatis puteum vetustate neglectum & aqvis exhaustum eorum ossibus repleverunt. Qværit aliqvis qvomodo Rittiovarus tantam multitudinem civium & peregrinorum occiderit vel qvare Thebæi vel Treberi sibi resistere non valuerunt. Sed notandum qvod hæc legio Thebæa primum juravit in Sacramenta Dominica, [divina] deinde in Sacramenta regia hæc duo Sacramenta se observasse demonstrat, primum qvod idolis immolare contempsit, secundum, qvod innocentiam suam dum benè potuit armis defendere noluit; Alioqvin si juncti Thebæi Trebirensibus se defendere voluissent, non solum Rittiovari sed & Maximiani potentiæ resistere qvivissent. Sed servavit sacramentum suum patienter moriendo & cives urbis potentissimæ secum ad contemptum mortis fideliter invitavit.

CAP. XXIX.

POst Rittiovari cruentissimum Dominatum tandem civile nobis Constancii primo Cæsaris dehinc Augusti inceperat imperium. Hic multa clementia erga homines, erga Deum vero religione maxima utebatur, neqve piorum sanguine regnum suum maculavit, neque Orationum domos destruxit, sed cultores Dei veneratione habuit & honori. Hic non modo amabilis sed venerabilis etiam Treberibus fuit, præcipue qvi ob Diocletiani suspectam prudentiam & Maximiani Rittiovarique sanguinariam temeritatem imperio ejus evaserant. Hic Alemannos qvi jam à temporibus Valeriani Imperatoris Treberorum confinia devastabant, in ipsis finibus Treberorum aggressus magna strage delevit. Circa Lingonas die una adversam & secundam fortunam expertus est; Nam cum repente barbaris ingruentibus intra civitatem esset coactus tam præcipiti necessitate ut clausis portis in murum funibus teneretur, vix quinque horis

ris mediis adventante exercitu LX fere millia Allemannorum cecidit, captis eorum Regibus quos bestiis cum magnificum spectaculum muneris parasset objecita Anno XVI. Imperii sui obiit in Britannia Eboraci & inde Treberim relatus in campo Martio honorificè sepelitur cum Epitaphio hujusmodi; Elius Constantius, Vir Consularis, Comes & Magister utriusque militiæ atqve Patricius, & secundo consul ordinarius. Hic ex Helena Treberorum nobilissima Constantinum filium procreatum Imperatorem Galliarum reliquit, qui etiam Romani regni Monarchiam per bella maxima solus obtinuit. Beatissima vero Mater ejus Helena cum magno exercitu Jerosolymam perrexit ibique cum Dei adjutorio Lignum Sanctæ Crucis invenit. Qua inventione celebrata Papam Silvestrum adiit magnis precibus deposcens ut sibi secundum carnem consanguineæ Trebericæ civitati misereatur & ejus infidelitatis tenebras aliquo idoneo prædicatore illustrare dignetur. Magna ergo Doctoris inquisitione habita omnium fidelium Consilio Sanctus Agricius Antiochenæ Præsul Civitatis evocatur & ad Treberim cum pretiosissimis reliqviis quas inferius nominabimus à Papa & Regina destinatur, cum privilegio quod idem Papa Silvester ad honorem Treberensis Ecclesiæ hoc modo noscitur conscripsisse.

CAP. XXX.

SIcut in gentilitate propria virtute, sortire & nunc Trebir primas ac super Gallos & Germanos prioratum quem [Tibi] præ omnibus harum gentium Episcopis in primitivis Christianæ Religionis Doctoribus Sanctus Eucharius, Valerius & Maternus ac per Baculum caput Ecclesiæ Petrus significavit habendum; Suam quodammodo minuens dignitatem, ut te participem faceret. Quem ego Silvester

ster ejus servus successioneque indignus per Patriarcham Antiochenum Agricium renovans confirmo ad honorem Patriæ Dominæ Helenæ Augustæ, Metropolis ejusdem indigenæ, quam ipsa felix per Apostolum Matthiam Judæa translatum cum tunica & clavo Domini & dente Sancti Petri & Sandaliis Sancti Andreæ, & capite Cornelii Papæ cæterisque reliquiis magnificè ditavit specialiterque provexit. Hujus privilegii conscii nocivi æmuli communione dirimantur quia anathemate maculantur.

CAP. XXXI.

ANno Dominicæ incarnationis CCC XXVIII. Sanctus Agricius Trebirorum Præsul efficitur, hic populum ab antiquo errore idololatriæ velut alter Eucharius eripuit & domum beatissimæ Helenæ, exclusis ab ipsa civitate paganismi spurcitiis in honore Sancti Petri dedicavit & caput Ecclesiæ Trebirensium ut esset, instituit. Eo tempore Trebéris jussu Beatæ Helenæ Ecclesia maximi ornatus & structuræ in honore Sanctæ Crucis est ædificata in modum etiam Crucis. Ossa Matthiæ Apostoli juxta corpora Sanctorum Eucharii & sociorum ejus collocata sunt. Tunica Domini cum clavo & cæteris reliquiis in domo Sancti Petri reconditæ sunt. Sanctus autem Agricius officio sui Pontificatus expleto migravit ad Dominum sepultusque est juxta corpus St. Eucharii. Cui successit Beatus Maximinus discipulus ipsius, qui Eufratan Colonienſem nec dicendum Episcopum deposuit & Severinum in locum ejus per electionem Ecclesiæ subrogat. Athanasium Alexandrinum Episcopum persecutione Constantii Imperatoris fugientem honorificè suscepit & intrepidus. Nam antea toto orbe profugus vagabatur; Nec ullus ad latendum ei supererat locus. Tribuni præpositi Comites exercitusque ad investigandum cum edictis Imperi-

perialibus moti, totius regni viribus certabant, ſiquidem vivum maximè, ſin minus, certe caput detuliſſent. verum Treberi ſex continuis annis ita latuit in lacu ciſternæ ſupra dictæ non habentis aquam & plenæ oſſibus Sanctorum ut ſolẽ nunquã viderit, *& ibi Pſalmum: Quicunq; volt [ſalvus eſſe &c.] Compoſuit.* Sed cum per mulierem qvæ ei latebram præbere videbatur ſollicitatus fuiſſet, tanquam Spiritu Dei admonente nocte ipſa qua ad eum comprehendendum cum judicibus veniebatur, poſt tot annos emigravit ad alium locũ. Igitur Beatus Maximinus ad ſuos reviſendos Aquitaniam perrexit ibique Domino ſe vocante quievit in pace. Succeſſit in Epiſcopatu Paulinus, qui corpus Magiſtri ſui per Beatum Lubencium & plures Treberorum ex Aquitania revexit & in cœmiterio Sancti Eucharii ſepelivit. Beatus verò Lubenſius primo quidem in Eccleſia ſupra montem ſita ſecus oppidum Cuberna vocatum, Presbyterii honore præditus Domino in publico miniſtravit. Poſt modum per revelationem Domini venit in Germaniam ibique ſuper fluvium, qui dicitur *Logana* [Logona] Eccleſiam ædificavit, quo poſtea defunctus, translatus requieſcit. Præſul vero & Miniſter [martyr] Chriſti Paulinus à Conſtancio Imperatore veræ fidei cauſa in Phrygiam exul deſtinatur, ibique pro nomine Chriſti decollatur ac ſepelitur. Dum enim veram fidem inſtantius gentilibus prædicaret accenſis in iram paganis capite cæſus eſt; Poſt quem Bonoſius Epiſcopus dein Brittonius [Brittovius] In tripertita hiſtoria legitur Brittoni. [Britoni] Romæ fuiſſe cũ Damaſo Papa, quod [qui] Mars gentiliter appellatur, *in noſtro ſermone* ſonat virgine dulcem. Horum temporibus Græci cum magna manu Treberim invaſere & cædibus rapinis & incendiis graviter attrivêre.

CAP. XXXII.

ANno Dominicæ incarnationis CCCC VI Maximus Vir quidam strenuus,& Augusto dignus nisi contra Sacramenti fidem per Tirannidem emersisset, ab exercitu in Britannia invitus Imperator creatus Treberi sedem regni constituit. Eodem tempore Priscillianistarum hæresis exorta est à Priscilliano Habilæ [Mabilæ] Hispaniæ civitatis Episcopo qui mox apud Burdegalensem Synodum condempnatus Treberim ad Maximum Imperatorem confûgit ubi errore suo propalato jussu Maximi ab Evodio præfecto prætorii gladio addictus est cum Eutrochia delphidi [Delphili] Rectoris conjuge & Latoniano [Latroniano] feliciſſimo & Juliano multisque aliis sui erroris consortibus. Ad hanc hæresim plenius condempnandam, Concilium Episcoporum famosum jussu Maximi Treberis congregatum est. Inter quos erant Martinus Turonensis & Ambrosius Mediolanensis & Augustinus magnus, quorum Martinus non solum tunc, verum & antea sæpius Treberim verbis & signis illustraverat. Puellam enim Peraliticam rogatus à Principibus sanaverat, servum Tretdii [Tercadi] Consularis à dæmonio liberaverat, ipsum quoque Tretdium [Tercadium] adhuc gentilitate sordentem Christi servum effecerat, Patris cujusdam familias servum à diro dæmone mundaverat, quodam quoque die dum de metu atque impetu barbarorum subita civitatem fama turbasset, dæmoniarum ad se exhiberi jussit, imperat, ut an verus esset hic nuntius fateretur. Tunc confessus est XVI dæmonia qvæ rumorem hunc per populum disseminassent, ut hoc saltim metu ex illo Martinus oppido fugaretur, barbaros nihilominus irruptionem cogitare. Itaqve cum hæc immundus Spiritus media in Ecclesia fateretur metu & turbatione præsenti civitas liberata est.

eſt. Alio die à Maximo Imperatore multis precibus ad convivium invitatus eſt, ad medium ferè convivium ut moris eſt pateram regi Miniſter obtulit; Ille Martino pateram dari juſſit cupiens ab ejus dextra poculum ſumere ſed Epiſcopus ubi bibit pateram presbytero ſuo tradidit nullum ſcilicet existimans digniorem qvi poſſet prior bibere qvod factum Imperator & ſui mirati ſunt, celebreqve per Palatium ſonuit, feciſſe Martinum in regis prandio, qvod in infimorum judicum conviviis Epiſcoporum nemo feciſſet, eundemqve Maximum prædixit poſt aliqvot annos in Italia interficiendum qvod & ita contigit. In eadem urbe reginæ obſeqviis multum honoratus eſt. Ambroſius qvoqve Mediolanenſis cum veniſſet Trebereas [Trebirôs] poſt triduum acceſſit ad Palatium. Poſtea cum videret eum Maximus abſtinere ab ipſo, & ab Epiſcopis qvi communicabant ei, & qvod devios licet à fide idem Priſcillianiſtas hereticos ad necem petebat, ubi & Martinus peccavit, commotus ej juſſit Ambroſium ſine mora regredi [egredi] ipſe verò libenter & ſi eum pleriqve inſidias evaſurum non crederent, iter ingreſſus eſt, hoc ſolo dolore percitus qvod Iminium ſenem Epiſcopum in exilium duci comperit.

CAP. XXXIII.

COngregati itaqve apud Trebiros Epiſcopi tenebantur, qvi qvotidie communicantes Itachio [Itacio] & Achatio communem ſibi cauſam fecerant. Itachius & Achatius Epiſcopi erant qvorum factione Priſcillianus & reliqvi occiſi fuerant, qvorum etiam conſilio Maximus Tribunos cum ſummâ poteſtate armatos ad Hiſpanias mittere decreverat, cæteros Priſcianilliſtas inqvirere, deprehenſos bonis & vita privare. His ubi nuntiatum eſt advenire Martinum, ineunt cum Imperatore conſilium ut miſſis obviam Officialibus

bus urbem illam propius vetaret [vetaretur] accedere nisi se cum pace Episcoporum ibi consistentium affore fateretur; qvos ille callide est frustratus. Profitetur se cum pace Christi venturum. Postremo ingressus nocturno tempore adiit Ecclesiam tantum orationis gratia. Postpridie Palatium petiit. Post multas, qvas evolvere longum est, has principales petitiones habebat. Pro Narsete Comite & Leochadio [Lochadio] Præside qvi ambo fuerunt partium Gratiani qvem dux Maximi Andragathius [Andragethius] occiderat; & ne Tribuni ad Hispanias cum jure gladii mitterentnr. Pia enim erat sollicitudo Martino, ut non solum Christianos qvi sub illa erant occasione vexandi, sed ipsos qvoqve Hæreticos liberaret. Sed primo die & altero Maximus distulit ejus preces admittere cum interim Episcopi qvibus Martinus communicare nolebat, cum fletibus Maximum implorant ut uteretur adversum hominem vi sua. At ille vim qvidem sancto viro noluit inferre, tamen secreto accersitum blande appellat Hæreticos jure dampnatos à judicibus publicè potius qvam à sacerdotibus edicit; -- non esse causam qvod Itachii cæterorumqve partis ejus communionem vitare deberet. Qvibus cum Martinus parum moveretur rex ira accenditur, ac se de conspectu ejus abripuit, & mox percussores his pro qvibus Martinus rogaverat direxit. Qvod ubi Martinus comperit nocte Palatium intravit, spondet communicaturum si Tribuni ad Hispanias missi revocarentur. Nec mora interceßit Maximus indulget omnia post pridie Felicis Episcopi Trebirorum post Brittonem [Britonium] ordinatio parabatur sanctissimi sanè viri & plane digni qvi meliori tempore fieret sacerdos. Hoc die communionem Martinus iniit satius æstimans ad horam cedere qvam perituris non consulere. Hæc itaqve eo tempore apud Treberos gerebantur & hoc ordine Sanctus Felix Episcopatum suscepit.

CAP.

CAP. XXXIV.

ERant in eotempore apud Treberos multi Nobiles & Eccleſiaſtici Viri. Ille videlicet: Presbyter Jacobus de Bethlehem & Auſonius Burdegalenſis aliiqve qvam plurimi, qvorum Jacobus prolixum valde de ſynodis librum Sancti Hilarii ibidem conſcripſit, Auſonius verò libellum qvi dicitur Moſella, metricè compoſuit, & poſtea reverſus in Patriam grande volumen ad honorem hujus Patriæ edidit, qvod qvi ſcire voluerit in Burdegala reperire poterit. Qvadam die Maximus Imperator ad ſpectandos circenſes ludos ad Amphitheatrum egreſſus eſt, tunc qvidam ex militantibus Palatio, nomine Pontianus, cum aliis tribus contubernalibus ſuis exivit deambulatum in hortos muri contiguos illic forte uni illorum ſecum ſubſiſtente alii duo venerunt ad cellam ſancti Eucharii ubi habitabant ſervi dei pauperes [Chriſti] qualium eſt regnum cœlorum, & invenerunt codicem in quo ſcripta erat vita Sancti Anthonii, quam unus eorum cæpit legere, & mirari & accendi [attendere] repletus Spiritu Sancto, & mox elevatis oculis ad ſocium ſuum ait, dic, quæſo te, ſi non videtur tibi melius eſſe huic deo ſervire qui talem habet famulum quam regi mortali inaniter militare. Dixit & hoc turbidius parturitione novæ vitæ. Reddidit & oculos paginis & legebat & mutabatur intus [totus] & exuebatur [exurebatur] mens ejus nam dum legeret infremuit & ait amico ſuo: jam abripui me ab illa ſpe noſtra & deo ſervire ſtatui & hoc ex hac hora in hoc loco agredior, te ſi piget imitari, noli adverſari. Tunc ille reſpondit: Adhærebo & ego tibi nec ulterius te in tali militia deſeram. Tunc Pontianus & qui cum eo erant per alias horti partes deambulabant, quærentes eos deveniuntque in eundem locum & admonebant eos ut redirent quia

quia jam declinasset dies, at illi narraverunt, eis qualis eis voluntas orta esset atque formata, & petierunt, ne eis molesti essent, tunc cœperunt flere & pie illis congratulati sunt & commendaverunt se orationibus eorum & reversi sunt in pallatium. Illi autem manserunt in eodem loco. Habebant ambo sponsas quæ postea quam hoc audierunt & ipsæ virginitatem suam deo dicaverunt.

CAP. XXXV.

MAximus Inperator de Treberi cum maximo exercitu movens Victorem filium suum in infantili ætate Imperatorem constituit eique Quintinum & Nannæum Principes Trebirorum reliquit, Ipse deinde à Theodosio in Italia peremtus est. Jam nunc aliquid de Sancto Felice dicamus. Hic fecit Basilicam grandem in honore Dei genitricis in campo Martio CCCC & X pedum longitudinis, CXX latitudinis in qua corpora Martyrum à Riciovaro passorum ad usque sua tempora disjecta & incomposita honorificè tumulavit, Corpus quoque Sancti Paulini quod suo tempore populus Trebirorum cum copiis ex toto regno adunatis de phrygia detulerat, facta crypta in eodem Monasterio medio cryptæ cum ferreis catenis suspendit. Ipse quoque post XII annos sacerdotii in siniſtro cornu ejusdem Ecclesiæ sepultus est. Eodem tempore sub Theodosio Majore *Franci* cum ducibus suis Sunnone & Gundebaudo in Germaniam prorumpentes pagosquosdam populantes & Coloniæ metum incusserunt quod cum Trebereos peratum fuisset Nanneus & Quintinus quos supra diximus, quibus infantiam filii & defensionem Galliarum Maximus commiserat collecto exercitu Francos de Germania ejecerunt & apud Carbonariam sylvam magna eos strage vicerunt. Hinc ortum est odium Francorum contra Trebiros, & ex hoc deinceps transmisso Rhe-

ſo Rheno in terra Trebirorum hyemare cœperunt. Poſt hæc ergo temporibus Honorii Imperatoris Crocus Rex Vandalorum cum Svevis & Alanis egreſſus de ſedibus ſuis Gallias appetens conſilio Matris nequiſſimo utens, dum ei dixiſſet, ſi novam rem volueris facere & nomen acquirere quod alii ædificarunt deſtrue, & populum quem ſuperas interfice; Nam nec ædificia meliora ac pretioſiora facere potes neque plus magnam rem per quam nomen tuum eleves. Qui Rhenũ apud Moguntiam ponte ingenioſo tranſiens primum ipſam civitatem cum populo ejus delevit, deinde cunctas quasque civitates Germaniæ vaſtans Mettis pervenit, ubi muro civitatis divino nutu ruente capta eſt civitas à Vandalis. Dein urbem Trebirorum vix jam à perſecutione Francorum reſpirantem pari obſidione cepit & magna ejus ædificia ad terram dejecit, Civium pars aliquanta in harena civitatis id eſt in amphiteatro quam munierant, liberata eſt. Poſt hæc cunctas civitates Galliarum Crocus pervagans Arelatum obſedit, ubi à quodam Milite Marco [Mario] captus & in vinculis conſtrictus per cunctas civitates quos vaſtaverat ductus impiam vitam morte dignam finiit. Paulo poſt regnante Theodoſio minore Atrila Rex Hunnorum civitatem Trebirorum bello obtinuit eamque graviter depopulatus eſt. Poſt mortem autem Valentiniani qui poſt Theodoſium cum Martiano imperavit Avitus ſuscepit imperium, ſub quo Civitas Trebirorum ludibrio patuit Francorum. Erat in urbe ſenator nomine Lucius qui habuit uxorem pulcherrimam in quam [qva] deperiit Avitus amore turpi. Simulans ergo infirmitatem præcepit ut omnes ſenatrices Urbis eum viſitarent, venit inter alias uxor Lucii & ab eo ſtuprata ſilenter domum reviſit Mariti. In craſtino ſurgens de ſtrato ſuo Avitus dixit ad Lucium. Pulchras thermas habes ſed frigido lavas. Hic Lucius indignatus urbem prodidit Francis à quibus

bus direpta est, multisque necatis incensa. Treberi capta & Coloniam Franci ceperunt. Sic finitum est nomen & regnum Gallorum & Germanorum & ortum est Francorum.

CAP. XXXVI.

POst obitum Sancti Felicis, ut ad id redeamus à quo paululum recessimus, Mauritius Trebirorum præsul efficitur. Post quem Sanctus Legontius, dein *Auctor*, Post quem Sanctus Severus. HIC Apostolicis viris per omnia coæquandus Germaniæ verbum dei prædicavit & cum beato Germano Parisiorum Episcopo & Lupo Trecaseno in Britannia Pelagianam hæresin destruxit. Cui successit beatus Cyrillus. HIC cellam Sancti Eucharii incensam & desertam reparavit, Monasteriumque non longè à priori loco constituit, & illuc corpora Sanctorum Eucharii & successorum ejus transtulit, juxta quos & ipse requiescit. Cyrillum Lamnerium [janerius, janerium] Emerus subsecutus, Marum post se constituit, qui Monasterium Sancti Paulini à Barbaris in prædictis urbis vastationibus desolatum reparavit, ubi & ipse sepultus requiescit, cui successit Volusianus. HIC privilegium dudum à Papa Silvestro huic urbi per beatum Agricium delegatum, [delatum] sed jam suo tempore deletum, Romano Pontifici rescribi fecit, & honorem priscum suæ civitati renovavit, Post quem Miletus Ecclesiam rexit, Post quem Modestus, dein Maximinianus; post quem Sebicius [Hibustus] cui successit Abrunculus, dein Rusticus hic primo reprehensibiis sed postea per *beatum Goarem* correctus in Ecclesia beatæ Mariæ, quæ vocatur Litus ad Martyres quatuor annis reclusus pœnitentiam gessit. Quo decedente Aponoctus [Aponoculus] successit. Cujus temporibus Arvernensi Ecclesiæ Illidius sacerdos extitit, cujus fama cum per diversos Ecclesiæ eveheretur assensus, & vicinarum urbium fines penetravit, unde

factum

factum est, ut hæc gloria etiam Trebirici Imperatoris aures attingeret cujus filia à Spiritu immundo vexabatur & non inveniebatur à qvo posset erui, beatum Illidium fama detexit & dicto citius ab Imperatore directi pium Sanctum Senem Arvernis repertum Treberis Regi repræsentant, à qvo venerabiliter excipitur. Rex de exitu infelicis conqveritur filiæ. Ille verò confisus in Domino orationi tota nocte incumbit, dein missis in os puellæ digitis neqvam Spiritum à corpore abegit obsesso. Qvod miraculum Imperator cernens, immensos auri argentiqve cumulos Sancto offert Sacerdoti, qvos ille refutans obtinuit hoc ut Arverna civitas qvæ tributaria in specie triticea ac vinaria dependebat, in auro solveret qvod cum gravi labore penui inferebatur Imperiali. Sanctus vero Illidius impleto vitæ præsentis tempore in ipso vitæ curriculo migravit ad Christum à suisqve delatus in urbe sua sepultus est.

CAP. XXXVII.

EO tempore Theodoricus Rex ex civibus Arvernis Clericos multos adduxit, qvos Trebericæ Ecclesiæ ad reddendum Domino famulatum jussit assistere. Beatum verò Gallum neqvaqvam passus est à se separari. Defuncto verò Aponoculo Episcopo congregati Clerici Trebericiad Theodoricum Regem sanctum Gallum Episcopum petebant. Quibus ille ait: ite & alium requirite, Gallum enim Diaconum alibi habeo destinatum. Tunc eligentes Sanctum Nicetium Abbatem urbis Lemovicinæ Episcopum statuerunt. Cui successit Magnericus discipulus ejusdem Nicetii. Cujus temporibus in Parochia Trebirorum magnæ sanctitatis Viri claruerunt, videlicet Paulus super montem Cebennam, qui ex ejus nomine hactenus Pauli mons vocabatur. Ingobertus, distobodus, [diffibodus] Wandalinus, Carilefus [Carilefius] & quidam

dam Longobardus, nomine *Vuolffi* Laicus, & presbyter Beatus ejusque [ejusdem] Germanus nomine & opere beatus aliique plurimi hermiticam vitam ducebant. Hic Magnericus Episcopus templa antiqua dei in priscum renovavit honorem, & in honore beati Martini Ecclesiam construxit. Unam in monte pago vabrensi, [Nabrensi] alteram in villa quæ Carto [Caic] Domus dicitur. Tertiam in monte Iurano qui ex nomine Sancti Martini dicitur. Quartam in ipsa urbe in qua & ipse post expletum suæ vitæ cursum tumulatus est, Cui successit Gangericus discipulus ejus, qui in castro Trebirorum Evosio fuerat educatus. Hoc quoqne mortuo Sabaudus Pontificatum subiit. Post quem Severinus Ecclesiam rexit Dominica dignus allocutione. Cui dictum est à Domino ut à sede sua Burdegalam transmigraret ibique verbum Dei prædicaret. Quo tendente beatus Amandus illius Ecclesiæ Episcopus nihilominus à Domino admonitus ex castris obviam venit honorificeque introductum suscepit, ipseque loco cessit Severino sede relicta, ibi sepultus requiescit. Dein Modowaldus Episcopatum suscepit temporibus Dagoberti qui videlicet Dagobertus plurima beneficia contulit Treberensi Ecclesiæ & beato Modowaldo. Idem enim Pontifex in palatio Dagoberti, quod vocatur horreum, Ecclesiam in honore beatæ Mariæ Virginis construxit, ubi & congregationem Virginum instituit, ubi præfecit mulierem quandam Modestam vita & nomine sacratissimam virginem alumnam cænobii montis Romoraci [Romarici] quæ ab aliquibus soror Sancti Wilbrodi fuisse putatur contemporaneam beatæ virginis Gertrudis. Dein nihilominus deo dilectam Virginem Irminam ipsius Dagoberti regis filiam, & post Anastasiam virginem, Cui successit Basilissa. Itemque aliam in palatio antiquo in suburbio sito congregationem constituit, quibus matrem similiter Dagoberti filiam nomine Adelam præfecit &

& Ec-

& Eccleſiam Sancti Martini in pago Megene [Megine] Item idem venerandus Pontifex Modowaldus conſtruxit Eccleſiam Sancti Sympheriani ad littus Moſellæ ibique congregationem Virginum eſſe conſtituit, quarum Matrem ſororem ſuam Severam nomine inſtituit. Hujus etiam temporibus Paulus incluſus ſupradictus migravit ad *Theologiam* quam præfatus Dagobertus Rex in ſuo proprio conſtruxerat & ibi aliquantulum manſit. Poſtea vero Eccleſiæ Virdunenſis curam regendam ſuscepit, ibique quievit. Sanctus quoque Modowaldus poſtquam ſororem ſuam beatam Severam cœleſti ſponſo eam vocante obeuntem in Eccleſia ſancti Symphoriani ſepulturæ tradidit paulo poſt & ipſe migravit ad Dominum & in eadem Eccleſia juxta eam ſepultus eſt.

CAP. XXXVIII.

HUic ſucceſſit Mymerianus [Numerianus] cui Baſinus qui fuit Abbas cellæ Sancti Hilarii in territorio Trebereſi poſt quem Lutwinus ipſius Baſini ex ſorore Nepos. Hic primo belgicæ Galliæ dux omnia Monaſteria hujus urbis largiſſimis honoravit donariis & prædiis auxit. Poſtea ſuper fluvium *Saroam* [Arona] in proprio congregationem Monachorum inſtituit, ubi & ipſe Monachicæ vitæ habitum ſuscepit. defuncto avunculo ſuo Baſino Epiſcopo ſucceſſit electus & à Remenſibus & Laudunenſibus præfuit, in quibus duobus uno die Deo præſtante ſacrorum ordinum conſecrationem celebravit, Remis obiit & à Milone filio & Trebirenſibus relatus divino dato indicio [judicio] Mediolacum [Mediolanum *ita alter codex*] ſepultus eſt. Qvo defuncto Clodolfo merenſi Episcopo Sancti Arnolfi filio Eccleſia Trebirenſis committitur. Qvam dum regeret Milo iam dicti Lutwini Epiſcopi filius, non ut qvidam ajunt Eccleſiaſtica electione ſed tyrannica invaſione occupavit, in qvo nihil

nihil de clericali honore vel vita nisi tonsura enituit. Ejus vero invasionis ratio hæc est. Eo enim tempore bella gravia in hac provincia orta inter Karolum & Rangifredum de principatu contendentes, quem ut Karolus bello obtineret Laicis Episcopatus donavit & Episcopis nullam potestatem habere permisit. Cum hoc Karolo Milo supra dictus ad bellum profectus est sola tonsura Clericus, habitu & moribus irreligiosus Laicus, & post victoriam Episcopatibus Trebirorum & Remorum ab eodem Carolo donatus est. Cujus infelici tempore de his Ecclesiis multa ablata sunt & res ab Episcopiis divisæ, domus religiosorum destructæ, Ecclesiastica disciplina dispersa, adeo ut Clerici, Sacerdotes, Monachi & Moniales sine lege Ecclesiastica viverent & refugia indebita haberent. Patet hujus calamitatis indicium in plurimis Treberensis Parochiæ Ecclesiis in qvibus singulis singulæ fuerunt olim Congregationes, qvæ tam a præfato Milone qvam ab aliis Tyrannis ne dicam Episcopis rebus spoliatæ vix unum Presbyterum possunt sustentare. Sic sunt, Ecclesia Sancti Medardi, qvæ sita est prope cellam Eucharii, Ecclesia supra Saroam, qvæ dicitur Ravena [Tavena] Ecclesia Sancti Symphoriani à beato Modowaldo constructa, Ecclesia in honore Sanctæ Crucis jussu beatæ Helenæ condita. Ecclesia Sancti Salvatoris in Capitolio, Ecclesia ad Palatium, Ecclesia supra montem Sancti Beati, Ecclesia Sancti Stephani extra Castrum *Andernacum*, forum quoque erat ante portam mediam constitutum & frequentia Comprovincialium satis celebre & famosum orta inter cives & negotiatores gravi simultate ex eo loco in Masgaciam [Wagasacram] translatum est. Et de his hactenus.

CAP. XXXIX.

ZAcharias igitur Papa Beatum Bonifacium doctrina & operatione clarum Treberensi & Remensi Ecclesiis

ſis viſitatorem & ſpiritualium negotiorum proviſorem conſtituit, cum Milo Tyrannus res utraſqve teneret. Interea Carolus Eccleſiarum deſtructor moritur, de qvo nocte qvadam revelatum eſt Sancto Euchario Aurelianenſi Epiſcopo, qvod eſſet in inferno inferiori, qvi accito Domino Bonifacio Romanæ Sedis Vicario aliiſqve boni teſtimonii Viris Sepulchrum Caroli aperuit, ſublato autem lapide ſerpens mirè magnus exivit de ſarcophago, corpus autem Karoli non eſt inventum ibi. In his diebus Dominus Zacharias Papa audiens fidem & doctrinam Domini Bonifacii conſtituit eum ArchiEpiſcopum Mogontinæ Eccleſiæ; Nam antea Mogontini Epiſcopi ſuffraganei erant, Wormacienſium Epiſcoporum. Milo igitur Tyrannus his ita peractis venationi inſerviens ab Apro percuſſus moritur; in villa qvæ dicitur Yranc [Yrano] primo à Trebori miliario, ubi & ſepelitur, poſt XL annos ſuæ Tyrannicæ invaſionis. Pipinus ergo rex ſuggeſtione cleri & plebis Trebericæ Hildolfum, claro Nerviorum genere ortum in Rengensburg [Regenesburg] autem enutritum Trebericæ Metropoli conſtituit Epiſcopum. Hic conſtruxit Monaſterium in honore ſancti Johannis Evangeliſtæ, juxta cellam ſancti Hilarii in campo Martio, in qvod corpus ſancti Maximini de cella ſancti Eucharii tranſtulit, cum aliis CCCtorum Martyrum corporibus à Ricciovaro paſſorum, qvem locum & ſua ſupellectile & fundis ditatum & cœnobitis repletum, centenum numerum Monachorum conſtituit, qvæ videlicet Cella in fundo ſancti Petri conſtructa Epiſcoporum Trebirenſium multo tempore juri ſubjacuit, donec unus eorum adulatione dampnabili cuidam reginæ ad Nuptias eandem Cellam cum Caſtello qvod dicitur Sericum [Uricum] dono dedit, & ſic deinceps à regibus detenta eſt. Hic itaqve poſt aliqvot annos Epiſcopatum ſuum relinqvens in Saltu Voſagi

Tullensis parochiæ cellas tres constituit [construxit] in qvarum media monachus sanctus [factus] Deo sub Abbatis imperio militavit, ubi & reqviescit, cui tamen qvam diu vixit alius in Episcopatu non successit. Defuncto vero successit Weomardus [Wicmandus] & hic fuit Abbas Cellæ sancti Maximini. Hic cellam sancti Goaris ad jus sancti Petri transferre conatus est, sed violentia Pipini Regis impeditus est. Præceptum tamen regiæ autoritatis ab eodem Pipino super cellam sancti Maximini & aliis rebus Ecclesiæ Trebirensis obtinuit, & à Carolo Magno Pipini filio, qvod qvi scire voluerit invenire poterit.

CAP. XL.

EO mortuo Richbodus ordinatur Episcopus, dein Wazo, qvi ambo alter alteri succedens abbates extiterunt Mediolacensis Cœnobii. Post qvos Hamularius Fortunatus Cardinalis Romanus, *qui librum Officiorum conscripsit*. Hic missus est à Carolo Magno Constantinopolim propter pacem cum Michaele Imparatore firmandam. Qvi etiam Carolus multum marmor & Musseum [Musivum] plurimum de Treberi Aqvis palacium vexit & beato Petro ad vicissitudinem munera dedit. Post Fortunatum Trebirorum Ecclesiæ Hetti præfuit Abbas Mediolacensis. Hic admonitus in visu à Sancto Materno, in XXIII anno Ludowici Imperatoris asportavit corpus Sancti Castoris de loco qui vocatur Cardenna [Cardona] ad confluentiam ad monasterium, qvod ipse construxerat, & Vto. [prim] Idus Decembris consecravit in honore Sancti & omnium Confessorum, & post consecrationem Sanctum Corpus in Ecclesia recondidit ibique Ludvicus Imperator multa Domino [dona] præsentavit. dicunt eum aliqui res Ecclesiarum Sancti Eucharii & Sancti Lutwini Principibus suis in beneficium tradidisse. Post XXX VII [XXXI] annos [sui sacerdotii] obiit & sepultus est in monasterio Sancti Eucharii ante altare Sancti

Johan-

Johannis Baptistæ in absida aquilonari, ad cujus dextram in altaris [altera] absida requiescit vir valde magnificus in Germanis nobilitate, clarus ejusdem Hetti Germanus, nomine Rutgandus.

CAP. XLI.

ANno Dominicæ Incarnationis Octingentesimo LI Cathedram Hetti Tietgaudus obtinuit. Hic simplex seductus est à *Lothario Imperatore* & adultero & Gunthero Colonienſi Episcopo & consensit in desertionem Thietpergæ uxoris ejusdem Lotharii falso accusatæ, imò definivit in synodo, quod ipsa confessa fuisset, semetipsam fratris Germani incestuoso pollutam fuisse concubitu. Hanc enim falsam infamiam Lotharius cum his Episcopis composuerat cupiens hoc modo reginam abiicere & waldradam sororem ejusdem Guntheri Colonienſis Archi Episcopi quã ipse adolescens concubinam habuerat, in regnum assumere. Qvod cum judicio Episcoporum adeptus fuisset, Thietgandus & Guntherus à Papa Nicolao Romam pro his causis vocati sunt, ibique omni Ecclesiastica dignitate privati deposiți sunt. Hujus qvoque Thietgaudi Episcopi anno VI Treberis visus est canis sedere super cathedram ejus Episcopalem, cumque iterum atque III Sedem apostolicam restitutionis gratia adissent & non profeciſſent; Noviſſimo Nicolao Papa defuncto Adrianus succeſſit, Cujus liberalitate Thiergaudus in monasterio Sancti Gregorii mansionem suscepit, cui Sanctus Gregorius in somnis scilicet & iterum apparens, monuit ut recederet & mansionem Sancti perturbare, quia illicitum esse ipse Gregorius disposuit, desineret & cum hoc facere Thietgaudus dissimularet, tertio correptus de inobedientia & defatigatione Apostolica. Apparuerat enim sibi ducens dextrâ manu Andream Apostolum cujus nomini ipsa Basilica constructa fuit, responsum accepit, quod à momentanea quidem

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 90;Leibn. Marg. 90, Stück 1, [431] - 55
PUBLIC DOMAIN

dem morte liberaretur sed propria cum suis privaretur. Quod cum omnibus quibus potuit revelaret, & aliud hospitiũ à Pontifice impetrare non posset, apud Sabinos concedens eodem anno cum suis omnibus vita privatus est. Lotharius vero Imperator apud Placenciam divinitus percussus moritur. Cum qvo pariter totum regnum, quod ex ejus nomine Lotaringium appellatur corruit. Castellum etiam Lotharii non longè à treberis super saroam [juram] ex illo tempore desertum est.

CAP. XLII.

ANno Dominicæ incarnationis DCCC LXIIII Bertholfus Abbas Mediolacensis fit Episcopus Treberorum consanguineus Adventii tunc temporis Metensis Episcopi, qui Advencius cum Lotharium regem in Placentia mortuum cognovisset, Karolum fratrem ejus, qui in provincia regnabat Mettis evocatum adjuncto sibi cum aliis Episcopis Hincmaro Remensi Archi Episcopo, Regem Lotharingiæ Provinciæ consecravit cognatoque suo Bertulfo ut daret Archi Episcopatum Trebarensem obtinuit. Hic villam qvæ dicitur Marcia de manu regia comparavit. Anno V^to. Bertolfi moritur Adventius Metensis Episcopus. Walo ej subsituitur, cui ordinationis suæ anno II transmissum est pallium á Johanne Pontifice cum literis docentibus, quibus hoc festis foret usurus. Bertholfus vero Metropolitanus audiens Walonem in die Sancto Paschæ cum pallio procedere missis literis Trebarim evocatũ percunctatus est, quando vel qvomodo vel à quo procedere cũ pallio sibi fuerit concessũ, Walo literis in aurib^9 omnium qvi aderant, qvod sibi à Pontifice transmissum fuerit de usu pallii privilegium, asseruit non se primum sed qvintum fuisse quem Apostolica sedes hoc honore dignata sit sublimare salvâ tamen in omnibus Metropolitani subjectione,

ctione, primum Urbicum [Urbicium] ſecundum Pipini Regis ex ſorore Nepotem Crodegangum III^am^. Angeltannum [Angelramum] IV. Drogonem Karoli Magni Imperatoris filium. Bertholfus his aſſertionibus non ſatisfactus capitulo canonum loco qvo aſſeritur nulli ſuffraganeorum, novum & qvod non ab omnibus in Eccleſia ſua prædeceſſoribus habebatur absque Metropolitani ſui conſilio & licentia præſumendum, interdixit ej perſanctam quam in omnibus Eccleſiaſticis negotiis ſibi deberet obedientiam, ne ulterius niſi ab eo petita & conceſſa licentia pallio uteretur. Cumque Walo Apoſtolicam autoritatem prætenderet, Archi Epiſcopus vero Metropolitanorum privilegia defenderet, grandis utrinqve conflata eſt inimicitia. Hincmarus igitur Reverendiſſimus Remorum Archi Epiſcopus & eloquentia clariſſimus audiens hanc diſſidentiam Epiſtolam Waloni transmiſit ſapientiæ & ſani conſilii ſale conditam, per quam eum ad Metropolitani ſui inſtruxit obedientiam, & ſic reſtituit concordiam. Fuit enim iſte Bertholfus multum acer & impatiens in talibus ſuffraganeorum ſuorum præſumtionibus, & ſuæ Eccleſiæ privilegium non paſſus eſt in aliqvo temerari. Nam *literas Romani Pontificis* pro eâdem Walonis præſumtione nec non pro Epiſcopi Virdunenſis contra ſuam voluntatem ordinatione ſibi transmiſſas *noluit ſuſcipere*; Anno Epiſcopatus ejus XII [II.] Cœleſtis vindicta venit ſuper Lotharingiam, Regnum Lotharii ſupradicti Regis adulteri & excommunicati. Deniqve Nortmanni qvi ante complures annos exierant & civitatem Nannetis combuſſerant Epiſcopumqve ejus Sabato Sancto Paſchæ dum fontes benediceret cum Clero ſuo trucidaverant, Andegavis, Turonis, Pictavis, Leodium, Trajectum, Tungrim, Coloniam, Bunnam, Tulpiacum, Juliacum, Niuſa [Nuiſam] Aqvis, Hindam, Malmundarum [Malmudorum] Stabulaus [Stabulus] Prumiam,

am, Numago Regium (Rhenli) Castrum igne & ferro adnihilaverunt. Treberici ergo inito cum sapientioribus consilio qvicqvid in Civitate Ecclesiastici census vel ornatus fuerat in subterraneis oculunt specubus; Sarcophaga etiam Sanctorum altiùs terræ immergunt, ne sanctorum reliqviæ ludibrio essent barbarorum vesaniæ. Erat itaqve in monasterio Sancti Paulini Cripta ubi circa ipsius Sancti Sarcofagum ferreis catenis suspensum XIII jacebant corpora martyrum, qvorum nomina aureis literis in ejusdem Criptæ parietibus erant descripta. Religiosi igitur, qvi tunc erant Christiani timentes, ne per hujus Scripturæ indicium ludibrio ut dictum est fierent hostibus Sarcofaga vel ipsa etiam ossa martyrum salubre in iêre Consilium, ut scilicet ablatis de parietibus literis nomina eorundem martyrum insuper qvi fuerint, unde venerint, qvando, qvomodo à qvo occisi sint in plumbea scriberetur Tabula, ubi qvisqve posset invenire, & horum nominum translationis causam & martyrum nomina & merita; Taliter autem Scripserunt in Tabula plumbea: In hac Cripta jacent (corpora sanctorum secundum seculi dignitatem nobilissimorum, secundum autem Dei voluntatem martyrum pretiosorum. Nam Rictiovarus Maximiani Imperatoris præfectus Legionem Thebæam jussu ipsius circumqvaqve persecutus, hanc etiam urbem propter ipsos ingressus est. Qvorum innumeros cùm hîc occidisset, hos qvoqve hujus civitatis Principes fidei Christianæ Confessores cum ipsis occidit: Qvorum hic corpora circum sunt collocata, in medio verò S. Paulini Episcopi Trebirorum Clarissimi corpus est ferreis catenis suspensum, qvod ibi factus Felix hujus sedis Episcopus à Phrygia totius regni viribus translatum 3tio Id. May honorificè suspendit, qvi & istud Monasterium in honorem S. DEI genetricis, nec non eorundem martyrum construxit. Nam præter horum Principum corpora

innu-

innumerabilia ejusdem multitudinis corpora in hoc Monasterio sunt comprehensa, qvorum nomina scilicet innumerabilis populi & peregrini non potuerunt inveniri, excepto uno Ducis vocabulo, qvi Thyrsus vocabatur. Hujus igitur & eorum martyrum vocabula, qvorum hic videri possunt Sarcophaga, aureis literis in hujus cryptæ pariete conscripta fuerunt. Qvæ inde devoti, qvi tunc erant Christiani huc transtulerunt, qvando Nortmannos hanc urbem sicut cæteras undiqve urbes depopulatos esse præsciverunt; Is ergo qvi ex dextro latere, latere S. Paulini repositus est, Dalmatius vocabatur, qvi consul & Patritius toti huic civitati principabatur. In sinistro autem latere ipsius qvi jacet Thyrsus vocatur, cujus nomen solius de tanta multitudine ideò est notatum qvia ipsus ejusdem legionis gerebat Ducatum. Ad capur autem hujus S. Paulini jacent & hujus urbis Senatores, martyrio cum ipsis Thebæis coronati, qvorum medius vocatur Maxentius, juxta qvem dextrorsum jacet propius, nomen habens Constantius; Post qvem est Crescentius. Postea Justinus. In latere autem sinistro Maxentii qvi jacent tres erant fratres Germani qvorum maximus natu, proximè Maxentium est Leander. Juxta, qvem Alexander, postea Sother. Ad pedes verò S. Paulini altrinsecus positi sunt qvatuor viri, genere, & virtute clarissimi qvi licet tempore pacis occultè Christum colebant, tempore tamen persecutionis apertè adeò fidem Christianorum defendebant, adeò ipsi Rictiovaro in faciem resistebant, qvos omnes, ad exemplum aliorum diversis tormentorum generibus multum afflictos tandem in præsentia sua fecit decollari. Alter ergo duorum versus austrum positorum, interior scilicet, Hormisda, exterior autem Papyrius vocatur. Alter autem eorum, qvorum latera aqvilonem respiciunt, interior Constans, exterior Jovianus vocatur. Ingressus est autem Treberim Rictiovarus 4 Nov. Oct.

Oct. & eodem die occidit Thyrsum cum sociis, seqventi autem die Palmatium (supra scribebatur Dalmatius) cum aliis Principibus civitatis. Tertia verò die, cædem exercuit in plebe sexus utriusqve. Cum autem terra decrypta, ubi hæc jacent sanctorum corpora, portarentur, os qvoddam incautè projectum sanguinem fudit non modicum. Qvod mox in præsentia Abbatum Clericorum & Laicorum in vasculum delatum, qvoties effundebatur, toties cum magna cruoris inundatione replebatur. In hac autem inundatione à nona hora sabbathi, usqve ad primam secundæ feriæ horam permansit. Et adhuc permanet sanguinolentum) Corpus [corpora] qvoqve Sancti Eucharii & reliqvorum ibi sepultorum altiùs terræ infoderunt idem fecerunt de aliis circa urbem sepultis.

CAP. XLIII.

ANno Dominicæ Incarnationis DCCC LXXX. defuncto Imperatore Ludowico Nortmanni audita ejus morte cum omnibus viribus exeuntes urbem Trebirorum Nonas Aprillis die sacratissimo cœnæ Domini occupaverunt, Bertholfo Episcopo cum quibusdam civibus fuga lapso, in qua usque ad Sanctum diem Paschæ fessa ab itinere corpora recreantes omne territorium urbis circumquaque usque ad solum demoliti sunt, omnes quoque qvos intra & extra urbem repererunt gladio occiderunt, ipsamque urbem & Monasteria omnia succenderunt igne. Cumque & Monasterio Sancti Paulini ignem multotiens injecissent, sed divinitus extingueretur, catenas ferreas qvibus sarcophagum ejus pendebat confregerunt, sed tamen sarcophagum catenis confractis nequaquam altius terræ insedit, sed in aere pendens remansit, donec post multos años à quibusdã infidelib' depressum subsedit, non sine vindicta in eos transfusa. Quicunqve

que enim huic ſacrilegio manibus deſervierunt, ſingulas infirmitatum plagas ſusceperunt. Igitur Nortmanni civitate omni exuſta & deſolata Mettim properare diſponunt, qvod dum comperiſſet ejusdem urbis antiſtes Walo adjuncto ſibi Bertolfo Treberenſi Epiſcopo & Walhardo comite ad Remiche ultro illis obviã ad pugnam procedit. Inito certamine Normanni vicerunt, Walo Epiſcopus ibi cecidit, Bertholfus cum cæteris fugit. Eodem anno Bertholfus Archi Epiſcopus migravit ad Dominum. Cui ſucceſſit Rathbodus Abbas de Mediolaco venerabilis Antiſtes, qui eodem anno Rupertum in Mettis Epiſcopum conſecravit. Hic acquiſivit Abbaciam Sancti Servatii quæ dicitur *Maſtreiz* ab Arnolfo deinde etiam à Ludevico Imperatore hæc caſtella obtinuit: Sericum cum Orkeſuel [Orouſſel] cum villis ſibi ſubjacentibus, poſt quem *Rutgerus* Epiſcopus præceptum regiæ autoritatis ſuper eandem Abbatiam obtinuit. Iſte bonæ converſationis exiſtens habito Treberi cum ſuffraganeis Epiſcopis ac reliqvo Clero generali Concilio *librum Canonicorum decretorum* ſua induſtria compoſitum in medium protulit atque firmavit.

CAP. XLIV.

DEin Rutpertus Epiſcopus exiſtit. Iſte primus, ut ferunt, Trebirenſem Eccleſiam regno, qvod Lotharingium vocatur, adjecit, pro eo quod ſoror ejus Imperatori in matrimonio juncta fuit cum usque ad ejus tempora Francorum regno qvod à Karolo nomen habet ſubjecta multis fuiſſet honoribus illuſtrata. Sancto Martino quædam bona abſtulit Treberi. Poſt Rutpertum Heinricus Eccleſiæ præfuit qui regulares officinas & clauſtra circa majorem Eccleſiam conſtruxit & vigorem regularis converſationis ibidem exerceri decrevit, forum, in qvo nunc eſſe videtur, inſtituit. Affuit Romæ cum Ottone primo damnando Magum non Papam Iohannem. Item Otto Abbaciam ſupradictam poteſtate

ſtate regia de hàc Eccleſia tulit & aliam qvæ dicitur horrea quod ſua eſſet pro *Maſtreth* huic Eccleſiæ delegavit, cum ad eum nihil pertinuerit. Ipſe vero Heinricus LXXX manſos de Sancto Martino tulit & poſtea in Italia obiit. Cui Theodoricus ſucceſſit, Vir nobilis & magnæ autoritatis Præpoſitus Mogonciæ majoris Eccleſiæ, qvi privilegia ſuæ Eccleſiæ renovavit & auxit. Eccleſiis Sancti Martini ubi Sanctus Magnericus requiescit & beati Paulini donaria multa dedit & collapſa vetuſtate renovavit, Romæ Cellam quatuor coronatorum cum omnibus appendiciis ſuis ſibi ſuisque ſucceſſoribus in perpetuũ acquiſivit, *ſub eo regulares Canonici Sancti Petri eſſe deſierunt.* Mogonciæ defunctus ſepultus eſt in Eccleſia [Baſilica] Sancti Gangolfi Martyris quam ipſe de proprio ſuo conſtruxit ac XII fratres ibi Deo famulaturos datis neceſſariis inſtituit. Cui ſucceſſit æternæ memoriæ Ekkebertus Epiſcopus hic de Britannia ortus, Patre Theodorico Comite & Matre, Hiltigarda nomine divitiis & nobilitate Anglorum primoribus, divinitus ut credimus huic ſedi eſt prædeſtinatus. Nam ut primum Chriſto Treberenſibus conſulente hanc ſedem conſcendit, multifariam ejus inopiam caritate & miſericordia, quæ in eo abundavit ſic in perpetuum relevat ut qvam diu hic mundus volvitur ejus memoria digne celebranda judicetur. Mox etenim omnibus ſuis ſecundum carnem & Spiritum in Britannia propinquis mandat, ut ad ſe inviſendum ſuæqve Generoſitatis indicium declarandum ſe præpararent & proximo natali Domini cum omni pompa & ambitione Treberim properarent, qvod cum ipſi ſtudioſe & ſtrenuè impleſſent ipſe caritate mediante omnibus quas detulerant rebus & pecunia ſpoliavit eisdemqve in Patriam reverſis multoque plura remittentibus & precioſiora adjicientibus Eccleſiam ſuam Paganorum & Chriſtianorum rapina exinanitam largiſſima liberalitate ditavit, aureis & argente-

genteis crucibus, plenariis, Caſulis, Dalmaticis, tunicis, palliis, capſis, velis, cortinisque & poſſeſſionibus auxit. Monaſteria urbis rapina & Provincialium prædiis exhauſta recollectis ubique manu poteſtativa poſſeſſionibus, reparavit, Abbaciam Sancti Servatii dono *Ottonis ſecundi* recepit. Item pro ſiccitate terræ imminente & rogationes, Cruciumque & Sanctarum reliquiarum geſtationes per circuitum valli Treberici ab omnibus quiſunt in ſua parochia tertia poſt pascha hebdomade fieri præcepit; Corpus Sancti Celſi Confeſſoris in Cæmiterio Sancti Eucharii reperit. Juſte namque Ekbertus & Theodoricus Metenſis Epiſcopus Anno Dominicæ incarnationis DCCCC LXX cum Ottone, Magno & glorioſiſſimo Imperatore Auguſto cujus conjux Theophanu (Theophania) in Italia per triennium fere conſtituti multa Sanctorum corpora collegerunt, qvæ ad ſedes ſuas transmiſerunt. Ekebertus Sanctum Severum Presbyterum in Terentina valli [Terentia valle ſepultum] de qvo Sanctus Gregorius in libro dialogorum ſcribit, adjutorio regis ſupradicti acqviſivit qvi per Moſellæ fluviminis alveum transvectus acquieſcit, & in Spoleto civitate oſſa Gregorii Martyris & Pontiani Martyris, & in caſtro *Turegum* [Turregii] reliquias Felicis & regulæ, [Urſulæ] Epiſcopus autem Corſinii [Curſinii] Theodorico Epiſcopo Metenſi dedit corpus Sanctæ Luciæ virginis teſtificantis manu ſua Evangelio ſuper poſita hanc ipſam eſſe Siracuſanam de qua reſponſoria & Antiophonæ, cum Miſſa cantantur ubique & eo loci per Forardum qvendam ducem Spoletanum translatam, cujus dimidium idem Theodoricus Ekberto Epiſcopo devotiſſimè petenti tradidit.

CAP. XLV.

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 90;Leibn. Marg. 90, Stück 1, [439] - 63
PUBLIC DOMAIN

CAP. XLV.

HUjus industria Treberensis Ecclesia baculum Sancti Petri jam dia amissum recepit, quem qvaliter amiserit breviter dicemus. Temporibus Sancti Maximini Hunnis Rhenum transire meditantibus, Sanctus Servacius Trajectensis Episcopus prævidens in Spiritu cædes & incendia totiusque Galliæ futurum excidium. Romam causa orationis adiit, ut suffragio Apostolici patrocinii mitigaret Dominum [iram Domini] Ubi cum triduo precibus & lachrymis insisteret, responso didicit Apostolico, nullo modo vindictam Domini præterituram nilque in Gallia Civitatum vel Ecclesiarum inustum relinqvi, nisi solum in Mete [Meti] monasterium Sancti Stephani. Inde ergo reversus Treberim Sancto Maximino quod audierat retulit, nec multo post apud Trajectum obiit. Quicquid igitur in civitate Treberica erat reliquiarum mobilium prædictæ hostilitatis metu ad Mettim deferendum consilio sapientium est decretum. Porro autem ante Hunnorum irruptionem Treberi Francorum pertulerunt invasionem, nec multo post ille omni fama celebris Attila Rex Hunorum humanarum miseriarum gurges & malorum, a Reno Aurelianis usque omnem Galliam captivavit, incendit & vastavit. Exin cum pace reddita cepissent urbes & vici secundum pristinum inhabitari, Treberi res suas à Metensibus repetentes in vanum fuêre laborantes. Placuit ergo tributum de civitate Treberi Sancto Stephano Metensium Patrono annuatim persolvi quo per hanc exhibitam venerationem mererentur aliquam rerum suarum restitutionem, quibus cum præter baculum alia redderentur, essetqve pudor Trebiros victores quondam gentium tributarios esse Metensium, rupto fœdere altare in honore Sancti Stephani super quatuor columnas in curia erexerunt Treberica & prædictum censum annis singulis illuc solverunt.

Dein

Dein à Metensibus in Curia Regis orta quærimonia & dicentibus annuum tributum à Treberensibus sibi debitum aliquot annis sibi negatum, istis quoque negantibus unquam se alicui tributarios fuisse, Metenses in fidei & querelæ suæ testimonium rogant mitti & inspici quod super columnas in curiæ altare collocatum. Quod cum utrorumque arbitrio definitum foret, fieri debere: Treberici occultè celerrimum nuntium miserunt & altare columnis depositum [impositum] Monasterio Sancti Petri collocaverunt. Sic ergo cum res mota quærimoniis probari non posset testimoniis, Treberenses hâc potiti victoria baculi tamen caruere presentia donec post dictas & trium adhuc gentium graviſſimas irruptiones, Wandalorum Francorum, Nortmannorum Ottone regnante, Frater ejus potentissimus Colonienſis Episcopus hâc etiam civitate donatus à Treberensibus rogatus baculum huic Ecclesiæ restituendum à Metensibus extorsit, sed eum eadem, qua clavum Domini, perfidia subtrahere voluit, Colonienſi Ecclesiæ dono dedit. Paucis hinc annis transeuntibus Ekberti Episcopi instantia Warinus Colonienſis Episcopus partem baculi cum apice secans superiorem partem sibi retinuit, reliquam huc transmisit. Ferunt hirundines ab hoc Viro scilicet Ekberto Episcopo maledicente templum Sancti Petri non involare, aut si involaverint exanimari, quod sibi quodam die super altare sacra celebranti ex una earum caput contigisset fœdari. Adveniente quondam festivitate Sancti Eucharii, Ipse pro celebrando ibidem divino officio ad ejus monasterium perrexit. Cumque post expleta Missarum solemnia à fratribus peteretur obnixè cibi & potus caritatem sumere, ne eis onerosum fortasse existeret, si tanta comitatus ambitione ibidem reficeret, cepit oblatam à fratribus caritatem omnino refutare & reditum suum in Urbem maturare, cumque

que veniſſet ad flumen Oluvam cepit infirmitate gravi deficere nec mora ad ſuam ſedem perveniens, diem clauſit extremum. Sepultus eſt ibidem in parva Eccleſia quam ipſe in honorem Sancti Andreæ conſtruxerat in latere Eccleſiæ dextero. Siniſtrorſum vero depoſitus jacet Heinricus ſupra nominatus hujus tertius anteceſſor, quem in Italia defunctum huc relatum illic ſepelivit.

CAP. XLVI.

HUic ſucceſſit Lutholdus [Ludolfus] *natione Saxo*. hic muris Eccleſiam Sancti Petri ac fratrum [fœminarum] habitacula circumcinxit, & ut ea quæ intra ſunt uſui Canonicorum cedant, exceptis quæ ad Epiſcopum pertinent inſtituit, qvatenus, qvomodo religione, ita & manſione à plebe ſequeſtraretur. Qvo pontificante præfuit in Monaſterio Sancti Paulini Præpoſitus nomine Adelbero de Luczelenburg ortus, vir potens & dives, habens caſtella hæc: Sarburc, Berencaſtel & Rutich [Rotichen] qui inito cum Lutholdo Archiepiſcopo pravo conſilio Eccleſiam Sancti Simphoriani quæ Abbatibus Sancti Martini ſubjacebat partim vi partim dolo ſibi vendicat, Epiſcopo proh dolor ſibi conſentiente, & deinceps eam Sancto Paulino retinuit. Lutholdo autem defuncto ea fiducia quod *ſoror ſua Henrico Claudo Imperatori nupta* fuerat invaſit, Milites in ſua ſacramenta jurare coëgit, Palatium quod ſitum eſt in urbe occupavit, pontem quoque Moſellæ turribus munivit. Heinricus autem Imperator Megingaudo Epiſcopatum dedit, Præpoſito Eccleſiæ Mogontiæ. Qui cum potentiæ Adelberonis reſiſtere pararet LX manſos de rebus ſancti Martini [Materni] Navengero [Ravengero de Madelberc] & Udelberto de ſcalle [ſtalle] in beneficium dedit nec tamen prævaluit. Tunc Heinricus Imperator cum exercitu Tre-

tu Treberim venit & Palatium obsedit à Dominica post albas usque ad Kal. Septembris qua obsidione non solum regio in circuitu Urbis undique vastata, sed ipsa quoque Civitas quæ jam post vastationem Nortmannicam ædibus ornata & aliquatenus fuerat inhabitata, in pristinam solitudinem pene est redacta. Non solum denique Obsessores sed & ipsi Palatini obsessi frequentibus eruptionibus ipsos obsessores & finitima Palatii populabantur. Una die de vertice Jurani montis multitudo boum & ovium ad servitium Imperatoris adducta cum præsidio militum destitueretur [descendit) quod Palatini ex arce prospicientes eruptione subita facta boves & oves præsidio eorum fugato ante se in Palatium compulerunt. Quos Cæsariani milites persecuti apertis portis simul cum illis Palatium irruperunt. Nec mora Palatini ex abdito portas clauserunt omnesque qui irruperant missis ex arce lapidibus alios occiderunt alios graviter sauciaverunt, reliquos ceperunt. Tunc Imperator ex materia Domorum urbanarum machinas circa Palatium usque ad arces præcepit erigi, quo facilius posset Palatinos ex ipsa machinarum æquali [æqua] Palatio altitudine angustare. Hæ quoque Palatinis fortiter repugnantibus igne immisso vel succensæ vel dirutæ sunt. Cæsar ergo cum nequaquam proficeretur in ejus expugnatione ad Kal. Septemb. profectus pontẽ dejici jussit quem custodiæ Adelberonis obtinuerant. Et Megingaudo Episcopatum confirmavit, quem usque ad finem vitæ suæ in Castello Confluentia Episcopatum administravit. Adelberone supra dicto Invasore maximam Episcopii familiam retinente. Tandem circa finem Megingaudi, gravi infirmitate depressus omnia Megingaudo reddidit sed Palatium sibi retinuit. Obeunte Megingaudo Heinricus Imperator Poponem in Regensburgk educatum ad offensam Adelberonis Præsulem constituit, ita dicens talem Virum debeo dirige-

re,

re, qui tuæ vesaniæ sufficiat resistere. Igitur Adelbero tandem sera pœnitentia tactus [ductus] nec valens vires Poponis sufferre supplex eidem factus Palatium & sua Castella & omnia sua contradidit, & dein in Monasterio Sancti Paulini usque ad finem vitæ permansit.

CAP. XLVII.

ANno Dominicæ Incarnationis MXVI Boppo [Popo] Archi Episcopus Trebirorum ordinatur. Hic sæpius occupatus in expeditione & procinctu [exercitu] militum, quædam de Sancto Paulino tulit de Palatio & LX monialium præbendas militibus in beneficium distribuit, Berencastel quondam Adelberonis à prædonibus defensum destruxit, aliud quoque castellum cujusdam Tyranni Adelberti qui dicebatur Sciva [Skipha] ad terram dejecit, qui videlicet Adelbertus Castellum Treberis quondam in honore Sanctæ Crucis constructum possidebat, inde frequenter cum multitudine militum erumpens in Curiam Episcopi quidquid ibi ad ejus obsequium parabatur violenter aufferens abducebat. Cujus rei ignominia confusus Episcopus videlicet quod hostem cottidianum sibi tam proximum ob munitionem Castelli non posset debellare, multis ad amicos suos habitis querimoniis ad hujuscemodi infamiam depellendam consilium & auxilium cæpit inquirere. Erat in exercitu ejus Vir potens divitiis & viribus fortis nomine Siko [Sicko] qui promisit se tentaturum, si quomodo posset hujus mali invenire medicamentum, Episcopo sibi satis congratulante, egreditur ille cupiens, quod spoponderat adtentare, quadam die pergit ad portam Castelli pulsans fores, rogat sibi ab Adelberto ad refocillandum poculum mitti quod cum celeriter allatum fuisset & ebibisset, Pincernam nuntium alloqvitur,

Domi-

Domino tuo ait ex mea parte magnas gratias nuntiato pariter & hæc verba narrare curato, quod vita ſospite hoc ſibi poculum grata voluntate citiſſime rependere ſtudebo; Et his dictis abiit, captato demum opportuno tempore XXX *hamas* præparat, in quibus ſingulis ſingulos milites electos loricatos & galeatos enſibusque præcinctos collocat & deſuper linteis opertas funes quibus vectes ad portandum eas inſererentur, componit; Deinde LX viros nichilominus electos & plebeja veſte amictos enſibus eorum in hamas reconditis geſtatores conſtituit nulloque hominum hujus fraudis præter prædictos conſcio. Ipſe Siko cum his & aliis paucis militibus vallatus ad Caſtellum tendit, fores pulſavit, ſervo ſciſcitante quis ſit & quid velit, dic, ait, domino tuo me ſibi vinum magnæ dilectionis gratia olim promiſſum deferre, quoniam ipſum non piguit mihi ſitienti poculum dirigere. Servo renuntiante Adelbertus juſſit viros intromitti, quibus ingreſſis & hamas coram Adelberto ſimul ponentibus poſt eas Siko ſubintrat, jubet auferri lintearum velamina rogat Adelbertum ſuſcipere dilectionis munera, portitores ſicut erant docti uno momento pariter omnia hamarum velamina dejecerunt, gladios ſuos diripuerunt, inſidiæ hamis exiliunt gladios ſtringunt, fortiter undique ferunt, ipſum Adelbertum obtruncant, cæteros ædituos crudeliter mactant, Caſtellum in ſolitudinem redigunt, Siko à Boppone pro victoria beneficiis illuſtratus eſt. Simili modo per alios principes ſuos multa Caſtella partim vi partim dolo cepit, tyrannorum inſaniam diu impune bacchantem ex parte maxima refrenavit. Monaſteriis ſanè eorum violentia exhauſtis prout potuit miſericorditer ſuccurrit, quibusdam non habita dando, quibusdam ablata reſtituendo exceptis duntaxat, ut ſupra diximus duabus congregationibus Sancti Paulini videlicet & Sanctæ Mariæ de Palatio, ex qui-

quibus alteri propter Adelberonis insolentiam quædam subtrahendo minime pepercit, alteri propter malitiam ibidem habitantium, de quibus postea dicemus, cuncta quæ habuerat abstulit, ipsamque de loco eodem exterminavit. Hic rogatus à quodam *Danorum Comite Ottone* Daxiam [Daniam] venit *gentemque Danorum* [Savorum] (an Svecorum?) *ad huc idolis servientem ad Christum convertit*, ubi incredulis repugnantibus chirothecam ferream fieri præcepit, eamque igniri qua manu sua vestita nec læsa, lineoque panno cera infuso ad carnem indutus fornacem candentem intravit, indeque panno combusto illæsus exiens Christum Dei filium Deum esse verum, hoc indicio [judicio] declaravit. Hoc usque hodie apud Danos celebri fama vulgatur, à quibus & *Ansgarius* vocatur; Quo nomine ejus memoria ab eis V. Idus Septembr. celebratur.

CAP. XLVIII.

SEpulchrum ejus Treberi à Danis frequentatur. Sed quia tantisper ejus mentionem fecimus libet à principio quædam gestorum ejus breviter narrando commemorare. Regnante Sereniſſimo Heinrico, rege quidem secundo, Imperatore autem primo, anno regni ejus XIIII Megingaudo Trevericæ Civitatis Archi Episcopo de medio sublato dominus Popo in gaudium & lætitiam universæ civitatis cathedram Episcopalem suscepit, verè inquam in gaudium, quia ut in ipsum Scholastici cujusdam verbis utar *Almum Tutorem secum tulit huc Symeonem.* Unde in sequentibus plenius Deo largiente tractabo. Primum autem quibus parentibus quibus etiam partibus extiterit oriundus, quantum ad meam notitiam seniorum relatione devenit, referre curabo. Pater ejus Liupaldi nomen erat, qui regionis Austriæ Marchiam

am [Marcam] tenebat. Mater ejus Richinza [Richesa] cujusdã Ducis Germaniæ Franciæ filia fuit, sed & frater ejus patris æquivocus patre eorum defuncto eandem Marchiam strenuè gubernabat. Hi itaque filium suum Poponem ætate proficientem disciplina litterali [liberali] erudiendum in Regensburc civitate viris doctioribus tradiderunt, & post in processu temporis scientia litterarum satis imbutum & in virile jam robur adultum notitiæ supradicti regis exhibuerunt. Cui in brevi tam dilectus factus tamque idoneus visus est, ut sic dixi Megingaudo Episcopo Trebericæ Metropolis de medio facto Rex ipse Treberim festinato venerit. Erat enim in Confluentia positus & impetrato tam Cleri, quam populi consensu ipsum Pontificali Cathedra sublimavit. Proinde ab Episcopis qui causa regis advenerant consecratus est sub die Kal. Jan. Anno Dominicæ incarnationis M XVI. Consecratorum autem ejus erat unus Theodoricus, secundus Metensis Episcopus. Dein diebus non multis interpositis Romam orationis causa profectus est, ut quod Sancta Romana Mater Ecclesia filiæ suæ, Treberensi scilicet Ecclesiæ ex institutione Sanctorum Apostolicorum honorum & gratiæ debuisset impendere, & fieri sibi postularet. Quem Dominus Benedictus VIII. Sanctissimæ Apostolicæ sedi præsidens magno cum honore suscepit, moramque ibi facienti omnem reverentiam & dilectionem exhibuit, ita ut pro eo missas faceret & cum ipso sæpius cibum caperet, volenteque inde transmigrare summopere, de ejus quæ in deum est fidei conservatione, & de subditorum sibi eruditione atque deprecantium non furiosa sed paterna castigatione, sed & de munditia animæ & corporis solerter ammonebat, & ut ipsa hæc ejus præcepta memoriæ ipsius non exiderent, dedit chirographum hunc habentem modum.

CAP. XLIX.

CAP. XLIX.

BEnedictus Episcopus servus servorum Dei beatissimo confratri & Episcopo Popponi Sanctæ Trevericæ sedis Archi Episcopo venerabili æternam in domino salutem & Apostolicam benedictionem. Apostolicæ solicitudini convenit, benignum erga fratres semper habere affectum eorumque petitionibus quæ ratæ rationabilesque esse videntur commodare assensum, proinde dulcissime frater, quia postulati à me, uti juxta morem prædecessorum tuorum usum tibi pallii concederemus, libenter voto tuo annuimus, solerter tuam commonentes fraternitatem, ut exterioris indumenti habitum morum probitate exornes, talemque te in omnibus exhibeas, ut creditæ dispensationis officium pastorali cura semper administrare studeas. Tunc enim veluti lucerna quæ in domo lucet cunctis apparebis conspicuus, si ut exteriori habitu ita & interiori fueris adornatus. Crucem Christi quam sub pallii specie gestas, in corpore intus decreveris portare, in mente clamans cum Apostolo. Mihi mundus crucifixus est, & ego mundo, desideranter quoque addens illud Prophetæ: Confige clavis à timore tuo carnes meas. Debita igitur caritate te admonentes ab Apostolica sede pallium tibi transmittimus hujus privilegii nostri autoritate, statuentes, ut in celebratione missarum his tantummodo solennitatibus eo adornatus incedas, videlicet in Nativitate Domini, in Epiphania Domini, in Cœna Domini, in Pascha, in Pentecoste, in Ascensione Domini & in festivitatibus, Sanctæ Dei Genitricis & perpetuæ virginis Mariæ, & in nativitate Sancti Johannis Baptistæ, & in solennibus omnium Apostolorum, & in solennitate omnium sanctorum, in festis quoque illorum Sanctorum quorum Corpora & reliquiæ in tuo Episcopatu habentur, & in dedicatione tuæ Ecclesiæ

& in die annuæ ordinationis tuæ, & ſi quando ſacros ordines competenter facere decreveris. Concedimus etiam Tibi, cariſſime Fili, licentiam crucem ante Te geſtandi, Omnipotens Dominus fraternitatem tuam dulciſſime Frater hic & in futuro cuſtodiat, ſique mentes noſtras in ſuo ſervitio corroboret, ut pro bene adminiſtratæ paſtoralis curæ officio in æterna beatitudine laborem noſtrum remuneret. Bene valete, Dato VI Idus Aprilis Menſis per manus Benedicti Epiſcopi Apoſtolicæ ſedis legati, Anno Heinrici invictiſſimi Regis Romanorum XIIII. Imperio vero ejus tertio Indictione XIIII.

CAP. L.

INde verò annis aliquot transactis cum ſatageret, ut juxta Dei voluntatem & ſecundum ſupra ſcriptam Romani Pontificis commonitionem animam ſuam immaculatam Deo offerret; Ecce diabolus, qui ut ſcriptura dicit ſeducit univerſum orbem, ſicut arte ſua nequiſſima per mulierem Adam protoplaſtum nosque omnes per eum immortalitatis veſte nudavit, ita quoque & hujus animum fraudis ſuæ integumentis à propoſito caſtitatis ſubvertere laborat ne poſſet cum Apoſtolo dicere, gloria noſtra, hoc eſt teſtimonium bonæ conſcientiæ &c. verbi cauſa. Eſt in ſuburbio Treverenſi oppidum quoddam quod vocatur *aula Palatii*, ubi ex inſtitutione unius filiarum Dagoberti regis pretioſæ virginis Athelæ inibi qviescentis congregatio erat puellarum Canonicam vitam profitentium. Accidit itaque ut Epiſcopus uni earum commiſſuram pallii mitteret, ut ipſa ei exinde caligas quibus, cum ad Miſſarum ſolennia celebranda procederet, indueretur, aptaret, quas illa ſuſcipiens & impudicitiæ ſuæ participem fieri concupiſcens arte ſua neſcio qua venefica

infecit, futas remisit quibus mox Episcopo indutis, mirum dictu non visum est ei ultra decem passus viæ sospita vita procedere nisi ad præsens haberet rem cum muliere. Attonitus de tam subita mentis mutatione tamque inopinata carnis titillatione, quippe qui dispoſuerat carnalibus desideriis non consentire, cum festinatione exuit ac uni ut ita dicam de principibus sacerdotum, qui forte illic aderat indutum dedit, qui mox ut induit & ipse festinanter exuit secum mirans nihil tamen dicens tunc reliqui qui astabant, quid id mirabile esset admirati unus post unum [alterum] easdem caligas secreto cupientes induerunt & similia passi sunt, nullus tamen quid pateretur audebat præ pudore fateri. Noviſſimè ventum est ad urbis præfectum, qui ut ab Episcopo jussus induit, furore incredibili infremuit & se incantatum esse proclamat scisitantique, quis iniquitatis hujus autor extiterit, Episcopus aperuit. Tunc omnes in unum sententias suas proferentes dicebant maximum hoc esse dedecus Ecclesiæ, quod qui canonica vel etiam Ecclesiastica conferetur professione tali pollueretur iniquitate. Eam quidem quæ hanc rem fecisset ab ordine sanctimoniæ projici dignam esse, cæteras vero ibi manentium ne ab eis aliquid tam infame procederet mutatis vestibus ac pro albis nigris indutis arctiori vitæ operam dare debere quod si perpeti noluissent, melius esset ut locus iste careret inhabitatione quam ibi tales degerent personæ quæ hujusmodi nequitiam gestarent sub religionis specie, & ita factum est; Illa ejecta est, sed & cæteræ nolentes nec habitum nec conversationem mutare similiter sunt ejectæ, & aliæ in Monasterium puellarum quod horreum dicitur, aliæ autem ad aliæ sui habitus migraverunt loca, vacavitque locus aliquandiu à divinis laudibus. Cujus rei Episcopus postea summa ductus pœnitentia, veritus ne hujus causa injuriæ extre-

extrema divini judicii ultione damnaretur, annuente Domino Johanne tunc Romano Pontifice, commiſſa ſub ipſius teſtimonio conprovincialibus Epiſcopis, ſuis videlicet ſuffraganeis, Treverenſi Eccleſia, Jeruſalem ire diſpoſuit unde rediens in loco ſupradicto ad laudes dei celebrandas clericos religioſos mancipavit. Euntis itaque *Jeruſalem* quam efficax quamque deo extitit pœnitentia grata, prudens quisque liquido poteſt advertere, cum didicerit, quod divina reſpectus clementia virum *Sanctum Symeonem* ſibi conjunxit ſecumque adduxit. Cujus quia mentio ſe intulit, licet de illo prolixior tractatus habeatur, & me libet vel ad modicum ut ſit memoria ejus in benedictione, qui adduxit, cum Domino adjuvante ſanctitatem ejus perſtringere.

CAP. LI.

INterea Dominus Poppo, de quo ſermo eſt, Trevericæ hujus Metropolis ſtrenuus proviſor Hieroſolymam tendens ibi loci ubi Symeon morabatur applicuit, eumque ut ſecum venire vellet exoravit, quod annuens cum Antiochiam ſimul deveniſſet Symeon, à primoribus quibus pridie biſe notum fecerat remoratus ſubſtitit donec Poppo Hieroſolyma rediens ſecus eam civitatem iter reflexit. Tunc admonitus in ſomnis, præfato Præſuli ſe commendat, & ſecum Treverim venit, ubi prout ipſe petiit in turri quadam deſerta [verum pro ut ipſe petiit intrans qvædam deſerta] à Poppone recluſus, ſicut quondam invertice montis Sinai ita nunc quoque hic graves malignorum Spirituum inſidias perpetiit, quos Domino auxiliante ſuperavit. Poſtremo cum ibi recluſus tranſegiſſet VII annos ei qui dedit animam reddidit Kal. Junii Anno Dominicæ Incarnationis M. XXXV. Deus autem eum multis virtutum indiciis magnificavit, ita ut

ut erectis manibus nostris in cœlum sursum ad Deum ac cordibus nostris Evangelicum illud exultantes decantare possimus, quia visitavit Deus plebem suam. Itaque pro miraculorum frequenti ostensione populus totius hujus provinciæ sæpe dictum Popponem deprecabatur Episcopum, uti ad honorem Dei & sancti illius viri per se vel per Epistolam suam Romanum Pontificem consuleret, & eventum rei nuntiaret peteretque quatenus autoritatis præcepto quem Deus evidentibus miraculis commendaret, hunc etiam fidelium populus digno Sanctis obsequio frequentaret, & ejus annuam depositionis diem solemniter celebraret. Super cujus rei negotio Archi Episcopus habito Comprovincialium Episcoporum consilio, quod subditus sibi populus piè petiit implevit.

CAP. LII.

VErum ut ad ordinem narrationis accedam libet ad superiora parumper respicere, Poppone in prælibati itineris negotio occupato nec dum reverso, *Giselbertus quidam Comes de Castello Luzelnburc nominato cum filio suo Cunrado* non sic aliter quam solet lupus in oves insanire, si quando contigerit Pastorem deesse, alius hoc alius illud sibi vendicare, ille quoscunque capere: Iste autem deprædare sicque mala inenarrabilia non cessabat perpetrare, quod Episcopus reversus comperiens, nec enim ipso præsente à malitia sua se poterant continere cum non potuisset ullomodo illis resistere, quippe quibus totius hujus provinciæ valentiores, qui hanc in eos [potius] debuissent injuriam vindicare confœderati erant hujusmodi, conjunctione, persæpe apud Imperatorem Cunradum se proclamat de illorum Tyrannide nihilque potuit proficere sicut supscripta ejus Epistola

stola commemorat, unde quam plures & Regi & Pontifici mittebat Epistolas quas quia pro multitudine tædiosum erat singulas ponere, verum etiam, quia non omnes contigit ad meam notitiam devenire, unam hanc tandem sufficiat præ omnibus potuisse. Reverendissimo Patri patrum gratia & nomine Benedicto Poppo licet indignus divina tamen largiente clementia Sanctæ Trevirensis Ecclesiæ Minister cum totius affectus dilectione debitam subjectionem. Superiori anno cum annuente venerandæ Memoriæ Domino Johanne in hac sancta Sede Apostolica Prædecessore vestro amore visionis sepulchri hominis Dei Jesu Christi Jerusalem peregrè profectus fuissem, in regione nostra pravorum hominum supercrevit iniquitas ita ut nec adhuc manus ab incepta [incesta] possit retrahere nequitia omnia per circuitum diripientes & devastantes super quo sæpissime deprecatus faciem Domini mei Regis quatenus manum mihi porrigeret suæ animadversionis, nihilque profeci, sæpe etiam supra nominato Prædecessori vestro pro eodem supplicavi, nec quidquam usque huc consolationis impetravi, quam ob rem desidero, ut vel nunc solacietur mihi Deo amabilis Paternitas vestra, mittatque virum de honoratioribus vestris ac prudentioribus qui mihi in necessitatibus meis consilio simul & auxilio suffragetur, auxilietur dico de adversis consilietur autem de his, quæ latere non credo vestræ Sanctitati, at vero si hactenus vos latuerunt jam nunc obsecro uti benignum litteris meis accommodare velitis auditum. Vir quidam vitæ sanctitate laudabilis apud nos diebus istis ex hâc luce migravit quemsi signis & virtutibus quæ per eum Dominus operatur credere debeamus, procul dubio eum cum Sanctis æternæ beatitudinis habere consortium non dubitamus, sed non tam signa quæ fidelibus & infidelibus communia sunt, quam fidei virtus, qua fideles ab infi-

infidelibus sequestrati sunt, qua ipse cum adhuc in corpore maneret plurimum viguit, de ejus nos sanctitate certos reddit. Pro inde accersivit nos tam Clerus quam populus Ecclesiæ nostræ obsecrantes uti literis nostris ad hanc Apostolicam sedem, cui vos auctore Deo præsideris cum illius viri Sancti vita & miraculis missis peteremus, quod petitione dignum credimus, quatenus si vobis ita cautum videatur, dato nobis vestri Apostolatus decreto nomen ejus liceat cum Sanctorum nominibus conscribi cæterique honores Sanctis debiti ipsi impendi. Itaque qvidsolatii quid consilii super alleviatione angustiarum mearum hinc & inde obortarum prudentia vestra mihi ineundum decreverit sine longa temporis dilatione dignemini insinuare. Honor vester & meritum apud Deum semper & homines augentur. Sed quid Papa ad hæc responderit quanquam benigne literas ejus super decursas accepit mea non est opus præfatione ipsum audi, quid dicat:

CAP. LIII.

BEnedictus Episcopus servus Servorum Dei Popponi tam suis meritis quam divino carismate Trevirorum Archi Episcopo salutem æternam cum Apostolica benedictione. Sumtis reverentiæ vestræ literis & lectis atque relectis in imo cordis earum vim reposuimus ut vobis petentibus desiderata concederemus. Nam illius regulam jugiter oportet nos in quantum possumus imitari, qui se bene petentibus non est obstinatus, se in veritate quærentibus non est prolongatus, nec ad fores suas perseveranter pulsantibus ad aperiendum retardatur. At nos licet tardius quam cupimus ad sonum tamen paginæ vestræ, ut debemus pro affectu respondemus, neque enim facimus quæ volu-

volumus cum volumus, [facimus ut voluimus] ſed cum divinitus ut faciamus accipimus, quæque ſuis temporibus ſuperna diſpoſitio coaptavit. Quod igitur meminiſti ſedem Apoſtolicam, cui ex divina dignatione præſidemus totius Eccleſiaſticæ Paſtoralitatis eſſe refugium, ut votis veſtris ad eam confugientibus annueremus meritis amplexibus, hæc ipſa donavimus, qvippe cum ſit origo & fundamentum Eccleſiarum, Domino confeſſionem Petri taliter compenſante: Tu es Petrus & ſuper hanc Petram ædificabo Eccleſiam meam &c. dignum plane videtur ut omnis Chriſtiana fidelitas ad eam concurſum habeat & ipſa omnibus manum ſolatii porrigat. Vobis vero in congreſſu poſitis ad iniqvitates pravorum hominum debellandas ac ſpirituali gladio percutiendas quoniam in rebus divinitus vobis commiſſæ vicis, Coadjutorem Præſulem à nobis popoſcitis en dirigimus, quem quidem & honeſtas morum ſic nomine indicat, & ſagax animi pulchritudo decorat, quem huic negotio aptiſſimum cenſuimus, quia Dei fidelem Servum & prudentem cognovimus, cui & aſtutia ſerpentis eſt, & columbæ ſimplicitas, de cujus quodammodo labiis fluunt mella pro captu audientium cœleſtis ambroſiæ plena. Quem à corpore noſtro velut dextrum ſeparavimus brachium, imprecantes ei ſalutem & gaudium, dirigimus ergo illum ut ſolatietur vobis in ... veſtris tam ſcilicet in opere conſecrationis [Dirigimus ergo illum & in unctionem confirmationis] & ſi quid in neceſſitatibus aliis Deo favente valebit pro libitu ſanctæ veſtræ fraternitatis. Ut illum tractetis uti decet non detractetis vel diſſimuletis, nulla credimus admonitione indigetis, cum veſtra benignitas inde ſit profuſior, unde eſt ſanctior. De cetero ad illum Simeonem veniendum eſt, quem numeroſis coruſcantem miraculis, divinis præfulgentem virtutibus oſtenditis. Ex quo liquet eum in fragili cor-

corpore thesaurum bajulasse spiritualis gratiæ, ut non solum sibi providerit ad salutem, sed aliis quoque atque aliis ad multiplicem sanitatem. Quia igitur ad illam æternam beatitudinem illamque summæ felicitatis perpetuitatem & cœleste consortium perveniisse creditur sicut opere signorum frequentius panditur, nostræ Apostolicæ Auctoritatis sententia judicium divini arbitrii secuta & complurium fratrum nostrorum suffulta decernit eundem virum Dei Symeonem post hac semper & ubique Sanctum debere nominari, ejusque natalem sicut aliorum Sanctorum reverentissime singulis annis celebrari. Non enim qui se ipsum commendat ille probatus est, sed quem deus commendat dicit Apostolus, glorietur, laudetur, pigeat, placeat, celebretur, ametur & colatur nomenque illius Martyrologio inseratur. Ipse intercedat pro peccatis & negligentiis nostris & commissorum nobis apud clementissimam divini Numinis Majestatem, ut mirabilia quæ visibiliter exhibet circa infirmorum corpora in animabus nostris occulta virtute dignanter exhibeat. Benedicti VIIII. PPe.

CAP. LIV.

COngruum duxi rem quandam dignam valde memoria quam circa hæc tempora accidisse comperi, sub silentio non præterire. Sicut inquam supra significatum est, ipso Poppone Jerusalem profecto & pertres fere annos demorato, Babyloniam enim usque videndi nominatissimæ civitatis illius gratia processerat, ubi & detentus aliquamdiu in captivitate laborabat, si recte memini, quidam Metensis Episcopus, vice quâdam in jejunio Junii mensis Treverim pro eo ordines facere veniebat, hoc enim ipse prius quam de Provincia exiret deprecatus fuerat, ut cui Comprovincialium suo-

ſuorum videlicet ſuffraganeorum Epiſcoporum demandatum fuiſſet, Treverim veniret & vicem ejus adimpleret. Hic autem quo Treveri cæteris (vicinior) junior eo ibi in hoc opus frequentior. Verum ut dixi ordines facturus ſub die XV. Kal. Julii petiit ſicut aſſiduè faciebat, mitti coram eo in altari clavum Domini, qui ibi loci ea collocatione Dominæ Helenæ Auguſtæ haberetur, quique ſic dæmonis teſtimonio credebatur, cum quidam à dæmone vexaretur, & clavus hic ad effugandum illum cum aliis Sanctorum reliquiis illò delatus fuiſſet à maligno illo perhibitus eſt, ipſe eſſe qui pendentis in cruce Domini pro ſalute generis humani fuiſſet in dextro pede confixus cujus nimia virtute compelli ſe exire. Ante enim nulla certitudo, ſed tantum opinio erat qvantæ virtutis idem clavus haberetur. Porro miſſo eo in altari aſtitit prælibatus Epiſcopus, clam circumſpiciens & quærens locum, ſi ſorte ea ſibi opportunitas accidere potuiſſet, qvo corriperet & in ſinum ſuum deponeret, alium autem qvem hujus gratia fieri juſſerat & ſub aſcella ſua occultaverat, hoc erepto impingeret. Quid multa? ut concupierat correptum in ſinu ſuo recondidit & actionem cui inſtitit lætus peregit. Proinde cum poſt confecta miniſteria [myſteria] exutum duceretur, ſic Domino placuit clavus ille ſanguinem abundantius fudit, qui guttatim de ſinu ejus in terram emanare cœpit, quod videntes Miniſtri ejus qui circumdabant eum ut velocius incederet & exui feſtinaret urgebant eum, cujuspiam mali cauſam ei accidiſſe arbitrati. Denique cum cœpiſſet ſacerdotalia veſtimenta deponere totumque vidiſſet ſinum albæ repletum ſanguine, diriguit primum & ultra quam credi poreſt quid ſecum ageretur admirans tandem cum rediſſet in ſe, delictum quod patrarat confeſſus veniam impetravit, & poſt exutas veſtes convolvit in unum deditque conſilium, ut ſumma cum veneratione ſervarentur quod & factum eſt.

CAP. LV.

CAP. LV.

ILlo itaque tempore cum adhuc famulus Dei Symeon supra nominatus vitales carperet auras Popponem sæpe dictum Archi Episcopum ducem suum & hospitem idem vir Dei secreta frequenter collocutione dignos futuræ vitæ actus agere persvasit, quatenus in hâc luce positus cum Dei adjutorio hoc elaborare niteretur, ut post obitum in consortium beatitudinis eorum transiret, quorum nunc vicem gerere videretur. Fuit autem fames valida in omni terra ista, ita ut multi morerentur inedia, hiemalium pluviarum enim inundantia sed & fluminis secus civitatem decurrentis, verno tempore inæstimabili superabundantia, diutina statione & nimia sua limositate omnes ferè segetes absorbuerat. Cujus causam mali insipiens vulgus Simeoni sicut in vita sua legitur imputabat. Tunc Episcopus multam egentibus exhibebat humanitatem, illud sæpius ante mentis suæ oculos ducens quod dicit sermo divinus, qui viderit fratrem suum necessitatem patientem & clauserit viscera sua ab eo, caritas Dei non manet in eo. Etenim die quodam in albis paschalibus cum ad unam Ecclesiarum in civitate consistentium divinum celebraturus officium equo nobili vectus incederet, obviam habuit in campo pauperum multitudinem copiosam, qui deprecabantur eum ut solita miseratione aliquid ipsis impenderet vitæ subsidium. Qui accito mox cubiculario suo jussit sibi exiberi festinato thesauri non modicam quantitatem ad dispertiendum illis, omnibus igitur qui secum erant impellentibus & dicentibus, ut primum, cujus gratia venerat adimpleret indeque revertens expeditius quantam voluisset pauperibus misericordiam impenderet, ipse respondit; Nolite Carissimi hoc persvadere mi-

mihi, quia sicut illud, ita & hoc Deo est obsequium. Nempe sic oratio nostra apud Majestatem Dei acceptior erit si antequam eo veniamus caritas ista præcesserit: Credo nimirum & securus sum, quod sine ambiguitate sacrificium nostrum divinis conspectibus præsentabitur, si tantæ multitudinis fusa prece commendetur. Interea Cubicularius postulatum obtulit censum quem acceptum ut cœpit in paupes res expendere una omnes cœperunt voce clamare nummis sibi opus non esse, de nummo enim aut nihil aut parum quisque sibi valentis comparare posse, quia sicut ipse nosset, Modius unus frumenti appenderet solidis XXV quibus ille respondit, aliud quid sibi præ manibus non esse quo potuisset illorum necessitatibus communicare, quo contra illi si, inquiunt, ad præsens aliud quid dare nobis non potes, da saltem de pinguibus equis tuis ut vel ad modicum compescatur esuries nostra edulio carnis. At ille licet invitus recordatus tamen verbi illius quod vulgo utitur, [i. e. proverbium vocatur] *Carum quisque dabit, qui cara recipere quærit.* Primum dedit suum deinde aliorum non equidem omnium sed eorum tantum quos ad hoc pietatis opus sua potuit exhortatione instigare, & laniati atque devorati sunt [In momento coram eo.] Post hæc ad locum destinatum processit.

CAP. LVI.

DEnique inerat ei permaxima solicitudo aut construendis Ecclesiis aut reparandis dirutarum vetustate ruinis, quorum alteri evidens perhibet testimonium Ecclesia beati Petri quæ domus Episcopalis dicitur. Hæc ut ferunt, antiquitus fuit domus Dominæ Helenæ, cujus rogatu à beato Agricio primitus dedicata est in honore Principis Apo-

stolorum, quatuor marmoreis magnæ altitudinis columnis, in quibus tota illa structura IX arcubus [cum articulis] hac & illac distortis consistebat. Sed superioribus annis non paucis una columnarum illarum longitudine sui fatigata & oneris magnitudine prægravata in præceps ceciderat, ita ut nullus timore ruinæ divinum ibi celebraret officium. Nullus quoque qui tecta reficeret audebat ostendere, propter quod diutione neglectu ad id rerum devenerat ut jam domus Orationis non diceretur, sed à pastoribus pecus ibi pastum minaretur [pascere muneraretur. Minaretur; idem quod duceretur, à Gallico mener.] Hanc ipse labore magno & impensa eisdem columnis quasi circumamictis [actis] basibus quas usuali locutione pilaros nuncupant, itemque arcubus prioribus laudabili arte substratis novis aliis resolidavit; Ita ut non inconvenienter in ejus laude libri sapientiæ illud debeat personare: Ecce Sacerdos magnus, qui in vita sua suffulsit domum & in diebus suis corroboravit templum &c. Resolidatam itaque & in pristinum reformatam Statum pretiosis beati Materni reliquiis à loco sepulchri cum Comprovincialium Episcoporum coram positorum ac totius diœcesis suæ cleri & populi, utpote Synodus gratia jam ut ita dicam perendie heri & hodie celebrante [gratia perinde heri & hodie] ibidem Trevere congregatorum annisu XII Kal. Nov. translatis illustravit atqve dedicavit, dedicatam donativis pluribus, qvibus ab Imperatoribus videlicet Heinrico II. & Conrado similiter II. Itemqve Heinrico Rege qvidem III. Imperatore autem secundo sicut inpræceptis illorum de Treveri continetur, honoratus fuerat, magnifice ditat. Postmodum autem placuit eandem Ecclesiam ampliorem reddere fecitqve ut nunc tertia tantum qvantum prius ambitus ejus parte sit major. Cujus structuræ ut audivi tantam fundamenti jussit facere profundi-

funditatem quantam nunc vides terræ ſupereminentem. Huic etenim operi, cum ſtudioſius inſiſteret opusque jam ad haſtæ longitudinem ſuper terram eductum fuiſſet die quadam cum ſederet ubi opus fiebat, Sol ut ſolito erat ferventior, refulſit in caput ejus. Erat enim calvus & in canduit cerebrum ejus & ſicut ſolet febre correptus, de die in diem ingraveſcente eadem valetudine, fortiter ægrotare cœpit nec multo poſt ad ultima ductus Spiritum reddidit ſub die XVI. Kal. Julii Anno Dominicæ incarnationis M. LXVII. [M. XLVII.] Cujus exeqvias Treverici digne procurantes depoſuerunt eum in porta Civitatis quæ cognomento nigra vocabatur, in qvâ & ipſe beatum Symeonem cujus ſupra mentio facta eſt terræ commendaverat ubi à religioſis Clericis in eodem loco ab ipſo ab honorem Dei & beati illius viri mancipatis, pro ejus reqvie die ac nocte preces funduntur ad Deum; Cui eſt honor & gloria in ſecula ſeculorum. Sedit autem in Epiſcopatu annos XXX. Menſes V. [III] Dies X.

CAP. LVII.

CUi defuncto ſucceſſit in Sacerdotali Miniſterio cum cleri plebisque conſenſu Eberhardus. Epiſcopus. Iſtenatus patre Hizelino Comite Alamanniæ, cum in virum fuiſſet adultus pro ingenuitate ſui quam magna morum probitas conſilium atque prudentia decorabat, præpoſitus factus eſt Wormatienſis Eccleſiæ ſub præſule N. qui ſubditos ſuos ſatis idonee gubernabat. Dedit autem ei Deus gratiam invenire in oculis ſupra nominati Heinrici Imperatoris & Principum ejus. Ita ut in Regiis & aliis quibusque magnis conſiliis non ultimus nec ſpernendus auctor haberetur. Unde contigit ut Treveri orbati ſuo Antiſtite, eis ad quos electio

ctio pertinebat petitioni regis convenientibus jam dictæ Metropoli subrogaretur Episcopus. Hic Vir magnificus & Ecclesiæ Trevirensis prudentissimus Rector fuit cujus & possessiones auxit & privilegia renovavit. Cujus etiam tam studiosus provisor fuit, ut Abbatias Sancti Servatii & Sancti Maximini decessoribus suis ablatas dono Heinrici Imperatoris receperit. Romam ad Apostolorum limina visitanda frequenter adiit unde cum honore magno reversus Leonem Papam qui & Bruno in sede recepit [suscepit.] Hic dum quadam vice diocoeses circuiret, à Comite Conrado de Luzelnburc captus est, sacerdotalia vestimenta direpta, pallium discissum, carisma unctionis effusum magnumque nefas à perversis hominibus patratum est. Qvo nuntio Treberi perlato omnia divini misterii jura celebrari intermissa sunt, donec Romanus Papa quid de hoc definiret interrogaretur. Qvi eundem Conradum omnesqve ejus complices facto generali concilio excommunicat, sed ejus absolutionem pœnitentis Episcopo commisit palliumque illi pro eo qvod hostes conciderant misit. Interim vero Episcopus à captivitate datis Obsidibus rediit nec multo post Comitem suscepit, cui pro pœnitentia peregrinationem Jerosolymitanam injunxit in qua & obiit. Dein judæis persecutionem induxit eosqve nisi proximo Sabbatho Paschæ Christiani efficerentur civitate pellendos esse decrevit: Huic igitur ejusdem nefandæ gentis qvidam ad similitudinem Episcopi ceream imaginem lichnis interpositam facientes quendam Clericum de cœnobio Sancti Paulini Christianum nomine non opere ut eam baptizaret, pecunia corruperunt, quam ipso Sabbatho Episcopo jam ad Baptismi solemnia præparato accenderunt. Qua ex parte jam media consumta Episcopus super fontem Sacris instans officiis cepit graviter infirmar & secedens in sacrarium cum adjutorio Ministrorum genibus-

busqve ante crucem qvæ ibidem picta eſt in oratione flexis in ſacris veſtibus obiit. XVII. [XIV.] Kal. Maji & ſepultus eſt in Baſilica Sancti Paulini.

CAP. LVIII.

QUo mortuo Anno Colonienſis Epiſcopus qvem proviſorem regni & Tutorem filii ſui Heinrici Heinricus Imperator moriens reliquerat ſpreto Treberi conſilio & electione, adhibita regis adhuc pueri inveſtitura & confirmatione, Nepotem ſuum Cunonem cum magna ambitione & manu militari ſi ſic neceſſe foret inthronizandum verſus Trebirim direxit. Quæ inconſiderata provectio ſicut illi beato mortis occaſio & martyrii fuit ſic Treberenſibus excedere crudelitatis audaciam & materiam præbuit. Nec mora, denique præſidem ſuum Theodoricum cum aliis principibus evocatum ad ulciſcendam tanti contemtus injuriam clamoſis vocibus inſtigant, ſi Colonienſes hac molitione prævaleant, actum hoc omnium ſucceſſorum ſuorum eſſe dedecus & infamiam. Quid multa? coacto quippe exercitu frondesque arborum ne arma proderentur præ ſe ferentes nocte clara Maji menſis obviam pergunt eosque in pago Bedonico quiescentes nihilque tale ſuſpicantes ſubito circumveniunt, qui conturbati advenientis ſonitu multitudinis qvia jam hoſtes adeſſe ſenſerunt fugam in pedum celeritate ſaltuumque denſitate prout qvisque potuit ſibi elegit. Sic eos diſcurrentes hoſtes invaſerunt multisque captis, compluribus ſauciatis, omnibus eorum rebus ingentique præda potiti ſunt. Ipſeque dominus Cuno incidit in manus impiorum hominum, qui eum nequioribus cuſtodiendum, donec viderent, quo res vergeret, commiſerunt, qui eum paulo poſt ne videlicet regis adhuc Juvenis temerarium præ-

vale-

valeret arbitrium de rupe præcipitantes in Kal. Junii miserabili morte peremerunt. Qua de causa Rege valde commoto civitatem Trebericam se desolaturum comminante, tandem Deo donante à sapientibus ejus furore sedato electione Cleri & populi Udo inthronizatur Episcopus. Hic ex Alemannorum prosapia oriundus, Patre Eberhardo comite Matre jta [ida] eisdem cœnobii qvod dicitur Scafhusen constructoribus, vir valde venerabilis fuit facie venustus, ore facundus, statura procerus, cujus merito humeris sustentari posset tantæ moles regiminis. Hic opera à decessoribus in cepta scilicet Monasterii Sancti Petri amplificationem perfecit, Comprovincialium militum audaciam & tyrannidem compescuit. Hic in expeditione Regis in obsidione castri Alamannorum qvod Tovingia [Tiuga] vocatur obiit relatusque à Treberensibus in monasterio Sancti Petri sepultus est. Cui successit Egilbertus de cujus Electionis occasione libet altius parumper edicere.

CAP. LIX.

TEmpore illo cum Gregorius qui & Hiltebrant Romani Pontificatus jura disponeret, hoc decretum antiqvitus qvidem promulgatum, nunc autem innovatum est, ut videlicet omnes in sacris ordinibus constituti, Presbyteri scilicet & Diaconi à cohabitationibus fœminarum, se ut decet, cohiberent aut ab officio cessarent. Simul etiam ne qvis cujuscunque Ordinis, Laicus videlicet sive clericus, Episcopatus Abbatias seu alias qvaslibet donorum Spiritualium dignitates, vel per se vel per interpositam personam emere sive vendere præsumeret, quodque si qvis infringeret, honorem quemcunque haberet, amitteret. Ubi hoc verbum palam factum est in cordibus eorum qvi non secundum Deum

in

incedebant, magnam ſuſcitavit invidiam. Propterea inter regnum & ſacerdotium partes exortæ ſunt, & hinc inde permaximæ inimicitiæ ſuccreverunt, & eousqve diſſenſionis hujus & inimicitiarum in invicem fomes invaluit, ut ſi cui Cæſarianorum occurriſſet quiſpiam Eccleſiaſticorum qvi forſitan præ amore Patriæ cœleſtis ſeculum reliqviſſet, carnem maceraſſet, quemqve alias [aliqva] corporis moleſtia attenuaſſet, ſive qvi ut tunc moris erat barbam quaſi in ſignum Religionis enutriſſet, quaſi regii honoris proditores contumeliis afficiebant, inſultanter eos Eccleſianos appellantes. Nullus enim tunc in ſubrogandis Pontificibus vel aliis Eccleſiaſticis dignitatibus Canonicæ Sanctionis ordo ſervabatur, ſed qui tantum Regis vel Principis manum impleſſet ſeu aliud qvalecunqve obſeqvium ſibi placitum impendiſſet, regia præficiebatur violentia ubi voluiſſet. At vero ubi Rex ejusqve Conſentanei Principes non eo minus omittebant, ſed veritam venditionem magis & magis inſtituebant, præfatus Papa non veritus, omnes ſententia anathematis concluſit, & qvicunqve voluiſſet in Catholicorum conſortio numerari, faciebat ſibi hujusmodi verba conſcribi: Anathematizo omnem hæreſin Heinrici dicti regis & omnium complicum ejus & omnem qvi eum regio nomine vel honore veneratur, Heinricum inqvam quartum hujus nominis Regem. Qvam excommunicationem ubi fama ad aures Imperatoris detulit, ægrè admodum ferens & peccatum peccato ſuperadjiciens, convocato ſuæ partis Epiſcoporum, Abbatum & aliorum graduum, concilio ſtatuit ut Gregorius nulli eorum deinceps Apoſtolicus eſſet, nec decretum ejus qvisqvam reciperet. Et hoc facto ſub omni celeritate Italiam adiit, Wicbertum qvendam Ravennæ civitatis Epiſcopum in una civitate Italiæ pro Gregorio Papam fecit, quem & Clementem nominavit. Porro ſi quando

Gregorius causa cujuslibet rei agendæ Romam fuisset egressus, ipse subintrabat, illo revertente iste fugiebat. Illi Ecclesiastica, major videlicet pars; isti Cæsariana pars præsidio erat. Sed qvi ad nos ista pertinent? potius in sua loca abeant; Nos autem propositi nostri seriem prosequamur.

CAP. LX.

PEr idem tempus fuit in Batavia de Optimatibus Barvariæ ex clero qvidam Præpositus Majoris Ecclesiæ & Scolasticus nomine Egilbertus [Engelbertus] qvi vice quadam, cum Episcopus loci illius sicut & aliarum civitatum Episcopi ex præcepto Romani Pontificis supra memoratum decretum in Ecclesia sua pronuntiaret ausu temerario illi in faciem restitit palam dans cunctis intelligere, quomodo & ipse cum Heinricianis vinculo teneretur anathematis, constat enim testimonium perhibente Apostolo de malefactoribus qvod facientes & consentientes una sint pœnitentia [pœna] vel sententia plectendi. Ille vero consentit, qvi etsi renuere non valeat favendo tamen qvantum in ipso est malefacientium operibus communicat. Dicebat autem Imperatori, licere nec idcirco Ecclesiæ consortium amittere, si non spiritualia sed regalia sua gratis pretiove cui voluerat impendat. Qvæ utiqve non sua sed juxta Romanam consuetudinem Beati Petri vel Ecclesiæ potiori jure possunt appellari. Sed utinam qui ad Ecclesiasticæ dignitatis culmen venire desiderant non ambitiose, qvod minime decet se ingerant, neque artificiose colorem commenti Simoniacæ hæreseos sibi machinamenta confingant, asserentes se non spiritualia sed terrena terrenis acqvirere, cum sicut tempore, sic & in eorum mente primũ sit animale, deinde qvod spirituale & non tam

tam appetant curam Paſtoralem quam honorem temporalem. Multis itaque ſermonibus pro hujusmodi ad invicem collatis cum vidiſſet eum Epiſcopus in corrigibiliter Simoniacæ parti & nil penitus Eccleſiaſticæ aſſentire, juſſit eum à communione Eccleſiæ alienum exiſtere, usqve dum univerſali Papæ præſentatus, unitati Eccleſiæ per ipſum meruerit ſociari. Proinde cum diutius intra ſe hæſitaſſet, demum voluntas ei Romam proficiſcendi incidit, verum tamen Rege inconſulto ire illò noluit, à quo Rege, inquam, acceptaad eũ qvem ſupra poſitũ Papam diximus, mandata detulit & ab univerſali penitus declinat. Et factum eſt dum rediret adimpletis negotiis pro qvibus à Rege miſſus fuerat, in redeundo audivit Udonem fideli dignum memoria Treverenſem Archi Epiſcopum vita deceſſiſſe & ob hoc Regem Treverim adiviſſe, ut alium in loco ejus debuiſſet ſubſtituere. Et hac fama conperta quam plurimum iter acceleravit intra ſe cogitans, ſi forte eo maturius potuiſſet pervenire pro impenſa ſæpius Regi ſervitute hunc ei honorem poſſe ſuccedere quod & factum eſt, ſed qualiter ad id ventum fuerit ignaros docebimus. Porro cum Imperator juſſiſſet, ut quem ſibi placere cognoſceretur hunc ipſum eligerent, & clerus unus poſt unum ex ipſo eorum Collegio hoc utiqve honore digniſſimos exhiberent: Rex autem qvotqvot nominaſſent, nullum eorum, ſibi placere dixiſſet nullus enim benevolentiam ejus digna taxatione præemerat, jamqve in eligendo tribus diebus tranſactis, quarto nihilominus die iterũ ad idem congregatis; omnibus tanquam à Deo miſſus, ſi tamen dici poteſt à Deo dirigi via hominis, qui culpa ſui meruerit ab Eccleſiæ communione ſuſpendi, venit, & ſancta Oratione ſua locutus eſt regi de his quæ habebat in mandatis. Qvibus finitis dixit Rex, qvam diu in eligendo Epiſcopum concordare non poſſumus, ſaltem in hunc convenia-

niamus. Et *consenserunt ei ex Episcopis, qui electionis causa advenerant*, solus Theodoricus Virdunensis Episcopus qui cognomento Magnus vocabatur & pars aliqua populi Treverensis. Rex ergo nilmoratus investivit eum dans ei annulum & baculum sub die VIII. Idus Jan. Anno Dominicæ Incarnationis M. LXXVIII. Pontifices vero Herimannus Metensis, & Bibo Tullensis & residuus Clerus & populus qvantum in ipsis erat non assenserunt, quoniam ipsi tam idoneas personas exhibuerunt resistere tamen regis voluntati non potuerunt, verum tamen Clerus & populus multum molestè ferentes irrogari sibi violentiam, precabantur eos qvi præstò erant Episcopos & cum interminatione autoritatis Apostolicæ interdixerunt, ne ipsum consecrarent Episcopum [Antistitem] commonentes eos Canonici illius decreti qvo præcipitur ut nullus in Episcopum nisi Canonicè electus consecretur. Qvo circa Episcopis in sua redeuntibus Egilbertus benedictione non percepta remansit & erat cupiens consecrari, nec potuit ab aliqvo Episcoporum Ecclesiasticorum, qui ingressum ejus audisset diebus qvam plurimis inpetrare. Tribus igitur annis ferè transactis cum res Regi innotuisset, qvi sub ipso tempore Roma rediens multa ibi cæde patrata & Papa Gregorio fugato, qvo certe nihil in diebus illis celebriori fama ora omnium adimplebat, secus Alpes moram faciebat; Datis [directis] Epistolis ad supra dictum Virdunensem Episcopum, qui ei summa familiaritate adhærebat, petivit quatenus Treverensem Metropolitanum qvantocius consecrare studeret, qvarum Epistolarum exemplar hic inserere non videtur absre, qvæ habebat hunc modum:

1078

CAP. LXI.

CAP. LXI.

REx Heinricus Dei gratia Romanorum Imperator & Auguſtus Theodorico Epiſcopo dilectionem nulli majorem. Imprimis Te ſcire volumus, quia nulli melius qvam Tibi confidimus, nec Epiſcopum Trajectenſem fidei monitorem, ſed ad honorem regni tractandum Tibi miſiſſe Cooperatorem, Deinde ad ſingula qvæ mandaſti negotia ſingula damus reſponſa ſed breviſſima qvod infinita tibi reſervamus ore ad os dicenda. Siqvidem [ſed quid] hoc qvod in margine Epiſtolæ tuæ de Romano negotio nobis mandaſti, in primis dicemus Tibi. Romam in die Benedicti intravimus qualiter autem à Romanis recepti ſimus, qvaliter cum Romanis ſteterimus, qvaliter à Romanis receſſimus, [diſceſſerimus] ab aliis multis te audiſſe credimus, tum etiam literis noſtris tibi indicavimus qvas Te nondum vidiſſe putamus ſed & mallemus alio qvam noſtro ore te reſciſſe qvæ nobis fecit Dominus. Incredibile enim videtur qvod veriſſimum probatur, qvod factum eſt in urbe Roma ut ita dicam cum decem hominibus in nobis operatus eſt dominus, qvod anteceſſores noſtri ſi feciſſent cum X millibus miraculum eſſet omnibus. Nam cum in Teutonicas partes de acquirenda Roma jam deſperantes, redire vellemus. Ecce Roma miſſis legatis ut Romam intraremus rogaverunt ſeque nobis in omnibus obedituros promiſerunt, qvod & fecerunt. Summo namqve gaudio nos intrantes receperunt, ſummo ſtudio ſecum manentes adjuverunt, ſummo triumpho & fide ab eis recedentes proſecuti ſunt nos; in tantum ut in Domino fiducialiter dicamus, qvia tota Roma in manu noſtra eſt, excepti illo caſtello in qvo incluſus eſt Hiltebrand, ſcilicet in domo Creſcentii, qvem Hil-

Hiltebrandum legali omnium Cardinalium ac totius populi Romani judicio scias abjectum, & electum Papam nostrum Clementem, in Sede Apostolica sublimatum omnium Romanorum acclamatione. Nosqve à Papa Clemente ordinatum & consensu omniun Romanorum consecratum in die Sancto Paschæ in Imperatorem, totius populi Romani exultatione. His ita factis benedictione Dei & Sancti Petri omnium gaudio à Roma recessimus & qvantocius possumus ad has partes properamus, & in via reditus invenit nos tuus nuntius. Gaudeant qvi velint, doleant qvi velint, nos Deo propitio assumus; Dominus ille quid agat, scire non curamus, sed quod Tu monuisti libenter ne damnum nobis faciat providebimus. De Saxonibus verò, de Salzburgense Archi Episcopo & comite *Adelberto*, & de aliis ad nos redire volentibus id tibi respondemus, quia consiliis tuis libenter acqviescimus ut tantummodo pax vera fiat in nostris temporibus, videlicet ut fideles sint cum ad nos redierint Tu autem si non gravaris facere qvæ volumus, Augustam ad nos venire post festum Apostolorum Petri & Pauli rogamus, qui Deo favente in festivitate eorum Ratisponæ erimus. Studeas ergo ad nos venire ut tuo adventu possis nos lætificare. Insuper mandat Tibi Apostolicus Clemens & Imperator ut sicut nos diligas, ita Archi Episcopum Treverensem velociter consecrare properes. Vale.

CAP. LXII.

HAs igitur Epistolas cum præfatus Theodoricus acceptas legisset, noluit quidem quod petebatur libenter adimplere, sed attonitus rerum magnitudine, non potuit in corde credere ita se omnia habere sicut Scriptura referente cognoverat. Sed & recordatus quod à clero Trevere-

rensi

renſi ne id faceret Apoſtolica autoritate ſibi interdictum fuiſſet, ne forte adverſus eum exinde potuiſſent qvandoque idoneæ accuſationes conſurgere, congruum duxit ſuper hoc literas mittere Romano Pontifici in quibus & meminit depulſionis ab Epiſcopatu Herimanni ſupra dicti Metenſis ac ſibi injunctæ reconciliationis ut videlicet ipſius interventione Herimannus loco ſuo reſtitueretur, quod licet ſatis laboravit non tamen tunc ſed poſtea obtinere potuit. Literarum autem qvas mittebat hic erat modus. Gregorio ſummo Pontifici cariſſimo Domino Reverendiſſimo Patri Theodoricus Virdunenſis Epiſcopus, qualiscúnque, tamen ſuas, dilectionem quam Patri Filius, ſubjectionem quam Prælato ſubditus, ſervitutem quam Domino ſervus. Poſſe tibi obedire maxima eſt mihi jucunditas, poſſe ſervire non parva hilaritas, in qvo enim venerabor te, in eo beatum Petrum: In qvo obediendo ſerviendo te mihi conciliabo, in eo beatum Apoſtolum. Monitus à Te ſuſcepi confratrem meum Metenſem ut teipſum, attendens illud Dominicum: Qvi vos recipit, me recipit, cauſam ejus meam feci, negotium ejus meum exiſtimari, eadem nobis adverſitas eadem fuit proſperitas. Ad hoc me invitavit mutua fraternitas debita caritas ſed præcipue juſſio tua, benivolentia tua & habita in me fiducia. Præterea Treverenſis Eccleſia cum gravi dolore pedibus paternis advolvitur, filia Dominum pulſat, inconſolabile ſui detrimentum his temporibus, me mediante deplorat vidua per biennium ferè quanta paſſa eſt & patitur? quantum afflicta eſt & affligitur? foris pugnæ, intus timores. Elegit virum de plebe dignum ſacerdotem idoneum Patrem, communi aſſenſu teſte conſcientia mea coram Deo & coram Te, qvod nihil Simoniacum, nihil contra jus Eccleſiaſticum intercurrerit, qvod nihil Symoniacum & petitione remota intervenerit. Conſecrationem ejus

jus miramur differri, dilationem tam gravem miramur potuisse tibi inculcari. Illud maxime, qvod pateris hâc desolatione nos adeo gravari. Graviſſimum onus est mihi, solum esse in medio nationis pravæ & perversæ: solũ Patre & fratre illo expulso alio non consecrato. Si Ecclesiam, si statum Christianitatis curas, locum nostrum respicias & cum vita Patris in omnibus spectata ordinationem mereatur, Metensem & me tuo [tu] exaudito nullius detractione ulterius remoretur. Persolvet Tibi qvod Patri Filius, quod Prælato subditus. Deinde quibusdam interpositis in fine ita conclusit, qvomodo Rex sit tecum & tu cum rege, modo mihi rescribas tuo.

CAP. LXIII.

DEnique his qvæ decursa sunt Romam directis appropinqvante tempore qvo se Rex venturum per epistolam suprascriptam ipsi mandaverat sicut jussus fuerat venire ei obviam parabat, veniensqve Mogontiam ibi complures Episcoporum in occursu regis euntium reperit, ad qvos facta oratione, qvoniam confratres sui suffraganei videlicet Ecclesiæ Trevirensis supra nominati Episcopi, Herimannus metensis & Bibo Tullensis ob invidiam Regis Metropolitani sui consecrationi noluissent interesse, petivit ex ipsis causa caritatis sibi coperatores fieri, & obtinuit itaque assumtis secum qvi plus cæteris erga ipsum benigni videbantur connivente [eodem] ejusdem sedis Archi præsulem Egilbertum consecravit Episcopum. Porro cum fuisset ordinatus paucis interjectis diebus Treverim venit, & cœpit cum his qvi ut ita dicam, ipsum noluerant regnare super se, Tyrannico more agere, ut deinceps ab ejus impugnatione desisterent; majoribus, qvibus plus nocere non potuit, ex Rege

ge timorem incutere, invalidæverò plebis qvæ ſe adverſus eum defendere non potuit, bona quacunque occaſione diripere. Tunc hi qvi plus cæteris ei auſi ſunt reſiſtere, dixerunt. Qvoniam ad hunc Pontificatus honorem & tunc & nunc ingratus nobis acceſſiſti, ſed & quia ab homine Laico & excommunicato Epiſcopalia ſuscepiſti, Epiſcopalia inqvam annulum & baculum, præſertim cum in canonicis decretis Laicis qvantumvis religioſis nulla de Eccleſiaſticis rebus aliquid diſponendi ſit tributa facultas, idcirco non poteris epiſcopari, nec nos Tibi communicare. At verò inſuper ſi debes in gradu ſuscepti honoris conſiſtere, oportet Te Gregorio CatholicæEccleſiæ ſummoPontifici obſeqvi & obedire: Hæretico illi ſuprapoſito penitus abrenuntiare Hæretico in quam, juxta illud qvod beatus Gælaſius Papa & martyr in epiſtola quadam univerſis Orientalibus Epiſcopis directa, de hujusmodi ſuprapoſitis ſcribens ait: Quid ergo facimus de tantis totque civitatibus, ex qvibus Catholici Pontifices rejecti ſunt, ſi Catholici ſubrogati, cur Catholici ſunt rejecti, ſed evidenter apparet, quia cum Catholici ſunt rejecti non Catholici fuerunt qvi ſubrogati ſunt. Reſtat igitur, ut non ſint Catholici ſed hæretici qvicunque ſucceſſerunt. Item quis non videat illos eſſe Catholicos & ab omni peſte hæretica prorſus alienos, qui à propriis urbibus detruſi & in exiliis ſunt redacti & eos qvi ſuperſtitibus Catholicis ſucceſſores fieri auſi ſunt, Catholicos omninò non eſſe. His adde & illos qvi ſe prius talium Communioni conjunxerunt. Qvæ contra Egilbertus reſpondit, velle ſe vitam dare [potius] quam illi, qui eum ad hunc honorem provexiſſet, infidelis exiſteret, nunquam velle Gregorio obedire quam diu ipſe nollet amicitiam Regis inire. Interea dum hæc & his ſimilia contendentes tractarent, appropinquabat jejunium quatuor temporum, qvo conſuetudo eſt Eccleſiæ, promoveri

eos ad ordinem Clericatus, qvi sunt promovendi, & hoc iste omni nisu affectabat facere, non amore justitiæ, sed ut potuisset majorum quempiam sibi advincire ut videlicet ab ipso consecrati postea ipsi essent obnoxii, & quomodo suam ab ordine suspensionem, ita pertimescerent ejus ab Episcopatu depositionem. Cujus intentionem cum resciissent, dixerunt, quia pallium quod à Romana Ecclesia Metropoli nostræ debetur, nondum es adeptus, impositionem manus à Te percipere nolumus. Maxime cum in canonibus decretum sit: Si quis Episcopus Metropolitanus sine pallio consecrare præsumserit, & consecrator & consecratus gravi ordinis sui periculo subiacebit, quod utique si debes acquirere, necessarium habes erga Papam, qvem adeo despicis Gregorium Te humiliare, ut merearis accipere. Quid multa? expositis ei idoneis causis pro quibus non debuerit ordines facere, abstinuit, & paucis diebus interpositis qvendam subditorum suorum nomine Theodoricum Monachum scientia literarum valde præditum, misit quæsitum Clementem suum Apostolicum & inventum transmittere sibi expeteret pallium. At ille Clemens, inquam, gavisus, quod aliquis ipsum pro accipienda benedictione respiceret, quod petebat transmisit, cum literis docentibus quibus temporibus foret usurus, quas quia autor non roborat at magis verò infirmat, Hæreticorum enim & excommunicatorum decreta fidelis qvisqve non recipit, idcirco commendare memoriæ non curavimus.

CAP. LXIV.

Hic autem quem jam nominavimus *Theodoricus de sæpe dicto Gregorio Pontifice duos libros edidit*, in quibus mendatiis multis compilatis, qvod non ipso melius continuare

[com-

[communicare] quis novit, Gregorium infamem fecit, Regis verò & ſui Papæ innocentiam & Sanctitatem commendat. Pro quibus editis iſte de quo loquimur, Egilbertus Abbaciam ſancti Martini ſupra litus Moſellæ, defuncto beatæ memoriæ Sigeberto Abbate, eadem die regendam [illi retributionem] dedit [quo utiqve malo, ſi majus non feciſſet, ad perpetuam damnationem ſufficere potuiſſet] quam ipſe felix Abbas quantum potuit rexit & Eccleſiam ipſam reparavit. Nam ipſa Abbatia prius qvidem erat in rebus admodum ſufficiens ſed peccatis exigentibus ejus temporibus ita eſt deſtituta [at nunc ab hoc adeò eſt annihilata] quod Monachi qvi ibi Deo ſerviebant [ibi divinis erant mancipati ſervitiis] niſi aliunde conqvirerent nec neceſſaria vitæ haberent. Eſt & aliud qvoddam geſtorum ejusdem Egilberti, qvod ſucceſſoribus noſtris voluimus narrare [quod pro facti ſimilitudine iſtic libet inſerere.] In Monaſterio puellarum horrei defuncta Imiza ſummæ ſtrenuitatis ancilla Dei, Matre Cœnobii, renitentibus omnibus ibi loci Deo famulantibus, præpoſuit quandam neptem ſuam fratris filiam nomine Luirgardam [Ingurdam] corpore qvidem valde juvenculam & ſpecioſam & ſecundum ſuam ætatem literis eruditam, moribus honeſtam; [Ingurdam, quòd cum pace ſalvo honore profeſſionis dixerim, Deus ſcit qvod non mentior, arte magicam, veneficam, incantatricem blasphemam. *Hæc in altero codice, unde apparet librum mutationem mutatis temporibus ſubiiſſe*] de qvâ cum Epiſcopus omnibus modis niteretur, ut ibi eam præficeret Sanctimonialibus, omnibus puſillis & majoribus ſine ceſſatione tam die qvam nocte Deum & Sanctam ejus Genitricem, & cui ſerviunt, ne hoc fieret orantibus; cuidam ex eorum Collegio, ceteris freqventior orationi incumbebat, inter verba orationis, ut divinæ erat voluntatis, obdor-

dormienti, talis oblata eſt viſio. vidit Sanctam DEI genitricem in medio Angelorum ſtantem & beatas Virgines, Irminam, Modeſtam, Anaſtaſiam, quæ in diebus ſuis ipſi loco præerant, coram ea conſiſtentes & vultus qvaſi moeſtos exhibentes, & ſanctam Dei Matrem ita ſe alloquentem: Auſculta, inquit, Filia cum illuxerit dies, erat enim hora matutina, indica ſororibus tuis ex me qvia peccatis veſtris exigentibus decrevit Deus, ut ipſa de qua petitis abſolvi, flagelli vobis loco proveniat, qvousqve pro afflictionibus ab ipſa irrogandis de diuturnitate vitæ ipſius pigeat. Veruntamen noveritis ipſam ex prælatione iram Dei in ſe provocare, vobis vero non pius officere niſi quod ſuper deſtitutione hujus loci noſtri videbimini ſufferendo laborare. Itaqve cum fuiſſet intronizata [cœpit de bonis Eccleſiæ juxta illud Nacchum, diabolum magnum exercere &, ut verum fatear, licet impudenter loquar, alia concubitoribus diſtribuere, alia vendere poſtremo ut breviter concludam, paucis Eccleſiæ derelictis omnia in uſus ſuos convertere, ut poſſes liquido perpendere veridicam Dei genitricis ſententiam ſupradictam exiſtere: Ipſam ex prælatione iram Dei in ſe provocare. Denique aliquantis annis tranſactis Engelbertus cœpit &c.] cœpit Deo ſervire, Sorores Eccleſiæ procurare, & rexit illam XL. annis usqve ad tempore Domini Archi Epiſcopi Adelberonis, qvi primo fuit Metenſis primicerius poſtea Trevirorum Archi Epiſcopus & Romanæ ſedis legatus. Hujus temporibus Abbatiſſa Luigardis felicis memoriæ obiit & ante Eccleſiam in pace qvieſcit. Denique aliquantis annis tranſactis Egilbertus cepit ſe ſatis admodum officio dignum exhibere, niſi ſolum quod ab excommunicatorum, Regis videlicet & Clementis ſe noluit communione ſequeſtrare, propter quod Bruno qui ei in Epiſcopatu proximo loco ſucceſſit, omnes quos ille ordinavit, iſte ab officio ſuſpendit nec remotos ad priſtinum

num gradum admiſit, niſi qui ſe legitimo Romanæ Eccleſiæ Pontifici obediturum ſupra ſanctum Evangelium fidem fecit. Complura memoria digna de hujus Egilberti probis actibus quæ per ipſum vel ſub ipſius temporibus geſta ſunt ſeniorum relatione ad noſtram notitiam devenerunt, quorum aliqua, ſi quidem vel aliquam ejus memoriam cum pace Eccleſiæ fieri liceat in benedictione, curabimus inſinuare.

CAP. LXV.

QUædam præpotens Matrona *Comitiſſa de Caſtello quod Aralune dicitur*, Mater videlicet Comitum Walramni & Folconis, marito ſuo defuncto aſtipulantibus filiis & filiabus ſuis, proprietatis ſuæ bona in Eccleſia Treverenſi beato Petro tradidit, & amplius recepit, ſub conditione quam precariam nominant, ita videlicet cum ipſa de hac luce migraret utraque data ſimul & accepta in beati Petri & Epiſcopi jus libere tranſirent, & quod Epiſcopo ex his facere placuiſſet liberam poteſtatem haberet: Hujus Comitiſſæ neptem filii filiam *Heinricus* quidam *dux, cujus ditionis erat Caſtellum quod vulgo Limpurc* [Lemburg] *nominatur* in matrimonium duxit, qui decurſo aliquanti temporis ſpatio eadem bona Eccleſiæ tollere & in ſuos uſus vendicare ſtudebat, propter quod cum ſæpius fuiſſet ab Epiſcopo ad ſatisfactionem vocatus & nollet deſiſtere, ſequeſtratus eſt à communione Eccleſiæ, cumque nec ideo manus ſuas ab incepta malitia contineret, imo magis & alia Epiſcopatus bona devaſtaret, Epiſcopus maledixit ei anathemate Maranatha. Cum nec ſic quidem ab impugnatione deſiſtenti ſed & adverſus ipſam civitatem Treverenſem cum magna armatorum manu venienti, Epiſcopus convocata ad ſe liberorum & Miniſterialium Eccleſiæ multitudine gravi ſtatuto die occur-

currit & adjutorio Dei & beati Petri istius partis satis admodum modico, illius vero permaximo detrimento & confusione, ad propria redire cœgit. Post multum vero temporis cum idem dux inflictum sibi anathema parvi penderet & in malis supradictis & similibus perseveraret, accidit ut quidam de militibus ejus die quadam in domum ejus veniset & facta hora prandii apposita mensa coram ipso panem comedere deveniset [debuisset] & dux illi illudens, surge ait & foras egredere, coram me commesturus non es, excommunicatus enim es, & ille ubi, inquit, & quis me præter eum qui & Te excommunicavit. Cui dux ait, Ecce nunc vide jam parebit si ita sumus excommunicati, ut aliquæ nobis molestiæ possint accidere, si hic canis qui forte illis edentibus aderat, bucellam quam illi dedero comederit non pertimesco: Sin autem, timenda est nobis excommunicatio & petenda reconciliatio. Et hoc dicto misit bucellam, quam canis ut naribus adhibuit ultra contingere non curat, & nequis hoc canis saturitati imputare potuerit, cum alius illi bucellam mitteret, festinus arripuit, unde omnes qui aderant summa admiratione ducti una voce dixerunt, oportere eos ad satisfactionem venire. Et ita fecerunt. Sit ergo nomen Domini benedictum in secula, qui Sacerdotum, licet peccatorum, tamen in multitudine clementiæ preces exaudit. Et quod nostra parvitas in terris ligat, apud ipsum quoque ligatum esse confirmat, juxta quod ipse beato Petro & per ipsum Ecclesiæ promisit, dicens quodcunque ligaveritis supra terram erit ligatum & in cœlis.

CAP. LXVI.

EA tempestate populus multus utriusque sexus ex omni terra & natione Jerusalem ire intenderunt, & totis desideriis anhelabant pro Dei & fidei amore aut ipsi mortem suscipere aut

re aut incredulorum colla fidei subjugare, & hac mentis intentione incitati decreverunt primum Judæos in civitatibus & castellis ubicunque habitarent persequi, & cogere illos aut Dominum Jesum Christum Deum credere, aut sub ipsa hora vitæ periculis subjacere, cumque eodem fervore civitati Trevirorum appropinquassent, Judæi qui ibi habitabant similia sibi arbitrantes fieri, quidam ex eis accipientes parvulos suos, defixerunt cultros in ventribus eorum, dicentes, ne forte Christianorum vesaniæ ludibrio fierent, debere eos in sinum Abrahæ transmittere. Quædam autem ex mulieribus eorum, ascendentes super pontem fluminis & adimpletis finibus earum & manicis lapidibus præcipitaverunt se in profundum. Reliqui verò, quibus adhuc vivere cordi erat, assumtis secum rebus suis & liberis, in Palatium quod asile Trevirorum, ubi ipsa hora Egilbertus manebat, confugerunt, & cœperunt lachrimis flagitare suffragium. Ille vero nacta opportunitate super conversione eos admonens ita exorsus est: Miseri, nunc venerunt super vos peccata vestra quæ operati estis, filium Dei blasphemando & Sanctissimæ ejus Genitrici detrahendo, ipsum quidem in carne venisse negando, & matri ejus superfluitatibus verborum vestrorum derogando. Ecce jam hujus rei causa ad summam vitæ vestræ desperationem devenistis, & vobis ego dico, si in hac infidelitate vestra perseveraveritis, corpore simul & anima peribitis. Vos pro similitudine Patrum vestrorum, qui ante Christi adventum ipsum in carne venturum crediderunt, vobismet ipsis blandientes, profecto nisi jam ipsum venisse, & quod redemtionis humani generis ipsum acturum Scripturæ referunt, adimpleta esse cognoveritis, ipsi vos fallitis. Quæ vos stultitia vel magis duritia coarctat, ut cum Prophetica scripta legatis non retractetis, vobiscum cogitantes quam brevis temporis

poris spatium adventus ejus in carne Daniel commemorat, & quot ex inde anni defluxerunt. Septuaginta, inquit, hebdomadæ abbreviatæ sunt super populum tuum, & super sanctam civitatem suam ut consummetur prævaricatio, & finem accipiat peccatum & deleatur iniquitas, & adducatur justitia sempiterna & impleatur visio Prophetæ & ungatur Sanctus Sanctorum. Nonne si scientiam literarum vestrarum bonam haberetis, utique magnum vobis posset existere gaudium & fidei incitamentum de assumtione generis vestri in Deum? Hoc autem dicebat, qvia, ut quidam sanctorum dicit: Infidelibus est blandiendum, ut ad fidem convertantur, & ipsi de generis sui nobilitate gloriantur. Et adjunxit: Nunc itaque quiescite petitionibus meis & consiliis & convertimini & baptizemini & ego restituam cum pace & salute possessionibus vestris, & deinceps adversantibus tuebor vos. Cum hæc & his similia ad illos diceret, unus ex illis legis Doctor, cui nomen erat Michæas, cepit dicere; Vere sicut dixisti, necessum est nobis magis Christianorum nos fidei jungere quam de die in diem taliter vitæ nostræ & possessionum periculis subiacere. Age ergo quomodo credere debeamus edissere, & adjuva qvatenus liberemur de manibus eorum qui pro foris sunt quærentium nos perdere: Et ait Episcopus: Hæc est fides Catholica sine qua nemo salvari potest, ut credatur in Deum Patrem Omnipotentem Creatorem omnium creaturarum & in Jesum Christum filium ejus, qui cum Patre unius est substantiæ, qvem Deus Pater ante omnia tempora genuit nativitate ineffabili, de qua dicit Esaias Propheta, Generationem ejus quis enarrabit? qui quidem cum homines per multimoda vitia incedentes ad tantam devenissent insipientiam, ut neglecto Creatore suo debitum Deo idolis manu factis honorem impenderent; sicut est infinitæ misericordiæ, condoluit perditioni eorum

rum & ut eos ab errore & perditione, quæ de hâc vita decedentes excipiebat, liberaret; manens quod erat, suscepit quod non erat, ex voluntate patris, cooperante Spiritu Sancto, homo verus per immaculatæ virginis uterum sine viri semine natus est, quem quia filium Dei esse se dicebat, Patres vestri crucifixerunt & vos ipsorum maledicta devinxerunt dicentes: Sanguis ejus super nos & super filios nostros. Verum tamen vos hoc maledictum evadere potestis si in ipsum firmo corde credideritis & de peccatis vestris ipsum vobis propitium fieri rogaveritis, qui post passionem suam effracto inferno & his qui in adventu ejus credidérunt inde erutis, die III. Deus verus & homo resurgens à mortuis, ab hinc die XL. videntibus qui digni erant ad cœlos ascendit, ubi sedet in dextra Dei Patris sui, æqualis ei & cœternus in divinitate, inde venturus in judicium in novissimo dierum, Deus verus & homo, reddere unicuique prout gessit in corpore sive bonum sive malum: Nec minus credendum est in Spiritum Sanctum, qui ex Patre & filio procedens universa condita vivificat, æqualis & consubstantialis per omnia in divinitate Deo Patri & Filio, propter quod & fides Christiana trium deitatis personarum unam prædicat essentiam, æqualem Majestatem. Hanc fidem Catholicam per orbem confitetur Ecclesia, in qua unum datur baptisma in remissionem peccatorum credentibus, in qua justè & piè viventes post hujus vitæ decursum corporibus nostris eisdem quibus nunc paremus, immortalitate vestitis, præterea communionem Sanctorum percipere & fruituros æterna beatitudine; malè verò operantes non confessos & inemendatos in æterno arsuros incendio. Tunc Michea is videlicet, quo hortante hanc fidei editionem Episcopus exorsus est ait: Testificor tibi per Deum quia quod locutus es credo, & ecce jam Judaismo

abrenuntio, & quæ nunc mihi non satis plenè sunt intellecta, cum nobis tempus pacis & transquillitatis adveniet, perquirere curabo, tantum nunc accelera nos baptizare, ut possimus manus quærentium nos evadere. Similiter & alii omnes dixerunt. Tunc Episcopus baptizavit illum nomen suum imponens ei, alios autem Presbyteri, qui aderant baptizabant. Sed ut de cætero taceam aliis omnibus in sequenti anno apostantibus iste adhærens Episcopo in fide permansit. Non ergo audebo nunc dicere, quod istius conversio sit animæ convertentis salvatio, cum scriptum sit, quia qvi converti fecerit peccatorem ab errore viæ suæ, salvabit animam ejus à morte, ejus inquam, id est suam & conversi. Cum ad Ezechielem Dominus dixerit, quod si annunciaverit impio viam suam malam & ille conversus non fuerit, ipse tamen mercedem suam non amiserit. Sic enim dicit: Si autem tu annunciaveris impio & ille non fuerit conversus à via sua mala, ipse quidem in iniquitate sua morietur, tu autem animam tuam liberasti. Præterea multa alia bona operatus est, quod enumerare longum est. Hoc tantum sciendum quod eleemosynas pauperibus largas faciebat & Ecclesiis bona plurima conferebat, sed & ab antecessoribus suis aliquibus ablata reconsignavit, quorum testamenta in ejus memoriam in bibliothecis usque hodie sunt recondita, quæ omnia ego pusillus qui hoc scribo ad redemtionem animæ ejus profutura possum optare sed sententiæ beati Augustini non audeo præjudicare. Dicit enim, omni homini qui Ecclesiæ Catholicæ non tenet unitatem neque baptismus neque Eleemosyna quamlibet copiosa, neque mors pro Christi nomine suscepta proficere poterit ad salutem, quoniam in eo vel hæretica vel schismatica pravitas perseverat quæ ducit ad mortem. Mortuus est autem Anno Dominicæ incarnationis M. C. primo, Non. Septembr. Et sepultus.

pultus est in Ecclesia majori, domo videlicet Sancti Petri Apostoli, sedit in Episcopatu annos XX duos, menses VIII. dies tres & vacavit Episcopatus ferè menses IV.

CAP. LXVII.

IN diebus illis fuerunt ex copioso Trevericæ Civitatis clero quam plures hac sacerdotii successione dignissimi, inter quos erat quidam Bruno nomine, Francus natione, insignis nobilitate, utpote quem Pater Arnoldus Comes ex nobilissima Adelheida matre genuerat, forma præstantissimus, literis satis eruditus, consilio cautus, plusquam dici potest munificus. Quibus ita erga se Principes devinxerat, ut non solum præposituris Majorum Ecclesiarum in Treveri & Spira verum etiam beati Florini in Confluentia, & Archidiaconatus eum dignitate sublimassent. De hoc suggestum est Imperatori, ut eum Trevericæ præficeret Ecclesiæ. Eo siquidem anno Henricus Rex quartus, Imperator tertius habita curia natalem Domini celebravit in Mogontia, ubi eum adeuntes cives Treverici petierunt sibi Episcopum dari, quibus mox petentibus principibus & civibus consentientibus, Brunonem eis consecrari jussit. denique ibidem ordinatus est Idus Jan. Adelberone Metensis Ecclesiæ Episcopo oleum sacræ benedictionis imponente, Johanne Spirensi, Richero Virdunensi cooperantibus, assistentibus Archi Episcopis Burchardo Mogontiensi & Friderico Colonensi & aliis quam pluribus Episcopis. Itaque ordinatus venit Treberim die purificationis Sanctæ Mariæ Dei Genitricis & cum magno populi gaudio susceptus est. Anno igitur ordinationis suæ III. mense Martio Romam profectus Apostolorum gratia & percipiendæ benedictionis magistri sui causa invenit Dominum Paschalem universali Synodo præsidentem

Papatus sui jam annum octavum agentem, à quo honorificè susceptus, utpote Belgicæ Galliæ primæ Metropolis Præsul Magnificus. Ad cujus Præsulatum ex permissione beati Petri Apostoli suorumque successorum Apostolicorum quos enumerare longum est, inviolabilium testamentorum roboratione totius Galliæ atque Germaniæ pertinet primatus. Ita enim sanctus Sylvester Beato Agricio IIIIto. Episcoporum Treberensium, qvorum nomina cognita habemus scribit inter cætera dicens: Sume prioratum post Alpes Trebir, ubique, Quem tibi lege nova Roma dat & veteri. Honorifice inquam susceptus sed quoniam Episcopalia, annulum videlicet & baculum per manum Laicam suscepisset, atque quia Ecclesias dedicasset & Clericos nec dum pallium consecutus, promovisset, multum asperè correptus est & decernente Episcoporum ibi congregatorum concilio Pontificatus officium deposuit, quod tamen eisdem intervenientibus, quia discretio ejus & prudentia officio & tempori conveniens erat, post tridum non sine admissorum pœnitentia recuperavit. Injuncta est autem pœnitentia, ut quotiens in spatio trium proximorum annorum Missarum solennia celebraret, dalmatica non uteretur quod ipse humiliter implet. Deinde accepta tam Apostolici quam totius synodi benedictione, pallii honore donatus, atque de regula fidei firmiter observanda instructus, atque de instructione commissi gregis diligenter admonitus, in sua cum gaudio remeavit. Tum verò juxta Magistri institutionem magis quam ante operibus justitiæ cepit insistere & verbum sacræ exhortationis quasi mensuram Evangelici tritici Dominicæ familiæ fideliter erogare & quod prædicavit ore, studuit operum executione conficere. Attentius illud beati Gregorii mente pertractans, Cujus vita despicitur, restat ut & prædicatio ejus contemnatur. Fuit enim constans in Ora-

Oratione, devotus in eleemosynarum largitione, pius in viduarum & pupillorum defensione, excidia domorum Dei nulla sumtus magnitudine motus reparabat, & si quispiam Deo famulantibus aliquid intulisset injuriæ, impune præterire non sinebat. Verum ut breviter concludam talem se omnimodis exhibebat, ut in administrandis quoque regni negotiis ex omnibus principibus consilio sapientia & autoritate nullus eo sublimior haberetur, adeo ut Imperator Patrem suum eum vocaverit & majorem cæteris ei honorem impenderit, sed & ab omnibus Episcopis, quocunque se conventui eorum ingessisset, ut Pater quidem diligebatur, sed ut major venerabatur. Igitur quoniam in rebus sibi commissis strenuissimus exstitit, defuncto Imperatore communi consilio Principium *Vice-Dominus Regiæ Curiæ* effectus est & regnum regnique hæres Heinricus videlicet nominis hujus qvintus Rex adhuc adolescens circiter annos XX ei committititur, ut & regnum sua prudentia disponeret & hæredem regni & morum suorum honestate & disciplina, qua ipse [maximè] præ omnibus pollebat, informaret, quousque in Virum perfectum ætate & sapientia succrevisset, quem susceptum tam diu educavit usque dum Adelberti tunc Cancellarii postea Mogonciensis Episcopi detractionibus exasperatus regni & hæredis providentiam proceribus reconsignavit. Quantæ autem pietatis exstiterit exinde quis colligere poterit, qui noverit quōd quantum libet ei quispiam molestiæ irrogasset, si revertens veniam postulavit, facillime ad misericordiam motus indulsit. Unde factum est, ut cum idem Adelbertus, cujus supra memini, Mogontiensium jam novus [Electus Episcopus] ob illatas Regi molestias à Rege captus & in carcerem retrusus, non inde prius exire potuisset, quam iste Bruno, inquam faciendo fidem nunquam illum Regi nociturum pro ipso se obsidem Regiæ custo-

custodiæ dedit. Quid multis moror? Denique cum tanta solertia ac sapientia ab ipso res acta est, ut cum in diebus illis de venalitate Sanctæ Ecclesiæ, scilicet de contradictione venditionis, Episcopatuum, Abbaciarum & aliarum quarumcunque Ecclesiasticarum dignitatum inter regnum & sacerdotium sicut superiori sermone decursum est, ageretur invidiosa dissensio, ita Catholicorum amplexus est consortium, ut Imperatori debitum non negaret obsequium, neqve ita se Cæsarianorum communione contaminavit, ut Catholicorum offensas incurreret. Propter quod contigit ut novissime sua prudenti mediatione Imperator Apostolico obtemperaret, & deinceps desinerent esse discordes, quod ut facere non omiterret, quoniam omnibus prominebat auctoritate multorum Episcoporum exhortatoriæ ad ipsum directæ sunt Epistolæ.

CAP. LXVIII.

NUnc autem supereſt, ut gestorum ejus quoddam memoriale *cui me contigit interesse*, debeam declarare. Ivodii quod Trevericæ diœcesis appendicium est, fuerunt eo tempore hæretici qvi substantiam panis & vini qvod in altari per sacerdotes benedicitur, in corpus Christi & sanguinem veraciter *transmutari* negabant, nec baptismi sacramentum parvulis ad salvationem proficere dicebant, & alia perplura varii erroris profitebantur, qvæ memoriæ tradere nefas duxi. De his quatuor oblati sunt ei, quorum duo presbyteri, reliqui vero duo erant Laici. Presbyterorum unus Fridericus, alter duobus nominibus vocabatur Dominicus Guilhelmus, Laicorum vero alter Durandus, alter Hamelricus, quos dum discuteret, Hamelricus fuga lapsus est, Durandus vero hactenus quidem se sceleris hujus assentato-

tatorem eſſe ultro confeſſus eſt, ſed deinceps in ea aſſentatione nolle perſiſtere, adhibitis ſibi ſanctorum reliquiis juramento verbis fidem fecit. Vocatus autem alter Presbyterorum Fridericus ad audientiam non ſolum non negavit, verum & bene & recte ſe credere id profitendo aſſeruit. Cui Bruno Epiſcopus ait: Oportebat ut Tu, qui Doctor fidelium eſſe debuiſti, ſanam doctrinam cunctis evangelizares omittens infidelitatis aſſertiones, quibus mentiri Te cunctis credentibus luce clarius conſtat, cum beatus Auguſtinus dicat, quoniam Chriſtum vorari fas dentibus non eſt, voluit ipſe Chriſtus hunc panem & hoc vinum miſterio [in miniſterium] carnem verò ſuam & ſanguinem conſecratione ſancti ſpiritus potentiali [præternaturaliter] creari & cottidie pro mundi vita myſtice immolari, ut ſicut de virgine per Spiritum Sanctum vera caro ſine coitu creabatur, ita per eundem ex ſubſtantia panis & vini myſticè id eſt [idem] Chriſti corporis [corpus] conſecretur. In Epiſtola quoque de fide Catholica idem Beatus Auguſtinus dicit: Firmiſſimè tene & nullatenus dubites, parvulos [parvulis] qui nec propria voluntate credere nec pœnitentiam pro peccato quod originali [originaliter] trahunt, agere poſſunt: Sacramentum [tamen] fidei & pœnitentiæ quod ſanctum eſt baptiſma, quam diu rationis eorum ætas capax eſſe non poteſt, ſufficere ad ſalutem in capitulo Epiſtolæ XXVII. His itaque aliis ſcripturæ ſacræ Eulogiis in medium prolatis cumque ab aſtantibus fidelibus nunc ſingulariter nunc communiter increpatus atque ad Chriſtianam veritatem incitatus nollet acquiescere, ſed magis in infidelitate delegiſſet obſtinata mente perſiſtere, acclamabatur ab omnibus Dominicæ vocis ſententia: Quoniam Eccleſiam non audit ſit tibi ſicut Ethnicus & Publicanus, adjeceruntque gradu moveatur atque damnetur, quod ut fieret omnibus currentibus, ille nacta fugiendi oppor-

opportunitate se interim subduxit sicque evasit. Proinde cum requisitus non esset inventus, juxta canonum sanctiones, qui noluerit ad audientiam venire vocatus eademque patiatur absens, ut breviter comprehendam, damnatus est. Inquisitus est & alter ille videlicet, qui ob hujus nequitiæ infamiam obumbrandam duobus vocabatur nominibus, an & ipse prælibatæ hæresis assertor existeret, testificatus est nunquam se professum esse vel profiteri velle, delatoribus ejus affirmantibus & dicentibus se quâdam vice [die] inspiratus [insperato] conventiculis eorundem hæreticorum superveniisse, ipsumque illis communicantem, quo contra ille timens ne forte convictus [presbyterii] privaretur honore, respondit se ob hujus suspicionis abolendæ libenter velle summæ examinationis subire sententiam, quod dictum cum Placuisset omnibus, jussus est Missam celebrare & sacrum canonem qui secio vel Acco [Secreta Relaxia] dicitur sicut cætera excelsa voce decantare, ut qui ministerio pretiosi corporis & sanguinis Christi præsumsisset detrahere, ipsius probaretur virtute. Missa itaque decursa ubi ad communicandum perventum est, Episcopus verba inprecationis hujusmodi intulit dicens: Si vivificum hoc salutis nostræ sacramentum qvod in manibus tenes non verum corpus Christi & sanguinem esse ausus es impio ore garrire, cum ipsius ministerii [mysterii] contestatione interdico, ne quoquo modo præsumas accipere: Si vero non ita sed Catholicè profiteris accipe; & accepit. veruntamen qualiter idem redemtionis munus ad damnationem sui in os ejus intravit, referre supervacuum non judicavi. Cum enim esset in examinationis anxietate constitutus, omnipotenti Deo de admissis pœnitentiam, de futuris custodiam pollicens corde contrito supplicavit, & obtinuit ab instanti confusione liberari. Inde vero ubi in sua rediit, pollicita facere non expavit, & abdicatam hære-

hæreſin majori quam antea pertinacia roboravit, non recolens quod cum ſit Deus judex juſtus fortis & patiens, tanto delinquentium culpas diſtrictius judicat, quanto æquanimiter portat. Contigit ergo, ut de vitio in vitium corrueret, ſicut ſcriptum, qui ſordidus eſt adhuc ſordeſcat, & ſpiritu fornicationis ſeductus non multo poſt in adulterio deprehenſus eſt & digna iniquitatis ſuæ morte peremtus eſt. Sæpedictus etiam Pontifex crebris infirmitatibus nunc pedum, quod Podagram Græci vocant, nunc ventris fluxu, quod ciliacam nuncupant, vexabatur, propter quod exquiſitiſſimos ſemper ſecum habere ſolebat Medicos. Habebat autem inter eos Judæum quendam Joſuæ nomine Phyſicæ artis eruditiſſimum, computiſtam peroptimum, Hebraicarum literarum & totius Judaiſmi perfectiſſimum, quem circumdabat militaris habitus. Hunc majori præ cæteris familiaritate & dilectione idem Bruno ſibi annectebat, ſatagens ut qvomodo ille ipſum carnaliter medicaretur, ita illi ipſe ſalutem animæ operaretur. Cum hoc ſæpiſſime de divinis diſputabat voluminibus, ſemper illum ad converſionem deprecans & exhortans, in quo tandem Domino largiente optatum tenuit effectum. Nam conſiliis ejus acquievit & ab ipſo baptizatus eſt. Cui Bruno ſuum nomen impoſuit & in cunctis bonis adjuvit, cunctis fidelibus ſuis ipſum commendans & petens, quia genus illud hominum multum eſt in fide inſtabile, ſemper deſiderat in vitæ neceſſariis abundare, quatenus ubicunque ille ipſis manentibus ſuperveniret, providerent ei neceſſaria [cum caritate.]

CAP. LXIX.

NUnc iterum ad ordinem unde digreſſus ſum, orationis verba convertam. Cum ut dictum eſt Bruno omnimoda

moda probitatis actione XII annis serenus extitisset, auctoris omnium prævaricationum diaboli, qvi felicibus ejus actibus invidebat, instigatione retroconversus, religiosi itineris limitem excessit, & incentivis vitiorum avaritiæ videlicet & cenodoxiæ plus justo inhiavit. Ut enim militum interminatè habendi cupidorum muneribus & beneficiis potuisset satisfacere, non solum Clericorum & Laicorum bona diripiebat, verum etiam Ecclesiarum villas & curtes Deo & Sanctis ejus vespere & mane & meridie famulantium victui deputatas, sed & ornamenta pretiosa & vasa concupiscibilia tam aurea quam argentea in suos usus redigebat, & exinde expensas faciens humanos in se favores concitabat. Nihil enim laude fuit ei in vita dulcius. Inde est qvod villæ duæ, una Dei genitrici loci, qui Orgium dicitur, nuncupata Macharia, distans à Treveri versus aquilonem circiter tria miliaria, altera beato Paulino, dicta Lesura & aliæ qvam plures, qvas omnes enumerare propter multitudinem distuli, [longum est] à prioribus quoque Pontificibus ad tempus qvidem sublatæ sed freqventer ab omnibus reconsignatæ nunc autem ab hoc subtractæ nec restitutæ, Episcopalibus sunt addictæ reditibus. Quarum priorem Dagobertus Rex Francorum inter cætera quæ Ecclesiis Dei legitur contulisse beneficia, Sanctæ Dei Genitrici ob amorem Sanctissimæ virginis Irminæ filiæ suæ, tunc ibi degentis, nunc vero quiescentis cum aliis quam pluribus contulit, alteram autem quam diximus Lesuram beato Paulino Ludolphus Trevirorum Archi-Episcopus donavit & Sacerdotii sui autoritate obsignavit, imprecans, ut si quis Lesuram in succedentibus annis usui fratrum, in Beati Paulini Basilica ministrantium, sustollere conaretur, disperderet eum Deus de terra viventium. Ubi vero in hunc ejusdem Pontificatus Auctoritas collata est, iniquorum

rum seductus consilio, ut diximus, eam cum aliis aliquibus in usus suos redigebat, dicens: non licere cuiquã Episcoporũ qvidqvam Episcopaliũ redituum alicui Sanctorum loco assignare, & qvoniam prænominatus Liutoldus hoc fecerit, ratum non esse, quod utrum ne illi licuerit, vos discernite. Æstimo namq; quoniam Episcoporum est summam Deo famulantibus diligentiam adhibere, necessaria ministrando, ne dum pro necessariis conquirendis negociantur, à sancto proposito discedere compellantur. Ad hoc entm deputati sunt Ecclesiastici reditus, ut ex eis subveniatur Christi pauperibus, qvod ille exeqvens melius usui ministrorum Dei assignaverit, quam iste in usum superbæ gloriationis absumserit. Huc accedit quod cum Egilbertus proximus hujus Brunonis anteceſſor adhuc viveret, inito consilio cum Optimatibus suis, ex qvibus iste Bruno unus erat, hujusmodi verbis eos compellabat; Obsecro vos per misericordiam Dei dilectissimi filii mei & fratres, quidquid ego & anteceſſores mei Episcopi Sanctorum locis injuriæ violentia magis quam ratione irrogavimus, vos me commonefacite & ego restituam; Ut & meam & eorum animas ab inferis redimam. Quod cum placuisset omnibus, discretis cuiqve loco redditibus banni constrictione ligavit & firmavit, ut qui deinceps inde subtraheret Deum præsumtionis suæ ultorem sentiret: Et responderunt omnes: Amen. Ubi vero Egilbertus spiritum reddidit & Bruno in Episcopatu succeſſit, universa quæ reconsignavit iste, resumsit, dicens nihil exinde ratum esse, quod illi infirmus & jam suimet impotens in novissima vitæ suæ hora constitutus fecerit. Cum beatus Gregorius dicat: Ultimam pœnitentiam nulli negandam. Beatus vero Augustinus dicat se non diffinire, qvod qui seram tantum egerit pœnitentiam, liberetur per eam. Ego qvidem puto, si audeam dicere, qvod qvi temporanea sine serotina

na pœnitentia, male parta restituerit & si propterea non liberabitur, qui ea postmodum in indebitos usus usurpaverit, non minus judicium sustinebit.

CAP. LXX.

ANno igitur ordinationis suæ XIX placuit ei Romam tendere, ut renovaret privilegia sedis suæ, indignatus super protervia præfati Adelberti Mogontiensis Episcopi de legatione sedis Romanæ sibi concessa superbe se efferentis, maxime cum ex concessione priorum Apostolicorum Episcopus Treverorum nulli nisi soli Apostolico vel à latere ejus ad præsens [ad principes] misso debeat obedire, sicut Hincmarus Remorum Archi-Episcopus in Epistola sua Nicolao Papæ directa commemorat, dicens: Remensis Ecclesia nunquam [inquam excepto] Romano Pontifice Primatem habuit, nisi quam diu ejecto ab ea sine ullo crimine suo Pontifice violentia Tyranni Milonis tempore Karoli Principis Pastore vacans Bonifacio Apostolicæ sedis Legato aliquandiu sicut & Treverensis Ecclesia commissa fuit. Sed & in tempore illo præfuit Ecclesiæ Metensi qvidam Stephanus Kalixti Papæ ex Sorore nepos, cui jam dictus avunculus ejus concesserat in celebrationibus Missarum pallio indutum procedere, integra Trevericæ Metropolis potestate. Qvi de pallii honore exhilaratus velut confidens gratiæ consanguinitatis supra memoratæ ultra quam oportuit se extulit, omnimodis innitens, si quomodo potuisset Trebericam Ecclesiam deprimeret, suam autem anteferret & metropolim faceret, sperans quod qvæcunqve inchoasset, Kalixtus assentiret, qvod exinde perpendimus, qvia qvotiescunqve à Metropolitano vocatus fuisset, ut sicut consuetudo est

suf-

ſuffraganeis Epiſcopis, Metropoli obedientiam & ſubjectionem ſubſcriberet, venire contempſit dicens: Suos qvoqve anteceſſores qvinque fuiſſe Archi-Epiſcopos, qvod nullarum ſcripturarum autoritas affirmat & pronuntiat. Solummodo qvippe Metenſium Epiſcoporum qvinque numero pallio uſi referuntur, qvibus iſte ſextus aſcribitur, ſervata tamen in omnibus Metropolitano ſubjectione, ſed non omnes qvi palliis uruntur Archi-Epiſcopi ſunt, niſi qvorum ſedes Metropolis ſubjectis ſibi aliis civitatibus & Epiſcopis principatur. Cum igitur propter ſupra memoratas cauſas ſæpedictus Bruno Romam verſus iter faceret, & Auguſtidinum [Auguſtodunum] usqve proceſſiſſet, Kalixtus Papa ibi ei occurrit & amice ſuſcepit & cum eo in eodem loco natalem Domini celebravit. Tranſactis autem diebus ſollennibus pariter iter Cluniacum dirigunt, ubi Bruno cauſas ſui adventus aperuit, prolatisqve coram ſedis ſuæ privilegiis eadem ſibi & Eccleſiæ ſuæ Apoſtolicæ ſubſcriptionis firmamento ſtabiliri poſtulavit quod & obtinuit. Nam facta ei peccatorum ſuorum indulgentia remiſit ad propria dans ei chirographum hunc modum [hujusmodi] continens.

CAP. LXXI.

K*Alixtus ſervus ſervorum Dei*, Venerabili Fratri Brunoni Treberenſis Eccleſiæ Archi Epiſcopo Salutem & Apoſtolicam benedictionem. Et conſvetudo ſedis Apoſtolicæ perſuadet & ipſe rationis ordo expoſcit, ut ſapientes religioſasque perſonas & in Romanæ Eccleſiæ unitate & obedientia devotas exiſtentes honorare amplius ac diligere debeamus. Proinde, Frater dulciſſime, poſtulationi tuæ clementer annuimus

mus & personam tuam dilectionis brachiis amplectentes eam à cujuslibet Legati potestate absolvimus, nisi forte à nostro latere dirigatur. Confidimus enim in Domino, quod de sapientia & religione tua & Deo & Ecclesiæ honor magnus utilitasque proveniet. Data Cluniaci III. Non. Jan. Denique non multo post tempore viribus corporis ejus senio simul & infirmitate ad occasum vergente in omni fere circa regione ceperunt viri nequam consurgere, & res Ecclesiæ, quæ ipsorum defensioni & ut ita dicam advocatiæ commissæ fuerunt, barbarico more depopulari, quodam comite Wilhelm filio Cunradi supra memorati comitis de castello quod vulgo Luczelenburc vocatur, ducatum illis præbente, quos cum sæpius ad correctionem invitasset & non profecisset, tandem cum non haberet, qui illorum vesaniam armata manu posset reprimere, ipsi enim, si barbari provinciam hanc impeterent, illis debuissent resistere, utebatur in illos anathematis ultione die quâdam Dominica VIII. Id. Decemb. Anno Dominicæ incarnationis M. C. XX. Pontificatus sui anno XXI. 1120.

CAP. LXXII.

CUjus anathematis verborum series hunc habet modum: Propter continuas oppressiones quas Ecclesia nostra patitur, decernimus & Sancti Spiritus judicio & autoritate nobis concessa confirmamus, ut quicunqve sive rapinis rerum Ecclesiasticarum sive in combustione alicujus Ecclesiæ, sive in captione alicujus Clerici, vel in quacunqve indebita exactione, sive in generalis vel specialis pacis violatione, hactenus nos conturbavit, ad satisfactionem canonicè vocetur, passurus Sententiam secundum merita; Obediens

ens judicium cum misericordia, rebellis judicium sine misericordia. Abhoc autem die ulterius qvicunqve supra dictorum violator inventus fuerit, hodierna excommunicatione prædamnamus & præcipimus, ut ab omnibus ut Sacrilegus devitetur, suspenso ejus nomine in Ecclesia ad judicium excommunicationis jam super eo factæ & singulis Dominicis diebus repetendæ, ita quicunque ei communicaverit, si Laicus fuerit, eodem anathemate feriatur, si Clericus, ab ordine deponatur. Spolia qvoqve emens vel accipiens, ei cui & spoliator damnationi subjaceat. Congregationibus autem licentiam damus, ut qvicunque eos in bonis stipendiorum suorum læserit, eum cottidiana excommunicatioue persequantur. Porro Archidiaconis concedo, ut ubi aliis negotiis impeditus adesse non potero, pœnitentes Ecclesiæ reconcilient, servato ordine in compositionibus & cæteris Ecclesiasticis consvetudinibus.

CAP. LXXIII.

MUlta qvidem & alia probitatis fecit insignia, quæ & *ipse Ego vidi* & aliorum certa relatione cognovi, quæ enumerare per singula, gratia vitandæ prolixitatis omisi; Hoc tamen scire sufficiat, quod appropinqvantem vitæ ejus terminum laudabilibus admodum operibus antevenit. Etenim per nocturnam qvietem solitus erat Sanctorum memorias silenter circuire, illicqve in oratione diutius persistere, & Dei propitiationē cum eorum intercessione profusis lachrymis exorare, sed & loca ubi servi Dei & ancillæ in clausulis degebant uno tantum comite contentus frequentabat, & quæcunqve habuissent necessaria, tam in victu qvam vestitu ministrabat, atqve eorum orationibus se devotius commendabat.

bat. Nec præterendum quoqve quod in Spirensi [Moguntina] Diæcesi in prædio suo, quod Otenheim dicitur, Monasterium construxit, ubi Deo famulantes Monasticæ professionis Cœnobitas adunavit, tantumque de rebus prædiorum suorum delegavit, qvantum posset illic commorantibus ad cottidianum victum sufficere. Sed nec hoc silendum quod in Confluentia Basilicam Beati Flori [Florini] vetustate consumtam meliore schemate & ampliori ambitu [habitu] & lapidiis thophis sectis & politis, sicut usqve in hodiernum diem conspicuum est, construxit. Sed & in Treveri Ecclesiam, in qua beati Pauli & aliorum confessorum Pontificum Treberensium nec non & corpora plurima martyrũ Thebæorum sub Ricciovaro passorum requiescunt, quam sicut primum nostrorum relatu didicimus, Sanctus Felix Trevirorum Episcopus, qui in ipsa requiescit, magno & spatioso ambitu primus fundavit, postmodũ vero vetustate consumtam beatus Marus & ipse ejusdem Civitatis Episcopus, quique ibidem quiescit in pristinum statum reparavit, Iste quoque nostris temporibus ignis concremationedirutam, Adelberti & Rudolfi ejusdem Ecclesiæ Præpositorum industria datis sumtibus, nõ juxta primæ qvantitatis amplitudines sed secundum facultatis suæ modum reformavit. Anno autẽ Dominicæ in carnationis MCXXIIII qvi est annus Episcopatus ejus XXIX [XXIII] VII Kal Maji, die VI feria, hora prima animam reddidit. Cujus exequiis celebrandis affuerunt Trebericæ diœceseos Episcopi Heinricus Virdunensis, Conradus Tullensis, & eum non longe ab antecessoris sui Egilberti sepulchro magno cum honore & totius cleri & populi mœrore deposuerunt: sedit in Episcopatu annis XXIII dies XXIIII [II] & vacavit Episcopatus menses duos dies VIII.

1124

CAP. LXXIV.

CAP. LXXIV.

POst decessum vero Brunonis Episcopi Gotefridus Majoris Ecclesiæ Decanus in Episcopatu successit. Hic de Leodiensi Parochia extitit oriundus, Arnoldum vero consanguineum suum & majoris Ecclesiæ, Domus videlicet beati Petri Præpositum, virum videlicet religiosum & morum honestate præclarum, qui Ecclesiam in honore sanctæ Crucis juxta albam portam sitam constituit, Treberim secutus, & Eberhardo Trevirorum Archi-Episcopo Clericus est designatus. Hic vero sicut & antecessores ejus, prædictus inquam Præpositus, morum dignitate & animi liberalitate insignis; prius à Trevirensibus Clero scilicet & populo dilectus & ab Episcopis ejusdem civitatis Egilberto & Brunone multis Ecclesiasticis honoribus ditatus, ad ultimum decedente Domino Brunone sicut prædiximus in Episcopatum est sublimatus. Peracto vero anno Episcopatus sui insurgentibus in eum quibusdam de clericis suis, & introitum ipsius calumniantibus, quorum calumnia si justa an injusta fuerit Deus scit, ego nescio, tandem ad hoc causa est perducta, quod sentiens suam infirmitatem ad hoc onus non sufficere, jam enim ad decrepitam ætatem venerat, videns etiam quod in Ecclesia fraterna scindebatur caritas, quibusdam sibi adhærentibus, aliis resistentibus, ne causa esset hujus schismatis circa finem tertii anni ab Episcopatu est absolutus. Obtinuit autem sedem annis duobus mensibus X diebus XI supervixit autem postea anno uno mens. V. dieb. XVI. Obiitque XVIII Kal. Decembr. die [V] feria hora noctis IIIa. quem sepelivit successor ejus in Basilica sancti Petri majoris Ecclesiæ sub arcu, quæ est ad meridionalem plagam.

†Q

CAP. LXXV.

CAP. LXXV.

Hic autem ſucceſſor ejus nomine Meginherus eadem, qua Deceſſor, parochia nobilibus & ipſe parentibus procreatus, & à pueritia in Treverenſi Eccleſia educatus, morum honeſtate & perſonæ maturitate ad Præſulatus honorem dignus profecto aſcendiſſet, ſi antedictum Gotfridum vel parcius impugnaſſet vel ſuæ rigiditati & indiſcretioni modum impoſuiſſet. Menſe Junio electus ſeqventi autumno collecta militia Treverenſi caſtellum novum, qvod dicitur Hunniag [Bumachen] primo impetu cepit, Wilhelmum comitem ad conditiones pacis coëgit, pacemque patriæ in brevi reformavit, veniente XL^ma. iter ſuum Romam direxit ubi à Papa Honorio ordinatus & pallio dignitatis eſt decoratus; unde reverſus à Clero & populo Trevirorum honorifice eſt ſuſceptus. Deinde dum nimio Zelo rectitudinis de incontinentia Clericorum multa ſæve diſponeret, ſine condimento discretionis magnam ſibi comparavit invidiam, & quam nec dici fas eſt acquiſivit infamiam.

CAP. LXXVI.

Et forte eodem tempore *Francorum* Respublica valde turbabatur. Nam paucos ante annos Heinrico Imperatore hujus nominis V. Rege ſine prole defuncto Proceres Francorum apud Mogontiam *Lotharium* [*Leodegarium*] *Ducem Saxonum* in regnum elevaverunt, eorumqve decretum Romani laudaverunt, cum ecce Fridericus Dux Alamannorum, ejusdem Heinrici Imperatoris ex ſorore nepos facta conſpiratione cum qvibusdam juſtitiæ inimicis fratrem ſuum Cunradum regno ſubſtituit, magnamqve belli materiam

am & contentionis fomitem hac de re suscitavit. Quod ubi Honorius Papa comperit, Cunradum omnesqve sibi faventes excommunicationis vinculo colligavit. Et Meginhero Archi-Episcopo ordinato jam reversuro, ut in sede sua eundem Cunradum excommunicaret, præcepit. Anno igitur ordinationis suæ IIo. Mense Novembris, cum jam erga multorum animos ea qva dixi causa esset odiosus, Romam ire disposuit, ut consilio Apostolici vel auxilio ea quæ se gravabant alleviaret. Quo tempore prædictus Cunradus minus in Teutonico prosperatus regnum Italicum tanquam & illud sibi deberetur invadere cupidus, ibidem in Italia morabatur, ubi Meginherum Episcopum per exploratores proditum cepit, eumqve apud Parmam civitatem custodiæ deputavit, ubi seqventi anno jam oculorum lumine ex afflictione amisso Kal. Octob. obiit, Episcopus Parmensis vestibus, quas sibi ipsi morituro paraverat, corpus indutum in majori Ecclesia sepelivit.

CAP. LXXVII

Post hunc Brunonem Ecclesiæ Trevirensis Canonicum Brunonis quondam Archi Episcopi Nepotem elegerunt VII. Idus Decemb. quod ille omni nisu maxime causa inopiæ hujus Ecclesiæ renuebat. Re autem vera, ut post claruit, majoris Episcopatus gloriam affectabat & cum gratia Apostolici Innocentii faciebat, qvi eo tempore in Gallliis commanens diversis in locis concilia celebrabat. Nam quando Meginherus Episcopus Romam pergens captus & custodiæ traditus fuit, bellum qvoqve inter Romanos conflatum de loco Innocentii & Anacleti Honorio Papa defuncto: Qvorum prior Electione autentica cleri & populi intronizatus & consecra-

secratus defuncto successerat, alter autem factione nobilium Romanorum qvorum ipse propinqvitate pollebat, Papatus sibimet honorem assumserat. Maximo autem motu horum gratia concitato Innocentius Papa templum Sancti Petri fugiens, [intravit] qvem Anacletus obsessum tormentis machinisqve adhibitis de templo & urbe fugavit. Pulsus ergo Roma Gallias Innocentius petiit, ubi eum Legati Trevirorum adeuntes ut electionem suam firmare & perficere non differret, postulabant. Quibus ipse respondit, ut alium ad hoc idoneum qvem vellent eligerent. Nam Brunonem nec ipsi nec alterius Ecclesiæ filii Episcopum habere potuissent. Hoc responsum apud Leodium in XL^ma^. acceperunt seqventi Pascha cum Rex Lotharius omnesqve Principes Trevirorum Treberi convenissent pars Cleri, Primicerium Metensem Adelberonem eligebat [pars Cleri N. alii Adelberonem eligebant] Principes tamen & Populus.

[Acriter repugnabant qua dissensione per continuum annum pertracta tandem jussu Apostolico & imperio regali sedata, altero Pascha inthronizatus est Adelbero anno Dominicæ Incarnationis M C XXXII.]

[Feliciter finiunt gesta Treberorum, summa diligentia per manus Petri Wesalentini scripta, cujus anima post mortem hanc cum Christo requiescat in pace, Amen.

[*Hæc in Codice Scriveriano.*]

CHRONICON HOLSATIÆ VETUS

Sub nomine continuationis Chronici Slavorum Autore presbytero Bremensi, usque ad annum 1448.

CAP. I.

IN principio creavit Deus cœlum & terram : In cœlo spirituales Angelos cives ; In terra terrenos peregrinos, in cœlum transferendos, hominem ad imaginem & similitudinem suam rectum & intelligentem. Atque ei ut subdito mandatum dederat, cui si obediret, civis fieret ; Sin autem ; projiceretur & extra cœlestem civitatem, & civium numerum remaneret in terra. Hic primus homo Adam, mandatum Dei non custodiens, ejectus est ê Paradiso terrestri atqve cœlesti, & incola terræ in sudore vultus sui vescebatur pane, & genuit filios & filias in ærumnâ multa. Duos autem genuit nominatos Cain & Abel ; Cain primogenitum in peccatorem.

Qui

Qui ut in terra dominaretur, condidit civitatem nomine filii ſui Enoch. Hic invidens fratri ſuo Abel, qvi in terra civitatem non condidit, ſed cœleſtem civitatem diligens, Deum ſupér omnia colens, de pinguibus animalibus obtulit Deo ſacrificium. Et Cain de minutis frugibus terræ, ad cujus munera Deus non aſpexit. Ideo Abel fratrem ſuum interfecit. Malus bono propter bonum invidens ſecum inhabitare terrenam civitatem non ſinebat. Loco cujus juſti primi ſacerdotis ſpiritualis perſonæ, cœleſtis civitatis inhabitatorem ſpiritualem hominem Seth, de qvo Chriſtus carnem ſumere volens ad redimendum hominem, qvem creavit. Hic Seth genuit filios à qvibus Deus & ſuperna civitas diligebatur, usqve ad diluvium aqvarum totius orbis. Et à primo homine Adam usqve Noë, cujus tempore diluvium inundavit fuerunt octo perſonæ intermediæ; Sic qvod in decimo homine juſto nato ab Adam fuit diluvium purgans à peccatis univerſum mundum. Nam primogenitus Cain & ſui filii fuerunt peccatores coram Deo. Et illo tempore fuerunt gigantes in terra & filii Dei (nati à juſto Seth) concubuerunt cum filiabus Cain & ab ipſis perverſi facti, ideo Deus per diluvium purgavit univerſum mundum, præfigurans peccatores per baptiſmum in aqua gratia Chriſti eſſe purgandos. Et à principio mundi usqve ad diluvium fuerunt anni mille ſexcenti ſexaginta ſex.

CAP. II.

MUndo per aquam purgato Deus dedit præceptum non interficere & effundere ſanguinem. Juſtus vero Noë Patriarcha, tres habuit filios Sem, Cham & Japhet. A Sem primogenito filio, exorti ſunt filii & cives cœleſtis civitatis, à qvibus Chriſtus carnem ſuscepit. Peccatores & Judices ſpiri-

ſpirituales. Sem genuit Arfaxat, qvi genuit Sale, hic genuit Heber, à qvo Hebræi nominati ſunt. Nam filius ejus Phaleg in confuſione linguarum retinuit linguam Patris ſui Heber, unde Hebraica lingua dicta eſt. A qvibus Hebræis Prophetæ, Judices, Reges, Sacerdotes, & tandem Chriſtus & Apoſtoli exorti ſunt. Secundo-genitus filius Noë Cham qui cum vidit patrem ſuum nudum jacentem, & verecundiam Patris fratribus demonſtrans, qvi tamen eam videre nolentes, ſed veſtibus cooperuerunt. Ideo Pater evigilans, dicti filii, filium Chanaan maledixit, dicens: Maledictus Chanaan, ſervus ſervorum erit fratribus ſuis. In hoc maledicto nomine prima ſervitus eſſe cœpit, qui etiam Cham genuit Chus, qvi genuit Nemroth gigantem, qvi fuit robuſtus venator, & primam civitatem poſt diluvium condidit, Babylon inclutam & nobiliſſimam civitatem & turrim in ea, cujus altitudo attingebat cœlos. Et hæc turris à filiis Noë, nepotibus & pronepotibus ſeptuaginta duobus fuit conſtructa. Et ab illis ſeptuaginta duobus ſunt exorta lingvagia, remanente in filio Heber prima lingua ab initio cum homine à Deo data. Et ab his ſeptaginta duobus univerſus mundus in linguis ſuis eſt diviſus. Nemroth venator contra verum Deum ædificata prima civitate Babylon poſt diluvium primum dominium in populo gerebat. A Sem juſto primogenito Noë usqve ad Abraham Patriarcham electum à Deo fuerunt decem generationes. Et terminabatur ſecunda ætas, habens annos ducentos nonaginta duos.

CAP. III.

AB his tribus filiis Noë mundus diviſus eſt in tres partes, Aſiam, Africam & Europam. A primogenito Sem major

pars terræ ſcilicet Aſia nominata, quæ habet in ſe regna Indiam, Perſiam, Medos, Chaldeam, Meſopotamiam & regnum Aſſyriorum. Et hæc Aſia habet qvaſi mediante totius orbis in meridie per Orientem ad Aqvilonem. A ſecundo filio Noë Cham ſecunda pars terræ, ſcilicet Africa, poſſeſſa eſt, quæ tendit à meridie ad Occidens, & habet in ſe regnum Ægyptum, Æthiopiam, Carthaginem & terram Chanaan, in qua Jeruſalem & terra promiſſionis ſita eſt. Ab ultimo filio Noë ſcil. Japhet & ſemine ejus tertia pars terræ dicitur poſſideri, qvæ tenditur ab Occidente ad Aquilonem, & habet inſe regna Græciam, Scythiam, Siciliam, Italiam, Hiſpaniam, Franciam Almaniam & Germaniam. De his tribus filiis Noë patriarcha prædixit futura dicens: Maledictus Chanaan filius Cham, ſervus ſervorum erit fratribus ſuis & Benedictus Dominus Deus Sem, ſitq; Chanaan ſervus ejus. Dilatet Deus Japhet & habitet in tabernaculis Sem, ſitque Chanaan ſervus ejus. Hæc prophetia impleta fuit per Alexandrum Magnum de Græcia natum. Aſcendens in terram Chaldeorum Perſarum & Medorum, qvæ fuit pars Sem & inhabitabat ibi, ac regna illa regno Græciæ adjiciens. Et ſuper omnia in Romanis fuit tota impleta. Nam Roma quæ eſt caput Europæ, vicit & ſubjugavit omnia regna mundi, & terram Chanaan, qvæ prius à filiis Sem ſcilicet Judæis fuit devicta & per eos poſſeſſa, à Romanis Principibus Tito & Veſpaſiano fuit in ſervitutem redacta.

CAP. IV.

ABraham à Sem benedicto filio Noë deſcendens & habitans in Chaldea, cum homines à cultu veri Dei declinabant. Thare Pater Abraham ſolus cum filiis ſuis unum verum Deum adorabat, qva propter odio habitus, Deus

us illum monebat, ut terram illorum perverſorum exiret. Et mortuo Thare Deus Abraham de Ur Chaldeorum eduxit, & terram Chanaan, quam ſibi & heredibus ſuis, hereditariam terram id eſt promiſſionis jusſerat poſſideri. Cui Abrahæ Deus benedixit & promiſit quod in ſemine ejus id eſt in Chriſto benedicerentur omnes tribus terræ. Qvi duos habuit filios primogenitum Iſmael ab ancilla ſecundum carnem natum, à qvo Reges & Duces terræ proceſſerunt. Alium filium dedit ſibi Deus exlegitima uxore, ſterili, ipſo ſene exiſtente, natum Iſaac vocatum, à quo Iſrael id eſt viri videntes Deum ad ſpiritualem vitam cœleſtem pertinentes ortum deduxerunt. Hinc Abraham tempore olim Regis Ninive fuit natus. Et non longe poſt conſtructionem magnæ terrenæ civitatis Babylon. Et ultra mille annos ante alterius magnæ civitatis Romæ in Europa ſitæ ortus. In civitate terrenâ habitationem nullam habuit, ſed hic peregrinus in terra in tentoriis degens ad cœleſtem civitatem inſcribi potius eligebat. In hoc Abraham habuit principium tertia ætas, quæ duravit usque ad tempus regni ſcil. David & Salomonis & fluxerunt anni nongenti qvadraginta duo.

CAP. V.

QVarta ætas mundi cœpit à David Rege usque ad transmigrationem filiorum Iſrael, per Chaldæorum Regem Nabogodonoſor in terram ſuam, in quâ ſeptuaginta annis captivati permanſerunt, & fluxerunt anni quadringenti ſeptuaginta tres à David usque ad tranſmigrationem. Nam usque ad illud tempus Reges fuerunt in populo Dei. David Rex eximius Prophetarum, qui librum Pſalmorum Deo in cythara decantabat, & cultum divinum maximè de-

decorabat. Filius ejus Salomon Rex & sapientissimus hominum templum Dei miro modo ædificans, proverbiorum, Cantica Canticorum, & Ecclesiastem inspirata Prophetiâ exarabat. Horum Regum tempore in populo unius veri Dei cultore, in Italia Roma nondum erat cœpta, sed in ea Latini dominabantur exorti ab Ænea Rege è Trojana civitate à Græcis destructa. Et postmodum tempore Robeam filii Regis Salomonis Roma in Italia à Romulo & Remo duobus fratribus illegitimè natis condita est. Altera Babylon, civitas magna terrena, à qva totus orbis subjugatus est, secundum Prophetiam Danielis. Rex Nabogodonosor videns magnam statuam, cujus caput erat aureum, pectus & brachia argentea, venter & femora ex ære, tibiæ autem ferreæ, pedum autem pars qvædam terrea, qvædam futilis: Et abciſſus est de monte lapis sine manibus, & percussit statuam in pedibus ejus & comminuit eos. Tunc contrita sunt pariter ferrum, testa & argentum & aurum, & redacta qvasi in favillam istius areæ, qvæ rapta sunt vento, nullusque locus inventus est in eis. Lapis autem qvi percussit statuam factus est mons magnus. Hæc visio sic declaratur. Nam statua sive imago ex auro, argento, ære, ferro & testa fuerunt regna mundi. Nam majus regnum in toto orbe nobilissimum ac ditisimum fuit regnum Chaldæorum auro comparatum tempore Regis Nabogodonosor, & post eum suscitatum fuit regnum minus ut argentum, quando civitas Babylon destructa Reges Medorum regnabant toti orbi. Post hæc Alexander M. de Græciâ consurgens velut æs regnans, minus argento omnem terram subjugavit. Demum Romani Reges velut ferrum comminuerunt omnia regna mundi. Tunc scilicet illis Romanis regnantibus abscissus est lapis de monte sine manibus. [Et percussit statuam in pedibus ejus & comminuit eos.

Tunc

Tunc contrita ſunt pariter ferrum, teſta & argentum & aurum, & redacta quaſi in favillam iſtius areæ, qvæ rapta ſunt vento, nullusque locus inventus eſt in eis. Lapis autem qvi percuſſit ſtatuam factus eſt mons magnus. Hæc viſio ſic declaratur. Nam ſtatua ſive imago ex auro, argento, ære, ferro & teſta fuerunt regna mundi.] Chriſtus firmus ut lapis de monte, patre ſuperno ſine manibus abſciſſus de virgine ſine commixcione virili natus in terra omnia regna ſuperiora deſtruens per ſe ipſum docendo homines non hanc terram & terena caduca diligere, ſed ſe humiliare ſub manu omnipotentis Dei & per humilitatem aſcendere ad cœleſtem ſupernatam civitatem, cujus regni non erit finis. Hic terminatur in Chriſto qvinta ætas mundi, quæ continet annos quingentos ſeptuaginta qvinque.

CAP. VI.

CHriſtus Jeſus Dominus noſter Rex & ſacerdos utrumque hunc gladium cœleſtem & temporalem tempore ſuæ paſſionis poſtulavit; dicens: Qvi habet tunicam vendat eam, & emat ſibi gladium. Ubi tunc Apoſtolus Petrus ſucceſſor ejus in regno reſpondit, dicens: Ecce Domine, duo gladii, cui Dominus: Benè, ſufficit, hoc eſt duo gladii, Unus ſpiritualis ſpiritualibus perſonis, & alter gladius ſecularis ſecularibus committatur. Hos duos gladios ferunt ſacerdotes & Reges, & ſeculares Principes etiam habent gladium, qvamvis Temporalem à Deo ſibi commiſſum. Qvia omnis poteſtas à Deo eſt. Et Dominus Jeſus dixit Pilato. Non eſt tibi poteſtas in me, niſi deſuper eſſet tibi data; de qvo gladio Dominus tempore paſſionis ſuæ dixit, ſpiritualibus perſonis prohibens eo uti. Mitte gladium tuum in vagi-

vaginam. Nam qvi gladio pugnant, gladio peribunt. Hanc poteſtatem temporalis gladii, illi duo Conditores Romæ ſimul in ea pacificè nequiverunt poſſidere. Nam Romulus ut unicus Rector & Dominus illius novæ civitatis remaneret, fratrem ſuum Remum occidit. Et ſic origo Romanæ civitatis terrenæ incepit à Romulo. Qvi natus illegitimè, ut regnaret, fratrem proprium occidit. Illegitimus fratricida origo Imperatorum. Petrus Apoſtolus Piſcator pauper illiteratus, Spiritu Sancto illuſtratus, voluntariè pauper propter regnum cœlorum, hic in terra nihil habere volens, piſcator animarum ad cœleſtem civitatem caput Eccleſiæ. Ab his duobus capitibus Chriſtiana membra gubernantur, qvibus dolentibus dolent & membra ſua. Nam in primitiva Eccleſia poſt aſcenſionem Domini Petrus & Coapoſtoli ſui ubiqve terrarum in paupertate altiſſima & virtutum opibus regnum ſibi commiſſum Eccleſiam ſanctam congregationem fidelium in hac terra perregrinantem, ut ad cœleſtem civitatem perveniret, fideliter gubernabat. Et ê contra Principes Romanorum, caput terrenæ civitatis ſvaſu diabolico ſe ipſos & qvoscunqve poterant, ne ad regnum cœleſte pervenirent, inſtigabant. Ac Doctores cœleſtis vitæ & eis per fidem adhærentes diverſis tormentis trucidabant. Et Chriſtianum ritum & cultum unius veri Dei prohibebant. Quamvis multos & infinitos Deos coluerunt, tamen Chriſtum filium Dei vivi cœli non colebant, & hoc inſtigatione ſpiritus maligni prohibentis & invidentis ſalutem humani generis. Qvia ante tempora Chriſti tantus erat error hominum, qvod unum verum Deum creatorem cœli & terræ, quaſi totus mundus ignorabat, ac Chriſtum filium Dei eſſe, & crucifixum & tertia die reſurrexiſſe, ac humanum genus ſic redemiſſe pauci credere voluerunt. Et qvi crediderunt diverſis pœnis dilaniarentur. Ita alii fidem Chri-

Chriſtianorum recipere formidabant. Sed omnipotens Dominus ita dedit gratiam ſuis prædicatoribus per ſigna & miracula, ut qvando unus per tormenta urgebatur, Chriſtum negare, viſis ſignis & miraculis ibidem factis, aliquando decem millia ad fidem pervenerunt, & non tot poterant interfici propter Chriſtum, quin mille millia plures crediderunt. Et hæc rabies fidem deſtruendi Chriſtianorum à Principibus Romanis & in urbe Roma plus facta eſt. Et plures Martyres Romæ truncati ſunt, quam in univerſo orbe. Et à tempore Sancti Petri vicarii Chriſti, qvi primus in Roma, ubi erat caput ſuperbiæ & cultus ſimulacrorum, fuit Pontifex & caput Eccleſiæ usqve ad tempus S. Silveſtri Papæ inter qvos ſucceſſivè fuerunt XXX Apoſtolici. Et à Nerone Imperatore usqve ad Conſtantinum, qui ſanctos Petrum & Paulum Martyriſavit rexerunt imperium XXVIII. Imperatores, qvi qvaſi omnes Chriſtianum nomen exſtinguere molientes & à paſſione Domini usque ad idem tempus fluxerunt circiter trecenti viginti anni.

CAP. VII.

Hic Conſtantinus Imperator etiam Chriſtianum perſequens & ob vindictam percuſſus à Deo leproſus effectus eſt, ita quod nullus medicorum eum à tali infirmitate poterat ſanare. Et quando Deo placuit eccleſiam ſuam ſanctam pacare, & in tranqvillitate præſentis vitæ vivere hunc lapſum Imperatorem Conſtantinum, ſeqventi nocte ſanctis Apoſtolis Petro & Paulo ſibi apparentibus, ad Sylveſtrum virum Apoſtolicum Romanum Pontificem, in montibus & cavernis latitantem, miſit ſanandum. Qvo primum baptizato & poſtea ſanato à lepra, intelligens virtutem divinam, qva à lepra mundatus erat, & qvod durum

rum erat ſibi amplius Chriſtianum nomen impugnare, eo quod Chriſtum ſicut Paulus in baptiſmate vidit, virtute Spiritus Sancti ſtatim in alium virum à terreno in cœleſtem, à pagano in Chriſtianum verè mutatus eſt. Hæc mutatio dextræ excelſi. Hic Conſtantinus totius orbis unicus & præpotens Princeps & rector dedit mandatum Romanis, quod Chriſtus ſolum verus Deus adoraretur & coleretur. Secundo quod nemo Chriſtiano præſumeret injuriari ſub pœna bonorum ſuorum. Quarto ſicut ipſe fuerat caput Principum ſecularium, ita Papa Romanus omnium Clericorum diceretur Princeps. Qvinto quicunqve ad Eccleſias fugeret, deberet immunis remanere. Sexto quod nemo aliquam Eccleſiam auderet conſtruere niſi de Epiſcopi ſui licentia. Septimo qvod ædificatione Eccleſiarum decimæ regalium poſſeſſionum tribuantur. Poſtmodum idem Imperator Conſtantinus pro ædificatione Eccleſiarum S. Petri & Pauli ipſe primus duodecim Cophinos plenos terra de fundamento ipſorum exſtructa in ſuis ſcapulis portans foras ejecit. Et Romanæ Eccleſiæ dedit urbem Romanam cum tota Italiâ in poſſeſſionem & ſuum palatium in Laterano infra urbem conſtitutum, ni honorem S. Johannis Baptiſtæ dedit in Eccleſiam conſecrandum, ſicut & hodie conſecratum eſt. Ab iſto igitur tempore Eccleſia crevit in poſſeſſionibus multis ubiqve terrarum usqve in hodiernum diem, & ultra tranquilla & per amplius Apoſtolici & Eccleſiaſtici viri ditati ſunt multum nimis. Attamen Diabolus Eccleſiam Dei perſeqvi non ceſſans, hæreſes inter Chriſtianos veros & falſos multas induxit, per qvas ab ovili veri Paſtoris Chriſti Dei quam plures oves aberrare inſtigavit. Et ſicut per Martyrium ante Chriſti nomen negari mandavit, ita per hæreſes & ruinas Principum idem facere conabatur. Sed omnipotens Deus Chriſtus Jeſus caput Eccleſiæ membra ſua non deſerens

usqve

usqve ad finem mundi contra hæreticos & hæreſin remedium viros illuminatos Doctores Eccleſiæ ſanctos Auguſtinum, Nicolaum, Martinum, Ambroſium, Hieronymum, Johannem Chryſoſtomum, Gregorium, Benedictum & quamplures tales diabolo & hæreticis ſuis membris reſiſtentes vita ſancta & doctrina caſta Monaſteria inſtituentes, & vitam cœlibem in terra deducentes, nullum proprium in ſingulari poſſidentes, ſed omnia communia ſecundum regulam & vitam Apoſtolicam ſolum in genere ut ad uſum ſuum poſſidentes ac ſoli Deo famulantes. Et per iſtos Monaſticos viros & feminas diabolus per univerſum orbem fuit ſuffocatus, & ſucceſſivè à ſuperioribus partibus mundi ad inferiores partes fides Catholica per religioſos viros Deum diligentes eſt deducta. Nam ſanctus Petrus Apoſtolus eo adhuc vivente & in urbe Romana exiſtente habens etiam curam occidentalis plagæ ſcilicet Germaniæ miſit duos de diſcipulis ſuis ad Treverenſem civitatem ad prædicandum ibi verbum Dei. Et ſic propè Rhenum inhabitantes Germaniam, citius ad fidem Catholicam, quam Saxones & Weſtphali devenerunt. Quia ante tempora Imperatoris Caroli Magni qui regnavit Anno Domini octingenteſimo nullus prædicatorum legitur de Saxonibus Weſtphalis & Freſonibus aliquem ad fidem Chriſti convertiſſe. Quia Saxones duri & pertinaces qvaſi Saxum nuncupati ad fidem verbis prædicatorum flecti non poterant. Ideo Carolus Magnus eos gladio ad fidem coëgit. Nam legitur quod illo tempore Carolus propter fidem ſæpius contra Saxones dimicavit, tandem collecto exercitu magno in Martis urbe vulgariter Merſeborg caſtra metatus fuit, contra Saxones Weſtphali & Freſones ibidem ſibi obviantes, & in campo bellum exſpectantes ante aciem exercitus Caroli, Saxones viderunt in aere equites ignitos ignea tela contra ſe mittentes. Tunc inter

ter ſe dixerunt, Dii in cœlis & homines in terris ſunt contra nos, qvid amplius poterimus, niſi ut credamus & erimus ſubditi præceptis Chriſti, qui pugnat contra nos, & ſic Saxones fidem ſuſceperunt, in ea ſemper manentes. Sed Weſtphali à fide ſæpius declinaverunt, ideo idem Carolus eos in ſervitutem redegit, & plures Principes ac Epiſcopos in Weſtphalia mancipavit.

CAP. VIII.

SAXONES unde dicuntur veniſſe, reperi in quadam Chronica qvæ tempore ante Chriſti incarnationem, qvo Alexander M. in Græcia de Macedonia exiens, & in Aſiam, Mediam & Perſas veniens, eos ſuo imperio ſubjugare volens, ſicut ex permiſſione divina etiam perfecit, per Armeniam ubi Arca Noë requievit tranſiens, reperit in ea quandam gentem robuſtam, audacem & virilem, qvæ gens petrita ac petra dura propter animoſitatem vocata eſt. Hanc gentem ubicunque erat ſecum ducebat. Et propter gentis hujus bellicoſitatem, mutavit eis nomen petra in ſaxum propter duritiem eandem gentem Saxones vocitavit. Hæc gens propè mare inhabitare conſvevit; & Alexandro mortuo, qvi niſi duodecim annis regnavit, cum dicti Saxones propter Alexandrum multos offendiſſent, non audebant in ſua propria (patria) remanere, ſed cum omni ſupellectile uxoribus & filiis, trecentas naves gales (galeas) onuſtabant, & ſe mari occidentali tradebant, quærendo locum & terram habitationis faciendæ. Hæ naves vento flante præter triginta, omnes in mari perierunt, de quibus viginti naves venerunt in Pruciam eam ſubjugando. Aliquæ etiam in flumen Danubium, & in utroque litore circa ripas Albiæ inhabitantes vexabant, uſque ad montes Harticos in Thuringiam expellentes

tes

tes & ipſorum terram occupantes. Una tamen navis ex dictis navibus major & præcipua in qua nobiliores inerant, applicuit ad Egdoram vel Storam flumen, & ibidem anchoram fixit, & tentorium in terra prope navim erexit, & Thuringos vicinos circumcirca de navi vexabant, quod inhabitantes ibidem illis diebus adhuc erant ſine munitionibus & armis. Et illi de tali navi maximi fuerunt in armis periti, & navim pro caſtro retinebant. Qvare vicinis videbatur bonum cum illis hominibus bellicoſis pacem habere, & eis potius aliquid donandum quam pugnandum. Saxones autem conſiderantes ſe ſemper in ſumtibus & victualibus deficere, unus ex illis juvenis & animoſus, dixit conſodalibus ſuis. Cum iſtis hominibus nobis vicinis vivere pacificè erit ultimatim defectio, & mors noſtra. Nam ipſi in frugibus & animalibus augmentantur, nos autem de die in diem deficimus in eisdem. Propterea audite conſilium meum, vadam ad vicinos noſtros, rediens qvid volo & fecerim, dicam vobis. Ipſe vero omnem pretioſam margaritam, aurum & argentum, qvantum poterat ad collum ſuum poſuit. Thuringi vicini videntes hunc juvenem cum auro & argento incedentem dixerunt invicem, Qvid hoc ingens aurum & argentum in collo hujus famelici? Et appropinquantes Thuringi dixerunt; Vis vendere hoc aurum & argentum? Ipſe reſpondens dixit. Copiam auri & argenti & gemmarum magnam habemus, & ideo hujuſmodi vendere volo, ſed non niſi majoribus terræ. Cui unus de majoribus dixit; Qvid tibi pro hoc dabo? Saxo reſpondet dixi vobis prius. Magnam hujus copiam habemus, ideo pro nihil reputamus. Date mihi etiam exile quodcunque volueritis. Cui Turingi reſponderunt, ſi placet Tibi, dabimus Tibi arenam quantum portare poteris pro hoc auro & argento. Saxo reſpondet, ſum contentus, & ſic tradidit illis aurum

aurum & argentum pro tanta arenâ quam ferre poterat. Quam aſſumens in ſacculum reverſus fuit ad ſuos dicens; Nunc habemus propriam terram emptam ab hominibus nobis vicinis, illam ſpargere volo in terram ipſorum, & ſic erit communis nobis cum illis. Et cauſam habemus, ſi pecora ſua mittant in terram noſtram, pignorare ea. Quia pax vobis diuturna non valet, propter famem, qvam diu paſſi ſumus. Et idem Juvenis Saxo prope dictum flumen & ripas & paludes uberes dictam arenam in diviſis locis ſparſit. Et poſtmodum Thuringis intimavit, quod arenam pro auro & argento ab ipſis emptam in ipſorum terram ſparſit, & quod per amplius jumenta ſua, equos oves & boves & cetera pecora ſua cuſtodirent, & in terram emptam ſuam non venirent, alias pignorare ea vellent. Ita deinceps ſemper inimicitiæ fuerunt inter eos. Ad extremum Thuringi videntes, quod non poterant contra prædictos prævalere, conſilium inierunt Saxones dolo in placitis interficere velle, quod conſilium innotuit dicto Juveni qui ſuos aviſavit, ut arma abſcondita ad locum placiti ſecum apportarent, dans eis ſignum quando dixero, **Nemet juwe Saxen**/ tuncſi vitam & terram retinere velitis pro animalibus veſtris filiis & uxoribus, neminem ex eis vivere permittentes, viriliter pugnate. Et factum fuit ita Thuringis multis pluribus ad locum placiti venientibus & Saxonibus paucis ſed latenter armatis. Et cum dictus capitaneus hoc verbum pro interſigno protulerat, **Nemet juwe Saxen** ſtatim in Thuringos irruperunt occidentes & ita Terram Holſatiæ Ditmarſiæ & Stormariæ per amplius fugatis Thuringis retinebant in ſortem ſuam.

CAP. IX.

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 90;Leibn. Marg. 90, Stück 1, [514] - 14
PUBLIC DOMAIN

CAP. IX.

HIc Carolus Rex Franciæ, Regis Pippini filius, primus de domo & regno Franciæ Imperator poſtulatus, à Romanis & à papa Leone in adjutorium Eccleſiæ ſanctæ, antequam in Imperatorem fuit electus, conſenſit eisdem & in Longobardia apud Papiam obſeſſam cepit Regem Deſiderium nomine, & ſecum duxit captivum, quia bona Eccleſiæ vexabat. Nam Imperium à tempore Conſtantini Magni, qvi Papæ Sylveſtro & ſuis ſucceſſoribus dederat Romam & Italiam in poſſeſſionem, manſit in reſidentia apud Græcos, & fuerunt Imperatores juvare Eccleſiam valde difficiles de tam remotis partibus. Ideo translatum fuit Imperium de Græcis ad Francos per Carolum Magnum & aliquamdiu manſit apud Gallicos imperium ſcilicet per qvinqvaginta annos usque ad tempus Ludovici Secundi. Demum Gallici cum eſſent deſides in adjuvando Eccleſiam, Imperium translatum eſt ad Berengarium Regem Italiæ & manſit etiam apud eos, qvaſi quinquaginta annos. Hi Eccleſiam impugnabant, qvam defendere debebant, & ab eis regimen imperiale demptum & translatum ad Teutonicos, de quibus primus Imperator Otto vir nobilis & bonus. Item Secundus Otto & Tertius Otto. Et hi fuerunt defendentes Eccleſiam & manſit Imperium apud Germanos uſque in præſentem diem. Et Electores Imperatoris ſunt tres Archi-Epiſcopi, Colonienſis, Trevirenſis & Moguntinus, & tres Principes ſeculares Dux Saxoniæ Marſchalcus, Dux Bavariæ, & Marchio Brandeburgenſis. Et quando hi concordant vel major pars ex eis in aliqvem, talis erit Imperator. Si autem tres eligant unum, & tres alium, tum Rex Bohemiæ cum qua parte ſe adjunxerit, talis eſt electus. Et antequam à Papa

coro-

coronatus eſt, non ſcribitur neque dicitur Imperator, ſed Rex Romanorum appellatur. Duces autem de Louenburg non dicuntur proprie Duces Saxonum neque Electores Imperii, qvamvis aliquando hoc privilegium habebant. Tamen qvando ultimi Duces Saxonum Electores obierunt tempore Sigismundi Regis Romanorum, tunc Fridericus, Marchio Miſenenſis, datis centenis millibus florenis pro ducatu Wittenberg in feudum etiam adeptus eſt nomen dignitatis Ducis Saxoniæ ipſe cum progenie ſua. Et ſic à Saxonibus hæc dignitas eſt avulſa, quitamen ab antiqvo tempore nobiliores principes totius Teutonicæ fuerunt, qvando de domo Brunſwicenſi Duces Saxoniam habebant: Sed poſtmodum quando ipſi in Imperium fuerunt ſublimati, titulus Ducatus Saxoniæ ſucceſſive decrevit, propter diviſionem ipſius Ducatus in plures & multos Epiſcopatus in Saxonia, per Imperatores de novo creatos & erectos. Supra dictus Carolus Imperator, Saxones Weſtphalos & Friſones, cum gladio ſicut ſupra narratum eſt, fidei ſubjiciens, Epiſcopos in eis multos Viros ſanctos ad ſeminandum & prædicandum rudi populo verbum Dei de Monaſteriis extrahens in diœceſibus, per ipſum diviſis & dotatis inſtituit, præſertim in Bremenſi civitate ſanctum Wilhadum de Monaſterio aſſumtum Epiſcopum promovit. Et in Hamburgenſi civitate trans flumen Albiam Heredagum Sanctum virum Epiſcopum deſignavit, proponens eandem Hamburgenſem Eccleſiam cunctis Slavorum Danorumque gentibus metropolin elevare. Poſt cujus Caroli Chriſtianiſſimi Imperatorum obitum filius ejus Ludowicus ſucceſſit in regnum, qui paternis votis erga Dei cultum per omnia concordabat, & in Eccleſia Hamburgenſi viduata ſanctum virum Anſcharium de Corueie in Archi-Epiſcopum fecit conſecrari ſtatuens eandem civitatem metropolin Slavorum

vorum, Danorum, Svecorum, & ab illa Eccleſia etiam ſeminatum fuit verbum Dei in boreales partes. Tamen poſt obitum dicti Ludowici Imperatoris propter multa bella in Regno Franciæ exſurgentia, cum non erat Princeps Imperii diligens & exſeqvens cultum Dei, etiam ſeminatio verbi Dei ad tempora multa exinde ceſſavit. Hic ſanctus Anſcharius Bremenſem Eccleſiam & Hamburgenſem ſimul rexit, & prope Idzeho in terra Holſatiæ in Welna parvum oratorium in honorem ſancti Sixti, cujus caput ſemper ſecum deferebat, conſecravit. Ubi cum aliquibus monachis aliqvando propter ſecuritatem loci ad contemplandum ſolebat reſidere. Et legitur in legenda ſua, quod cum communiter in pane & aqua ſolebat carnem ſubjicere, ibidem una dierum aqua fuit in vinum converſa, & fons, ubi illa aqua extracta fuit, hodierno tempore dicitur fons ſanctus. Illis diebus Dani Barbari de terra ſua exeuntes totam Saxoniam vaſtaverunt, Freſiam depopulantes, ac etiam navibus Coloniam, Trajectum & Treveros incedebant. Nec non in Franciam intrantes etiam Pariſium obſidebant. Et in ea magnam partem obtinentes, quam Normanniam vocitabant, ex nomine patriæ ſuæ, attamen Deus miraculoſè centum millia Danorum à Chriſtianis interimi fecit. Poſt obitum S. Ancharii ſucceſſit ſanctus Reimbertus. Poſt hunc Allegarius. Deinde Hojerus. Demum Reinwardus Archi-Epiſcopus Bremenſis & Hamburgenſis ſimul, ex hoc Unni, Archi-Epiſcopus qvi iterum in Daniam & Gottiam verbum Dei de novo ſeminabat, & obiit anno Domini nonningenteſimo triceſimo ſexto.

CAP. XI.

ILlo tempore Conradus Dux Teutonicorum ad Imperium fuit ſublimatus. Nam ſtirps Caroli tunc fuerat finita. De-

Demum Henricus filius dicti Conradi eſt ſublimatus. Cujus filius Otto primus hoc nomine Imperator, qui Ungaris ſimul ut arena maris præ multitudine collectis ante Magdeburgenſem civitatem interfectis, in die ſancti Mauritii, & ob honorem ejus Eccleſiam illam cathedralem & Archi-Epiſcopalem erexit, & magnis divitiis decoravit. Tunc in Hamburgenſi Eccleſia Archi-Epiſcopus fuit Adalgagus, qui Epiſcopos in Dania conſecravit, & Danorum Regem Aroldum cum uxore baptizavit. Quia dictus Otto Imperator dictum Aroldum Regem in bello captum ad baptizandum conſtrinxit, & ſic tota Dania fidem Chriſti accepit. Demum hic glorioſus Otto ſe ad Slavos cum exercitu ſuo convertit, etiam ad ſuſcipiendam fidem Catholicam eos ſubjugavit, & prædictam Eccleſiam Magdeburgenſem ipſis Slavis metropolim ſublimavit. Eccleſiam Oldenburgenſem in terra Waynorum (Wagriorum) nunc Lubecenſem etiam erexit, & populum ad fidem gladio convertit. Huic Eccleſiæ dedit Epiſcopum Marconem ſecundum virum, cui etiam Sleſvicenſem civitatem, quæ alio nomine Haddeby dicta fuit, ad regendum in ſpiritualibus delegavit. Quæ civitas illis diebus ditiſſima fuit, & Romano Imperio ſubjecta cum provincia ſua à lacu Slye usqve ad Egdoram flumen habens terram fertilem ſed deſertam. Statim tamen poſt obitum dicti Imperatoris Ottonis, tam Dani quam Slavi receſſerunt omnes à fide Chriſti, circa annum Domini milleſimum. Et Dani fide depoſita cum Rege ſuo Swen cum navibus flumen Albiam intrantes omnem Saxoniam deſolabant, & ante Stadium Caſtrum fortiſſimum caſtra metantes, ſed tamen nutu Dei ex eis viginti millia hominum interfecti fuere. Circa idem tempus dictus Otto primus Imperator, qvi in abſentia ſua voluit etiam Saxoniam gubernari. Nam à tempore Caroli Magni non fuit princeps & Dux in Saxonia propter rebellionem

onem ejus, & ideo Imperio fuit ſolum ſubjecta, quapropter eam cuidam provido viro nomine Hermanno tanqvam Ducatum conceſſit in titulum, cui ſucceſſit filius ejus Benno. Huic Bennoni mortuo ſucceſſit Dux Bernardus filius ejus. Hic Henrico Imperatori rebellare auſus fuit, & Eccleſias defendere non curavit. Et reperto quod auſus fuit Imperatori contradicere, Slavi capta oportunitate omnes Eccleſiasin terris ſuis igne ſuccendebant, & presbyteros Martyrio trucidabant, & in Aldenburgenſi civitate & Eccleſia poſtmodum in Lubecenſem translata fuerunt ſexaginta presbyteri Martyrio coronati, iſto modo qvod cutis capitis in modum crucis aperta & cerebro extracto emiſerunt ſpiritum. Et apud Hamburgenſem ſimiliter multi de Clericis & civibus propter fidem torti, cæſi & occiſi. Et tunc in Aldenburgenſi Eccleſia Epiſcopus fuit Ezico, quo defuncto Volqvardus ſucceſſit ibidem. Poſt quem Reimbertus. In Hamburgenſi Eccleſia rexit tunc Adolgagus, cui ſucceſſit Libentius vir ſanctitate præclarus. Poſt hunc Unwanus de genere nobilium ortus. Qui Hamburgenſem Eccleſiam novam conſtruxit, & duodecim canonicos regulares in ea inſtituit, & in Aldenburgenſi Eccleſia mortuo Reinberto Bennonem de fratribus Hamburgenſis Eccleſiæ Epiſcopum ordinavit. Huic ſucceſſit Meinherus, qvi à Libentio ſecundo accepit benedictionem. Illis diebus quidam Gödſcalcus, Slavus natus ultra modum crudelis totam terram Nordalwingorum ſcilicet Holſatorum Dithmarſorum & Stormarorum ſtrage percuſſit, ita ut in omnibus finibus nihil indirectum remanſit, præter illa notiſſima præſidia Idzehoe & Rokclenborg (v.c.15.) Iſte idem Godſchalcus poſtmodum Deodante Chriſtianiſſimus Princeps factus eſt, & mille millia hominum ad fidem convertit. Hic habuit duos filios Henricum & Butue. Iterum poſt dicti Godſchalci mortem Eccleſi-

cleſia Hamburgenſis funditus à Slavis eſt deſtructa & quaſi omnes Holſati vel occiſi vel capti propter fidem chriſtianam, ſed Slavi hujus Godſchalci filios noluerunt habere regentes. Sed quendam Crito nomine ſublimabant in Principem, ideo filii Godſchalci oppoſiti ſunt Saxonibus quærentes ab eis defendi, & in patris poſſeſſionem deduci, & tunc in Saxonia fuit Dux Magnus nominatus, qui filio ſeniori Godſchalci Butue in auxilium Holſatos & Dithmarſos & Stormaros dedit. Et dictus Butue caſtrum Critonis fortiſſimum planè vacuum inventum cum ſexcentis robuſtiſſimis in poſſeſſionem cepit. Cui mulier una Teuthonica dixit, recede cito, undique laquei tibi ſunt poſiti & niſi ſtatim receſſeris morieris Tu & Tui, & tamen dictus Princeps Butue hæc non curans ibidem pernoctabat. De mane craſtina die dictus Crito & Slavorum paganorum innumerabilis multitudo Plone Caſtrum reobſedit, nec evadendi ſpes fuit, ſed omnes oportuit in Caſtro fame perire. Et cum diutius ſuſtinere famem non poſſent, dederunt ſe ad manus Critonis inimici Chriſti, qui omnes iſtos in ore gladii conſumſit. Junior filius nobilis viri Gotſchalci dictus Henricus, demum de Dacia rediens cum magna potentia & Critonem poſt multa certamina interfecit prope Plone, & uxorem ejus in matrimonium ſibi copulavit, cum qua Caſtrum Plone & terram Wagrorum in dotem recipiens Slavinam baptizari fecit, & ſic totam terram pacificè poſſedit.

CAP. XII.

MOrtuo Magno Duce Saxoniæ filios hæredes non habens ſed duas filias, quarum una data eſt Duci Bavariæ, à qua Henricus Leo poſtmodum Dux Bavariæ & Saxoniæ genitus fuit. Interim Imperator Ducatum Saxoniæ dedit

dedit Comiti Ludero, qui ſuo tempore ſatis benè rexit. In illis diebus contigit, quod Slavi de Aldenborg ante civitatem Hamburgenſem jumenta prædati ſunt, quos Godfridus Comes Holſatiæ de Hamborch cum paucis inſeqvebatur, qvo capto & capite ejus à Slavis illis paganis abſciſſo & ſecum deducto vacabat Comitia talis &c.

Tunc dictus Luderus Dux Saxoniæ Cometiã Holſatiæ ac Stormariæ nobili Viro Adolpho Comiti Schowenborch concesſit in feudum circa annum Domini milleſimum undeceneſimum decimum. Et ſic deinceps ſemper de illo ſanguine & domo Urſinorum referuntur habuiſſe & remanſiſſe tempore Julii Cæſaris, qvi Caſtrum Schowenborch fundavit. Et viſa eſt hic in patria Holſatiæ misſiva à nobiliſſimo & ſolemni Cardinal. Urſinenſi quæ data milleſimo qvædringeneſimo viceſimo ultimo Heinrico Comiti Holſatiæ directa, in qva Cõſanguineum ejus ipſum commendavit. Dictus Adolphus adeptus Cometiam ut Vir prudens habuit cum vicinis pacem, & præſertim cum Heinrico Principe Slavorum in Wagria, qui primo fundavit Civitatem & Caſtrum Lubeke in loco Swartow. Et etiam munivit Caſtrum Plone & Caſtrum Oldenborg cum civitate illa populoſa. Ac etiam demum diverſis victoriis à Slavis potitus, & ipſis attritis propter potentiam magnam & ſæpiſſimam victoriam, dicebatur hic Princeps Heinricus Rex Slavorum.

CAP. XIII.

CIrca idem tempus Sanctus Vicelinus, qui fuit in Eccleſia Bremenſi Scholaſticus & in Theologia diſertus, qui multas habuit divinas revelationes tempore juventutis ſuæ. Hic ſemper æſtuabat Barbaris Slavis propè Holſatiam demorantibus fidem Chriſti prædicare. Nam illis diebus tota terra

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 90;Leibn. Marg. 90, Stück 1, [521] - 21
PUBLIC DOMAIN

terra Wagrorum, ſcilicet Plone, Oldenborg, Lutkenborch & prope à flumine Egdora & à flumine Sale quod per villam Nigenmünſter tranſit uſque ad mare in Lübeke, in Kyl, & uſque in finem mundi verſus Aquilonem fides Chriſti in partibus illis nullibi habebatur. Et ſi aliquando habita fuerat, tamen quaſi per octoginta annos omnes à fide Chriſti declinabant. Hic Sanctus Vicelinus veſtem religioſam, qvam Canonici Bremenſes cum Regula S. Auguſtini abjiciebant, derelinquere nolens cum ſancto Viro Thetmaro Cantore Bremenſis Eccleſiæ partes Holſatiæ adiit, de juſſu & mandato reverendiſſimi Viri Domini Adeweronis Archi-Epiſcopi Bremenſis & Hamburgenſis villam Wippendorff alias Faldere, in qua capella lignea conſtructa fuit, & per longa tempora deſerta in poſſeſſionem recepit, ac ibidem monaſterium conſtrui fecit. A quo Nigenmünſter per amplius vocitatum fuit. Iſta cappella igitur prima fuit in tota Holſatia, & ibidem quamvis Chriſtiani eſſe dicebantur, tamen lucorum & fontium error, ac idololatria multiplex habebatur, & eò ſtrictius S. Vicelinus die noctuque vigilando orando & prædicando verbum Dei ſerviebat ſub veſte religioſa & regula ſancta. Et dedit Deus ſibi gratiam in conſpectu populi terræ, ut audita reſurrectione mortuorum, vita æterna poſt hanc vitam, ſubito mutati ſint omnem Idololatriam abjicientes, & ſoli uni vero Deo per amplius devoventes ut infinita plebis multitudo de Wagria, Plone, Oldenborch & de Holſatia Stormaria & Dithmarſia ad audiendum novum prædicatorem Verbi Dei vitæ æternæ illac advenit, recipiendo pœnitentiam peccatorum, & etiam multi venerabiles Viri Eccleſiaſtici & Clerici Sancto Vicelino in ordine regula & habitu & ſancta vita ſe copulabant. Acta ſunt hæc circa annum Domini milleſimum, centeſimum viceſimum quintum, regnante imperatore

re

re Ludero, qui Dux fuit Saxonum & mutato nomine dictus fuit Lotharius pius & juſtus & Ducatum Saxoniæ obtinuit Heinricus Leo Dux Bavariæ. Sanctus autem Vicelinus cui non ſolum fuit curæ ſuam propriam Parochiam Nigenmünſter & terram prope exiſtentem Holſatiam, ſed etiam terram Slavorum Wagriam, Oldenborch, Lutkenborch, Lubeke, Plone & circumadjacentes partes ad fidem Chriſti convertere. Primum in antiquam Lubeke in Swartow ſitam verbum Dei ſeminando, perſeipſum etiam illac ſacerdotes de ſuo monaſterio in Faldere erecto conſtituit ſanctos Viros Ludolphum & Wolchardum, qui ſalutem populi procurarent. Tamen ob Barbarorum furiam non diu poſt urbem antiqvam Lubeke cum caſtro deſtruentes ante dicti ſacerdotes Dei Faldere novum monaſterium reviſerunt. Nam quotiens S. Vicelinus quaſi per 30. annos verbum Dei Barbaris Slavis prædicare cœpit, & aliquando per unum annum, aliquando per duos vel tres in Wagria, Lubeke, Oldenborch & circumjacentem terram fides pullulavit, tamen totiens à fide cœpta Slavi apoſtataverunt. Et aliquando etiam novum monaſterium in Faldera devaſtabant, quorum furorem S. Vicelinus cum ſuis declinare volens ad reſervandum perſonas notabiliores & ornamenta Eccleſiæ & libros, habuit Eccleſiam Biſchorſt in palude Haſeldorff in refugium. Ubi etiam oratorium habebat ad exorandum auxilium divinum.

CAP. XIV.

CIrca idem tempus Adolphus Comes obiit circa annum Domini milleſimum centeſimum, triceſimum primum, relinquens poſt ſe heredem filium etiam Adolphum nomine, virum literatum prudentem & ſtrenuum, qui Theutoni-

1131

tonicæ Latinæ & Slavicæ linguarum fuit peritus. Hic per tempora sua optimè gubernavit terram Holsatiæ & Stormarorum. Demum S. Vicelinus videns nihil posse proficere in spiritualibus nisi barbarorum Slavorum populus valida manu per vim Principum secularium deprimeretur, adiit Cæsarem Lotharium virum cultus Dei diligentem in Bardewick, ibique sibi revelavit esse in terra Wagrorum montem perexcelsum, super quem si castrum fundaretur quod exinde Slavi ad fidem compelli possent. Et Imperator illuc accedens etiam inveniens, castrum desuper construi fecit satis forte anno Domini milesimo, centesimo tricesimo quarto. Qvod Slavi videntes dixerunt ad se invicem. Qvis proditor hujus montis apud Cæsarem fuit? Et unus ex eis dixit, quod parvus homo & despectus Vicelinus propter verbum Dei hoc procurasset. Et Cæsar huic monti ob victoriam nominis Christiani dedit nomen victorialis mons vulgariter Segeberg. At etiam ad inductionem S. Vicelini sub monte Ecclesiam & monasterium fundavit, cui sex villas contulit, fratribus in stipendium de propè adjacentes. S. Vicelinus de Novo monasterio fratres ibidem ad serviendum Deo ad plantandam Ecclesiam in Wagria collocavit cum ornamentis, libris & clenodiis necessariis pro usu suo. Et Dithmarum Cantorem Ecclesiæ Bremensis suum constudentem illis præposuit ad regendum. Atque in Lubeke iterum Ludolphum, Brunonem ac Hermannum ad verbum Dei prædicandum destinavit. Imperator vero Lotharius in profectione Italica immatura morte circa annum Domini millesimum centesimum tricesimum septimum præventus est, ejusque corpus deductum fuit in Saxoniam in Lutteram ex nomine suo monasterium prope Brunswig fuit tumulatum. Qvo mortuo iterum Slavi in Lubeke à via veritatis declinantes suburbium ante castrum Sege-

Segeberg cum novo oratorio igne conſumebant. Iterum Sacerdotes Dei de Lubeke & Segeberg ad Falderam Novum Monaſterium jam ſæpius emiſſum, incrementum ſatore Diabolo habere non poterat, gravi mœſtitia confectiſunt, ideoque fidelius ſe Deo commendabant in jejuniis & orationibus die noctuque orare prò novilla Eccleſia non ceſſantes. Nam tanta fuit in Falderenſi Monaſterio virtuoſa vita fratrum, quod verbo explicari non poteſt. Infirmi illuc devenientes ſanabantur, dæmones ab obſeſſis ejiciebantur clamantes igne virorum ſanctorum uri.

Adolphus verò Comes ſecundus circa annum Domini milleſimum centeſimum triceſimum nonum caſtrum Segeberg muro cinxit, ac ſuburbium & oratorium de novo conſtrui fecit, iterum remiſſis de Falderâ Presbyteris ac clenodiis pro uſu cultus Dei neceſſariis. Ac etiam miſit Legatos ad Flandriam, Hollandiam, Trajectum, Weſtphaliam & Friſiam, faciens proclamari, quod quicunque agrorum penuriâ arctarentur, venirent in terram ſuam ſpatioſam & fertilem in terra Wagrorum olim Slavorum exinde expulſorum. Et præcipue Holſatis atque Stormaris dixit, quod ipſi in eligendo quamcunque partem habere vellent, eo quod ſangvine parentum ſuorum eam mercati fuiſſent, præferri deberent. Et dedit Holſatis terram a Bornchovede usqve Segeberg & Polonenzee. Weſtphalis dedit ſolum Dargardenſem. Hollandrinis Uthinenſem, & Freſis dedit Susle, Aldenborch, Lutkenborch & circa mare terras adjacentes dedit Slavis, faciens eos ſibi per amplius tributarios fieri usqve in iſtum diem.

(D.) CAP. XV.

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 90;Leibn. Marg. 90, Stück 1, [525] - 25
PUBLIC DOMAIN

CAP. XV.

Incipit Continuatio HELMOLDI,

Ab anno Domini CIↃ CLXIV usque ad annum CIↃ CCCCXLVIII.

IN nomine Domini Amen. Ad complementum Chronicæ, quam piæ recordationis frater Helmoldus divinorum Rector in Boſoaw ſancti Vicelini diſcipulus tempore ſuo de Holſatorum Principibus & vicinis eorum fideliter compoſuerat. Quidam enim Presbyter Bremenſis Diœceſis hujus patriæ ſcriba, ex relatione veridicâ quæ ſibi occurrebant, dignum duxit apponendum. Nam ab anno Domini milleſimo centeſimo ſexageſimo quarto, quando tertius Adolphus Comes Holſatiæ de Schowenborg propter fidem Chriſtianam à paganis Slavis propè Demmyn in bello interfectus fuit, ſcriptores Chronicarum propter deſidiam & torporem ſcribere debentium usque ad tempora præſentia, videlicet ad annum Domini milleſimum quadringenteſimum quadrageſimum octavum perpauca demonſtrantur. Nam ut idem frater Helmoldus circa finem Chronicæ ſuæ narrat, quod poſt obitum & Martyrium felicis Adolphi Comitis tertii uxor ejus vidua cum tenello filio ſuo Cometiam Holſatiæ Sturmariæ & Wagriæ retinuit gubernandam. Cui tamen Henricus Leo Dux cognominatus, Bavariæ & Saxoniæ gubernator, à quo Cometia Holſatia illis diebus concedebatur in feudum, ad regendam dictam cometiam qvendam Henricum Comitem de Thuringia nobilem virum & bellicoſum dicti pueri avunculum præfecit tuto-

tutorem. A quibus ſcilicet Henrico Duce Saxoniæ & Henrico Comite Thuringiæ multi poſtmodum Comites Holſatiæ Henricus ſunt vocati. Illis diebus Dithmarſi Principem ſuum proprium Dominum Rodolphum Marchionem Comitem in Caſtro Bokelenborch (v. c. 11.) in Ditmarſia interfecerunt, & uxorem ejus Wawurgem abſciſſis nare & auriculis in flumen prope caſtrum projecerunt, quod flumen ab ejus nomine Wawurgeſowe nuncupatur. A cujus principis nece dictus Henricus Leo Dux Saxoniæ & Bavariæ terram Dithmarſiorum armata manu intravit & ſubjugavit, ita etiam quod fecit eos cenſuales ad dandum ſingulis annis triticum, ſiliginem oves & ſimilia. Quem cenſum illi de Suderhorſtede, Sudervelle & Norderherſtede & præcipue habitationes in ſiccâ terra dederunt ad longa tempora ad Caſtrum Hanrove ultra ducentos annos usque ad tempus, quod Dux Gerhardus Comes Holſatiæ cum multis à Dithmaricis in Suderhammen fuit interfectus. Idem etiam Princeps Henricus Leo Dux Saxoniæ & Bavariæ dedit Abbatiæ Beatæ Mariæ Virginis in Stadis extra murum villam Lenderen apud Sallingſteden Bockwolde & Sylvam Borcholte & antiquum Herpe apud Meldorpe. Sed Dithmartici, Abbate dicti monaſterii ab eis interfecto, iſtis villis aliis nominibus nominatis receſſerunt à cenſu prænotato, etiam ſolvere nolentes. Facta autem hæc fuerunt circa annum Domini milleſimum centeſimum ſexageſimum primum. Idem etiam Dux Saxoniæ poſt triumphum totam terram Dithmartiæ his demptis Archi-Epiſcopo Bremenſi, cui abſtulerat etiam Stadium Caſtrum, ceſſit vice verſa. Unde Dithmartici ab illo tempore alium Dominum temporalem qvam Archi. Epiſcopum Bremenſem habere non volebant. Nam anno Domini milleſimo quadringenteſimo viceſimo Sigismundus Romanorum Rex ab ipſis Dithmarticis tan-

in archivo dedit diploma, quo huius rei et expeditionis mentio spe[illegible]

tanquam Imperio ſubditis cenſum poſtulabat. Sed Archi-Epiſcopus Bremenſis Johannes Slameſtorp pro eis Regi Romanorum tanquam pro ſubditis ſuis, & ſibi tanquam vero Domino annum cenſum ſolventibus & quod in terra eorum ſuos Judices advocatos ſemper haberet, literis ſuis intimabat. Quare dictus Rex Romanorũ ab hujusmodi cenſus petitione ceſſabat. Attamen Dithmarici Archi-Epiſcopum Bremenſem ut verum Dominum non cognoſcebant, ſed quod tunc in ſubdium ſuum, ad fugiendam Imperatoris iram cognoſcebant cauteloſe fecerunt, & Archi-Epiſcopo omnia jura ſua in terra ipſorum exiſtentia reſtituere promiſerunt. De quibus nihil fuit proſecutum. Nam naufragium paſſus ac terra ipſorum trans Albeam, item trans Egdoram item in Inſulam Totel in Albea jacentem, unde multum fœnum annuatim procurant. Item ſtagnum Cuddenſee, & Sylvam Borcholte cum quinque advocatis & jurisdictione illorum, & quicquid illis annuatim poſſet devenire, & ſe ipſos peramplius Eccleſiæ Bremenſi à qua receſſerant, obedientes in omnibus procul dubio reſtituere promiſerunt, tamen habita voluntate ſua nihil poſtea ſervaverunt. Dictusque Henricus Leo Dux Saxoniæ & Bavariæ poſt multiplicem victoriam contra Slavos, quos gladio & frequenti pugna Catholicæ fidei ſubjecit.

Nam Slavi tunc increduli infideles, quotiens à fide Catholica apoſtatantes totiens per Principes Saxoniæ ad fidem ſunt gladio ſubjugati; Quibus & terris eorum ſubjectis pax facta eſt firma in omni terra, tam in Dacia, Slavia & Holſatia. Nam idem Dux Henricus Waldemarum Regem Daniæ reduxit in regnum ſuum. Ideo inter Regem & Ducem fuit magna fiducia exorta, ita quod Dux dedit filiam ſuam filio Regis Daciæ in perpetuæ fœderationis ſignum. Propterea viventibus Rege & Duce & ſubjugatis Slavis fuit undi-

undique pax tam in terra quam in mari. Et Slavi non audebant vires reſumere rebellandi, quoniam terra latiſſima quondam erat. Nam à flumine Egdora quæ eſt finis Regni Daciæ, erat initium Slaviæ Niwenmunſter, Kyl, Lutkenborg, Segeberg, Oldenborg, Imbria, Lubeke, Swerin & ſic ad Orientem aſcendendo usque ad Pruziam. Et per Marchiam Brandenborg, Mytzen, Bohemiam, Moravos & Polonos Slavia antiquitus extenſa fuit. Et tres nationes ſcilicet Sturmaria, Dithmaria & Holſatia Nordalwingi ultra Albeam Saxones fuerant vocitati. Quæ nationes totius longe ante Slaviam à ſancto Anschario Archi-Epiſcopo Hamburgenſi receperunt verbum Dei, & ſub fide Catholica quamvis non benè fundata totali doctrina, usque ad tempora ſancti Vicelini qui poſtquam Eccleſiam Novum Monaſterium in Faldera ſive Vorpendorpe fundaverat in finibus Slaviæ & Holſatiæ. Idem S. Vicelinus primo ſuos totaliter ad fidem convertit. Demum operam dedit Domino operante Slavos vicinos ad fidem convertendo in Luke primam Eccleſiam fundando ſancti Johannis in arena & ibidem verbum Dei & circumquaque prædicando. Poſt cujus obitum dictus Henricus Leo Dux Saxoniæ & Brunſvicenſis Cathedralem Eccleſiam de Oldenborch tranſtulit in Lubecenſem civitatem, eo quod hanc civitatem ab Adolpho Comite Holſatiæ, qui eam primo conſtruxerat, & caſtrum quod nunc Borch Monaſterium fratrum prædicatorum dicitur pro munitione civitatis erexerat, prece & vi retinuerat, dictæ civitatis incolis, *jus municipale à ſpeculo Saxonum extractum*, quod etiam adhuc habent, & liberatem navigantibus dedit copioſe.

CAP. XVI.

POſt cujus nobilis Principis Ducis obitum circa annum Domini milleſimum centeſimum ſeptuageſimum quartum, qvi etiam Dux erat & propugnator terræ Holſatiæ dicti Waldemari Regis Daciæ filius, eo quod pater ſuus in terra Slavorum armata manu terram Rugianorum obtinuerat, prætendebat etiam confinia regni Daciæ videlicet civitatem Lubeke & terram Holſatiæ ſubjugare, eò quod Adolphus adoleſcens tenellus filius Adolphi comitis interfecti hæres terræ Holſatiæ erat. Illis diebus mortuo rege qvædam mulier dicta nigra Margarita Regina Daciæ ſceptrum & diadema, Regem opera fideliter agens, ſuſcepit, terram Holſatiæ hoſtiliter invadendo caſtrum Gottorpe munivit, & anfieri procuravit. Incipiens à flumine Slige uſque ad Freſiam procedendo, miro & ineffabili opere terram Daciæ ab Almanis concludendo. Hæc regina cum filio ſuo Rege Kanuto obſedit Hamborch navigio & aquam Albeam longis palis ex utraque parte ripæ conſtringens in medio fluminis profundi catenam longam pro clauſura affixit. Dicitur etiam quando ante caſtrum Idzeho & oppidum cum magno exercitu caſtra metata fuit, & ſequenti die nativitatis Mariæ virginis flumen Store ponte facto & aggere intrare caſtrum & trans torrentem flumen ire in paludem prætendens una & eadem die contra naturalem curſum dictum flumen Store bis ultra ſolitum aſcendendo effluxit. Ita quod pons & agger per flumen ſunt effracti, & ſic opus ejus & inceptum derelictum. Et tunc imago beatæ Virginis viſa eſt ſuper caſtrum. Qvare incolæ dicti oppidi & caſtellani ſequentem diem nativitatis beatæ virginis ob memoriam hujus & liberati-

rationem ſuam devoverunt continuè ſingulis annis ſolenniter celebrare. Et obinde nomen hujus diei etiam, hodie dicitur civium dies, vulgariter Borgerdach. Etiam caſtrum Segeberg obſedit, & ante illud parvos colliculos & deſuper munitiones ſicut hodie apparet, fieri fecit, & tandem caſtrum pro ſua voluntate retinebat. In quo caſtro ſuum poſuit Advocatum & capitaneum terræ Holſatiæ quam ſibi ſubegerat uſque ad caſtrum Idzehoë & flumen Store & paludem ab aliâ parte jacentem, in qua palude multi de Holſatis nobilibus propter tutum locum timentes Danorum potentiam, neque Danis ſubjici volentes ſe locavere. Volebant enim Dani ſicut cœperant totam terram Holſatiæ ſubjicere ſibi & legibus ſuis. Ita ut Lex Holſatorum in jus vulgare extingueretur in toto. Et quod deinceps ſecundum legem & librum Danorum Lœbock deberet judicari. Super quo Holzatenſes Danis ſubjecti ſunt, multum conqueſti quod legibus ſuis ſolitis ab antiquo deberent privari, Et nova incognita uti, ita etiam quod remurmurare contra capitaneum in caſtro Segeberge poſitum inceperunt. Quando aliam legem & aliud jus quam ſuum ſolitum imponere niſus fuit, dicentes uti lege ſua velle Holzatenſi. Ad quos idem Capitaneus reſpondit. Oſtendatis mihi jus veſtrum, & ego ſecundum illud dijudicabo vos. Nam dixit ex proprio capite fingitis jus veſtrum. Noſtrum autem Danorum eſt jus præſcriptum ſecundum ſcripturas: ſcio vos & me regere, veſtrum jus neſcio quia non ſcriptum eſt, divinare non valeo. Oportet ut canem adducam, qvi jus veſtrum latrabit. Deliberetis igitur qvale jus habere volueritis, & mihi certa die jus veſtrum edicatis. Illis diebus non erat Princeps in terra Holſatiæ, ſed dicitur quod fuit qvædam nobilis Domina in palude Crempis juxta Idzehoë in Caſtro Kellingdorpe, nomine Domina Deeſtz de Kellingdorpe. Hæc tran-

tranſtulit ſe ad Dominum Comitem Schowenburgenſem, & petiit ab eo ſibi & terræ Holſatiæ & hæredem cum gaudio magno reportavit. In cujus adventum Holſatis in paludem Itzeho, & etiam ſub dominio Danorum poſitis exultatio, & lætitia exorta eſt. Tunc Holſati conglobati hinc inde reverſi & Capitaneum & Advocatum prope Segeberge petentes iterum jus ſibi Holtzatenſe miniſtrari, reſpondens eis dixit. Quale jus elegiſtis habere in patria veſtra? Tunc exprimis & majoribus & nobilibus Holtzatenſes extractô gladio vibrante imperterrita voce clamabant, jus noſtrum ſolitum ab antiqvo retinere volumus, & gladiô tueri, à quo facto vulgare verbum poſtmodum in Holſatiâ dicebatur & hodie adhuc dicitur: Jus noſtrum gladio defendimus. Unde dictus Capitaneus videns Holtzatorum tam præſumptam audaciam inſolitam, neſciens quod aliud caput novum Domini & Principem ſuper ſe ſtatuerunt, timens in fugam ſe vertit. Et ipſi Holtzatenſes ipſum interfecerunt. Subſequentes exinde Holſati erecto capite & educto Domino ſuo Adolpho Comite de Schowenborg in publicum adhuc adoleſcente ſe & patriam ſuam reſumptis priſtinis viribus adjutorio divino ſubſecuto & gladio magnanimiter defendebant, Danos ſucceſſive de finibus ſuis expellentes. Nam omnipotens & miſericors Deus non ſinit afflictum ſemper affligi, ſed aliquando dat reſpiramen. Ita & illis diebus Holtzatis per Danos tribulatis dedit conſolationem, & ſuſcitavit propugnatorem dictum Comitem Adolphum, alterum Judam Macchabæum. Nam ut Judas divino fultus ſubſidio, ſuperbum Regem Antiochum legem Judaicam deſtruentem devicit, ita & hic Comes Adolphus Canutum Regem Daciæ jus Holzatenſe vi ſupprimere nitentem enervavit, dictusque Canutus Rex Daciæ poſt obitum matris ſuæ Nigræ Margaritæ magnam partem Holtzatiæ terræ vi

deſti-

detinens civitatem Hamborg à longo tempore obſedit. E-converſo dictus Comes Adolphus contra præpotentem Regem Daciæ pro victoria obtinenda Deum cœli ſupplex orabat. Et regem Hamborg obſidentem acceſſit, eumque cum ſuis exinde infugam convertit, multis de Danis interfectis nobilem & antiqvam civitatem in priſtinam duxit libertatem. Hoc initium victoriæ dedit ſibi Deus cœli Anno Domini milleſimo, centeſimo, nonageſimo nonô. Attamen dictus Canutus Rex cum Danis à perſecutione non ceſſans, non ſolum terram Holſatiæ, ſed etiam civitatem Lubeke vexabat terra marique. Nam ut ante dictum eſt, dictam civitatem Lubeck primo Adolphus Comes, poſtmodum illuſtris Dux Henricus Saxoniæ & Bavariæ fundaverant. Poſt quorum obitum Rex Daciæ Kanutus non contentus regno ſuo hanc civitatem Holtzatiam & Hamborg cum Dithmaricis ſimul habere volebat. Nam de regno ſuo, cujus limes fuit in Egdora ante Rendesborg nunc nominatum per Freſiam, quæ tota ſpectabat ad regnum, intravit Dithmarciam, quibus evictis cum ipſis Dithmaricis init per Holtzatiam usque in Bornchovede, in via omnia ſubjugando. Ubi dictus Comes Adolphus cum Holtzatis & Lubecenſibus dicto regi occurrens hinc inde caſtris ordinatis & vexillis erectis, Ditmarticorum in fine exercitus Regis exiſtentium clypeis ſubverſis Holtzatis in ſubſidium magno fuſo ſangvine ex utraque parte & Danis quam plurimis interfectis Deus cœli dicto Adolpho dedit triumphum & Regem vicit & cœpit anno Domini milleſimo, ducenteſimo, duodecimo pro quo triumpho ſit Deus ſemper benedictus Amen.

(E.) CAP. XVII.

CAP. XVII.

NArratur ſupra de Dithmarticorum clypeis ſubverſis vel converſis: dicitur communiter quod quando Dithmartici à dicto Rege fuerant ſubjugati, quod miſerunt certos ſuos nuncios ad Adolphum Comitem nunciantes ſibi quod Rex fuit propoſiti, ſicut illarum terram & ipſos ſupeditaſſet & tributarios regni Daciæ feciſſet, ita vellet & Holtzatos eorumque hereditatem poſſidere. Attamen intellexiſſent, quod comes vellet, quando poſſet ſe tueri. Unde ſi ita contingeret, quod ad bellum ſimul convenirent Rex & Comes, ipſi Dithmartici cum eſſent in extremitate Caſtrorum Regis poſiti & congreſſu belli ipſi à tergo Regem & Danos vellent fortiter percutere. Cum Holtzati ab acie Caſtrorum bellum inciperent peragere, & hoc pro interſigno ſi ſimul contra Holtatos inopinatè venirent, quod eorum clypei invenirentur retroverſi, ſcilicet quod acutum clypeorum eorum inferius ponendum ſecundum communem modum ordine è converſo ſuperius ponere vellent. Hac tamen conditione appoſita ſi Comes Adolphus & Holzati victores fuerint ipſi Ditmarici priſtina vellent frui libertate. Et ita Comes Adolphus ſpopondit & ſervavit. Dictusque Adolphus Comes ob victoriam obtinendam Deo vovit, quod ſi daret ſibi contra Regem triumphum, ordinem S. Franciſci fratrum minorum intrare vellet, conditione appoſita, datis ſibi hæredibus à Deo & ipſis terram regere valentibus votum ſuum perficere vellet. Nam circa idem tempus ſcil. milleſimo ducenteſimo ſexto, hi duo ordines ſcil. fratrum prædicatorum & fratrum minorum in Eccleſia Dei originem ceperunt. Nam Eccleſia Dei illis diebus ab hæreticis multipliciter vexabatur, & cultus divinus per Italiam diminu-

tus

tus erat. Ideo Deus hos ordines contra hæreticos & ad augendum cultum ſuum ordinavit, & habitis & datis ſibi à Deo duobus filiis & hæredibus ſcilicet Comitibus Joanne & Gerardo ipſisque adultis & terram gubernare valentibus, dictus Comes Adolphus Deo cœli votum ſuum adimplendo ordinem fratrum minorum in Monaſterio civitatis Hamburgenſis ab ipſo fundato cum duobus ſuis militibus dictis de Gikow humiliter & devotè Deo ſub regula & obedientia intravit ſerviturus. Factus autem frater minor curiam Apoſtolicam ad videndum Dominum Papam & ad ſecum diſpenſandum ſolerter intravit, ubi tunc Dominus Papa ad recipiendum ordines ſacros, & Presbyteratum ſecum miſericorditer diſpenſavit, & unum ordinem ſacrum à dicto Domino Papa met recepit, ac in eadem via ad S. Franciſcum fundatorem ordinis ad videndum, ad colloquendum & conſiliandum tam ad S. Virum ſe tranſtulit multum devotè. A quo ſine dubiè ſancto Viro benignè eſt receptus, in caritate firmatus, verba conſolatoria ſecum ſine fallo reportando. Et anno Domini milleſimo ducenteſimo qvadrageſimo quarto in civitate Hamborgenſi ſuam primam miſſam decantavit. O mutatio dextræ excelſi, qui primo miles terrenus fuit, Regem Daciæ Kanutum Magnum tyrannum de ſuo territorio vim vi repellendo expulit, nunc miles ſupercœleſtis Regem inferorum tyrannum maximum diabolum pedibus propriis ſubſtravit, & evicit non gladio ſed lacrymis & humilitate. Nam dicitur de eo quod pio qvæſtu eleemoſynarum pro butyro & lacte cum amphora ut alter frater de conventu ire ſolebat. Et contingebat, qvod in oppido Kilone, ubi etiam Monaſterium fundaverat ipſo exiſtente in platea cum amphora plena lacte in manu tenente, & filiis ſuis comitibus cum magna ſequela per dictum oppidum & plateam equitantibus, ipſe obviam filiis veniens amphoram

cum lacte tegere præ verecundia vellet, ſed ſpiritu fortitudinis roboratus per rationem ſenſualitatem vincens, lac de amphora ſuper ſuum caput effudit, per totum dicens intra ſe, miſera caro noluiſti portare lac in amphora niſi verecundabaris, nunc porta ſuper caput ut confundaris, memor dicti Apoſtoli dicentis; Nos ſpectaculum facti ſumus Deo & hominibus, & vixit in ordine annis quatuordecim, & anno Domini milleſimo ducenteſimo ſexageſimo primo obiit in Domino feliciter & conventu fratrum in Kilone in humo ſepultus. Hic Comes Adolphus fundavit Eccleſiam Nigenkerke in terra Oldenborch in honorem S. Antonii ſui ordinis fratris minoris, non illius Magni Antonii ſancti, qvamvis plures putant illum eſſe patronum, & etiam ejus imaginem in Eccleſia prædicta habent, ſed non eſt ita. Et debet imago ejus eſſe fratris minoris. Idem hic Adolphus viſitavit una cum aliis Prælatis fratres in Monaſterio novo ſuper ſororibus rejiciendis à ſe. Hic etiam dedit oppidanis in Idzehoë privilegium habendi jus Lubecenſe. Et liberavit illud oppidum in paſcuis & ſylvis anno Domini milleſimo ducenteſimo triceſimo octavo. Et eſt veriſimiliter credendum, quod caſtrum in Kyl & oppidum conſtrui fecit. Et oppidanos per terram Holtzatiæ ſcilicet in Plone, Oldenborch & in Kylone liberaſſe à Jure Holtzatiorum & faviſſe eis jus Lubecenſe, eo ut eorum oppida citius munirentur propter libertatem fori & filii dicti Adolphi ſcilicet Johannes & Gerhardus eadem privilegia oppidanis in Idzehoë, Kylone & cæteris data rata habentes confirmarunt, anno Domini milleſimo ducenteſimo ſexageſimo.

CAP. XVIII.

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 90;Leibn. Marg. 90, Stück 1, [536] - 36
PUBLIC DOMAIN

CAP. XVIII.

HI duo Comites Johannes & Gerhardus in Loheide etiam contra Danos commiſerunt bellum magnum in die Pantaleonis & vicerunt Danos auxilio divino anno Domini milleſimo ducenteſimo ſexageſimo primo. Hi duo Comites Johannes & Gerhardus diviſerunt terram & hereditatem paternam. Nam ſenior Johannes Comes recepit in partem ſuam Wagriæ ſcilicet Kyl, Lutkenborch, Oldenborch, Niegeſtad, Plon, Oldeslo, Trittow & Segeberge, ac partem in palude usque ad Albeam. Alter autem frater Comes Gerardus ut junior minorem partem recepit, ſcilicet terram Holtzatiæ, Idzeho paludem Wilſtriæ, Hanrowe, Rendesborch & attinentia illorum. Propter hanc indiſcretam diviſionem, qvia ſenior quaſi duplum recepit fuerunt hi fratres facti inimici. Et Gerardus contra fratrem ſuum Johannem ante oppidum Kyl caſtra metatus fuit cum adjutorio Alberti Ducis Brunſvicenſis & civitatis Lubecenſis ſed nihil ibi proficientes ſine fructu revertuntur. Et ideo dictus Comes Kylonenſibus dedit multa privilegia & libertatem in foro, in terra & in aquis. Comes Johannes genuit multos filios, qvi poſt obitum patris in parte hæreditatis ſuæ diviſerunt terram Wagriæ. Nam alius in Kyl, alius in Segeberg, alius in Oldeslo, alius in Bramhorſt domicilium habebat. Et habuit etiam in uxorem Reginam Daciæ, quæ mater fuit Regis Chriſtophori. A qua genuit Johannem filium largum Comitem, Comes autem Gerardus genuit Henricum Comitem filium ſuum. Qui Henricus impoſuit Hamburgenſibus telonium ſolvendum ſibi & hæredibus ſuis. Hic etiam Henricus fundavit in Webna vicariam pro confraternitate Calendarum bis in anno congreganda. Anno Domini milleſimo, triceſimo tertio. Hic Henricus filios habuit hæredes Gisber-

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 90;Leibn. Marg. 90, Stück 1, [537] - 37
PUBLIC DOMAIN

bertum Archi-Epiſcopum Bremenſem, qvi turrim rotundam in Rendesborg fratri dedit, item magnum Gerardum Comitem & Johannem fratrem ejus. Hic etiam filiam dedit Duci Sleswicenſi. A qua filia natus fuit Dux Woldemarus poſteà nominatus Rex Daciæ qui caſtrum Gottorpe Gerardo Comiti ſuo avunculo impignoravit poſtmodum. Inter hunc magnum Gerhardum Comitem ex una parte, & Comites Wagriæ fuit magna controverſia mota. Qvoniam in terra Wagriæ multi fuerunt Comites, & præ multitudine non poterant ſine rapina & injuria ſubditorum vitam ſuam ſine penuria deducere cum pace. Nam Adolphus Comes in Segeberge miſit una dierum ſuos triturantes ad curiam cujusdam de progenie Splyt, ad triturandum avenam & alia frumenta, & ſibi ad caſtrum granum apportando, quorum triturantium per patrem familias domus de progenie Splyt, pedibus obtruncatis eosdem triturantes cum pedibus abſciſis in carra remiſit in Segeberge Comiti Adolpho ſuorum Domino. Conſimiliter & alii Comites ſuis ſubditis fieri demandarunt. Etiam illis diebus *progenies magna de Ditmarcia orta dicta de Reventlo*, à dicto Comite Adolpho fuit injuriata, & læſa enormiter, ita quod Capitaneus de progenie tali dictus Hartwicus de Reventlo miſſos de Gerardo Comiti adjunxit. Nam dictus Comes Adolphus erat in culpa multa, quod ad deſtructionem patruelium ſuorum adhuc Juvenum Gerardi & Johannis Comitum filiorum Comitis Heinrici adjunxit, & confœdaverit ſecum Marchionem, qui erat inimicus capitalis dictorum Gerrardi & Johannis Comitum. Item conſpiravit cum Chriſtophoro Rege Daciæ contra dictum ſuum patruum, ideo Gerardus dictus Comes Hartwicum Reventlo miſit nocte ad caſtrum Segeberge ad capiendum Comitem Adolphum. Tunc dictus Hartwicus excedens mandatum volens interfecit Comitem Adolphum in

in caſtro Segeberge, & dictus Gerardus Comes ſtatim aſſiſtens caſtrum recepit in ſuam poſſeſſionem. Ac etiam dicti Adolphi patrem Johannem in Bramhorſt captivari fecit. Ac ejusdem filius Chriſtophorus ex nomine Regis Daciæ eodem anno de cœnaculo Caſtri Kyl cadens expiravit. Et ſic tota terra Wagriæ & hereditas multorum Comitum redibat in unum, ſcil. Johannem Comitem fratrem Chriſtophori Regis Daciæ. Et hic Comes Johannes ob magnam prodigalitatem multa donavit, & potius, ſi fas dici eſt, dilapidavit bona Cometiæ. Nam Lubecenſibus donavit turrim lapideam poſitam ante oſtium portus in oſtio Travemunde. Item ibidem uni civium donavit Gürguſtum piſcium in Traveam ſupra Lubeck, in quo erat captura eſocum vel ſalmorum. Et non ſolum hæc quaſi pro nihilo conceſſerat, ſed etiam conſimiliter multis aliis plura largitus eſt ſine cauſa. Hic confœderavit ſe Regi Danorum Chriſtophoro contra Comitem Gerardum & fratrem ejus Johannem. Item Adolphus Comes de Schowenborg volens vindicare patruum ſuum Adolphum interfectum, armata manu cum magna potentia intravit terram Holtzatiæ, & venit cum exercitu in Branſtede. Ubi Comes Gerardus & frater ejus cum paucis militibus cum Holtzatis ruſticis de palude Wilſtria, de parochiis Hademarchen, Swencvelde, Nortorpe, Kellinghuſen, Weſtede, Bramſtede & Koldenkerken, cum his obviam venit Comiti Adolpho in die Decollationis S. Johannis Baptiſtæ Anno Domini milleſimo, trecenteſimo decimo ſeptimo, & divina favente clementia dictum Adolphum victoria belli præhabita cum centum & viginti viris captivavit, reliqua in congreſſu belli interfecit. Illis etiam diebus Ditmarici ex ſua terra exierunt in adjutorium Johanni Comiti contra dictos Gerardum & Johannem, & dicti Dithmarici in exitu ſuo tranſierunt per parochias Ste-

Stenevelde, Nortorpe, Nigemünſter, quas incendio & rapina deſtruxerunt & venerunt in Kyl oppidum, ubi Kylonenſes Dithmaricorum timentes perfidiam dictos Dithmaricos ſubtili ingenio extra oppidum cum cantu & fiſtula coriſando deduxerunt ad vaccarum montem. Quibus ſic eductis & ſuis rehabitis Dithmaricos extra oppidum dimiſerunt remanere, & quare fuit? Nam capto Comite de Schowenborg Gerardus Comes animoſior factus eſt, & Johannes Comes puſillanimis. Ideo Dithmaricos ſine honore remiſit. Quibus ad patriam redeuntibus in via de Kylone tranſierunt per aliam partem terræ Holtzatiæ deſturendam, videlicet per Parochiam Bornehovede, ubi aliqui ex illis in dolio novæ cereviſiæ balneaverunt, & redeuntes ad flumen Buntzingt in Merica per noctem quieſcentes, mane Comes Gerardus & Johannes cum ſuis ponte trans flumen Buntzing, quilibet de Holtzatis habens ante ſe ramum virentem cum foliis ita ut ſylva appareret, totus exercitus appropinquabat, & Dithmarici eſſe ſylvam æſtimantes improviſi contra eos bellum venit inopinatum, ita ut omnes nutu Dei in fugam verſi ſunt. Multi ex eis flumen tranſire volentes ſunt ſubmerſi. Alii ſunt interfecti ad quingentos viros. Et fuit hæc pugna contra Dithmaricos valde magna, ita quod perpauci redierunt ad terram ſuam. Et hic triumphus factus eſt Anno Domini milleſimo tricenteſimo decimo nono in die Alexii Sancti.

Poſt hæc ſequenti anno Domini milleſimo trecenteſimo viceſimo idem Comes Gerardus convocato magno exercitu Principum vicinorum ſuorum ſcilic. Archi-Epiſcopi Bremenſis Giſelberti fratris ſui, Henrici Ducis Megapolenſis, Comitum de Wunſtorpe & Buſrow Johannis Ducis Saxoniæ, Comitis de Reppin & aliorum multorum in uno quatuordecim Principum in vigilia nativitatis Mariæ virginis intravit

terram Dithmariæ per viam Suderhamme & per vadum Hemmingſtede venit cum toto exercitu ad paludem Norderſtrant, ad cor terræ Dithmaricæ, & commiſit cum eis bellum & bis victor factus fuit, una & eadem die interficiendo ex Dithmaricis mille & ſeptingentos viros, ubi tunc multi fugam capientes Eccleſiam Olderwarden intraverunt; Quam Eccleſiam pars exercitus obſedit & ignem apponentes conburere voluerunt. Dithmartici ad intra petierunt gratiam ſibi dari, promittentes ſe ſubditos Comitis Gerardi fieri & tributarios fideles. Sed Comes Gerardus non confidebat eis ſed plus ignem applicari fecit, & igne fortiter incenſo, & tectum Eccleſiæ quod erat de plumbo reſolutum gutratim cadens ſuper Dithmaricos incluſos vi januam aperientes Eccleſiam exierunt, & cum exercitus totus non erat ſimul ante Eccleſiam, ſed erant partes exercitus hinc inde in villis & ædibus ſpoliantes ciſtas & capſas, Dithmarici reſumtis viribus de locis abſconditis, de focis in agris exeuntes, totum exercitum unum poſt alterum ſucceſſivè, cum de veſpere ad caſtra vellent redire & omnes Principes præter Henricum Ducem Megapolenſem, & Gerardum Comitem, qui caſtra & tentoria ſua habuerunt, quaſi ad duo millia hominum, & ita Dithmarici illa vice ſunt ſalvati.

CAP. XIX.

REx Daniæ Chriſtophorus, qui erat frater Comitis Johannis ex parte matris conceſſit fratri ſuo Comiti Johanni terram Fimbriæ in feudum perpetuis temporibus retinendam. Hic etiam Rex annuebat ob preces fratris ſui, Comitis Johannis, qui Kylonenſibus erat gratioſus, quod forum per navigium venire conſveverat in Lubeke ad tempus

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 90;Leibn. Marg. 90, Stück 1, [541] - 41
PUBLIC DOMAIN

pus deveniret in Kylonenſem portum, & vice verſa de Albea per Egdoram usque Ulammehude, & illis diebus ob dictum forum oppidum Kylonenſe erat Domibus & lapidibus, fulcitum valde pulchrè, quia divitiæ creſcebant, & ex conſequenti affectus civium in domos pulchras. Hic etiam Comes Johannes dedit Kylonenſibus privilegia multa, quia oppidum Kylonienſe plus dilexit aliis. Etiam dictus Rex Chriſtophorus anhelans regni ſui dilatationem Waldemarum Ducem Jutziæ exterminare cupiebat, & fraudulenter Caſtrum Sunderborg ab eo tanquam ad fideles manus receperat. Quo habito non contentus, quod Caſtrum reſtituere nolebat, ſed etiam Caſtrum Gottorpe & alia Caſtra Ducatus habere ſatagebat. Quare dictus Dux Waldemarus Comitem magnum Gerardum avunculum ſuum contra Regis tyrannidem aſſumſit adjutorem. Et aliquandiu hinc inde conflictibus habitis, Rex cum magna potentia ante Caſtrum Gottorpe ſe in Heſterberg montem collocavit, ubi Comes Gerardus cum auxilio fratris ſui Seſewarti Archi-Epiſcopi Bremenſis & Weſtphalenſium, ac cum Holtzatis occurrens Regi Caſtrum Gottorpe & ducem deſuper obſidenti, Regem cum ſuis de campo fugavit multis de Danis captis & interfectis. Et pro hac victoria & ſumtibus dictus Dux Volmarus Caſtrum Gottorpe Comiti Gerardo ſuo avunculo primo in pignus pro magna ſumma pecuniarum argentearum collocavit. Et facta fuit hæc victoria Anno Domini milleſimo trecenteſimo viceſimo nono, & dicitur quod illa die quando Comes Gerardus bellare voluit, quod imaginem beatæ Virginis de Idzeho in humeris ſuis habuit, & flexis genibus ter orando Dominum Deum trina vice hunc verſum decantavit: Nos hac die Tibi congregatos ſerva virgo in lucem mundi qua &c. Qvidam ſtantes ſuper montem Heſteberg cum turribus oneroſis circumamicti, clamabant de-

deriſoriè, Mulieres venient contra nos. Cum Holtzatorum exterior veſtis ſemper alba eſſet. Et videbantur Danis eſſe mulieres. Sed unus de Holtzatis qui affuit in ſervitio apud Danos, dixit. Videbitis hodie non eſſe mulieres quia video ſigna & clenodia, galearum virorum & non mulierum. Et quando bellum urgebat, unus Holtzatorum clamabat, Dani fugiunt, Dani fugiunt, & ſic omnes fugam ceperunt. Ut profertur quod dictus Gerardus Comes habuit in uſum quod qvando bellum intrare deberet, qvod imaginem parvam Beatæ Virginis Mariæ de clauſtro monialium in Idzehoë ubi ſepulturam habebat, in collo ſuo portare conſvevit. Et regniam cœli ſemper in auxilium ſuum precibus invocabat, qvod tunc in illo bello tali imagini fuerat à Danis ex caſu una manus abſciſſa, quam manum artifices pictores poſtmodum reſtaurare volentes. Et quando una die appoſuerunt, altera die invenerunt ſemper abjectam. Et talis imago adhuc hodie in memoriale ſignum caret manu tali. Et Deus omnipotens ob merita beatæ virginis miracula volentibus ſe imagini tali multa operatur in illa. Unde ab illo tempore usqve ad tempora præſentia inolevit, quod Princeps Holtzatiæ talem imaginem ſemper in collo portare conſveverant, quando bellum intrare volebant. Quia beata Virgo Maria terra Holtzatiæ à Principibus ſunt fundatæ videlicet in Hamburgenſi civitate & Principalis & ſumma Eccleſia Canonicorum nunc ſecularium, ſed antiqvitus erat regularium ſub habitu, ſicut multæ Eccleſiæ cathedrales inſtitutæ erant Bremenſis, Monaſterienſis, Mindenſis Verdenſis & Lubecenſis. Ab iſta Eccleſia majori Hamburgenſi fides Catholica pullulavit. Nam in ea multi Martyres propter fidem ſangvinem fuderunt. Illac erat ſedes æqve principalis ſicut Bremenſis Archi-Epiſcopus ob multorum Archi-Epiſcoporum & tota Dania Swecia & Norwegia

gia originaliter per Anſcharium ſanctum fidem receperunt. Monaſterium in villâ Wippendorpe vel Faldera ſecundum Slavicam linguam antiqvitus dicta, nunc Nigemunſter vocitata, & per Adeweronem translatam Archi Epiſcopum Bremenſem in Inſulam Bardesholm fundatam poſt Eccleſiam Hamburgenſem per primum Adolphum Comitem. Tum primum fides Chriſtiana in terra Wagriæ tunc Slaviæ, Holtzatiæ per ſanctum virum Vicelinum incrementum cepit Anno Domini milleſimo centeſimo, decimo. Hæc Eccleſia Novum Monaſterium in Eccleſiis in honorem Beatæ Virginis Mariæ fundatum eſt, ab eodem Comite Adolpho fundatum etiam fuit Monaſterium Reinevelde. Nam ipſe Comes cum fuerat de domo Schowenborgenſi, & in finibus terræ illius eſt Monaſterium *Locken* ſituatum Ciſtercienſis Ordinis. De quo Monaſterio monachos recepit & in Reinevelde ſtatuit permanendos. Qvare adhuc illi Monachi in Locken habent viſitare in Reinevelde hodie, & eorum ſunt ſuperiores. In hoc Monaſterio primus Johannes Comes eſt ſepultus, & alii etiam in Hamburg, videlicet duo Adolphi, & præſertim ultimi. Et poſt Adolphus Comes frater minor factus, Monaſterium in Kyl in honorem Beatæ virginis Mariæ fecit dedicari, circa annum Domini milleſimum, ducenteſimum ſextum, exinde hujus Adolphi filius Comes Gerardus Monaſterium monialium, quod prius poſitum fuerat in palude Crempis, prope Storam & Albeam in Villa Ulete tranſtulit, ante nobile & invicibile antiquum Caſtrum Idzeho in honorem Beatæ Mariæ Virginis conſecrari fecit, & dotavit ſecundum Ordinem & regulam S. Benedicti Abbatis ad ſerviendum Domino Deo in ævum. In quo idem primus Gerardus Comes ſuam elegit ſepulturam, & ab illo tempore usqve in præſens omnes de illa progenie Gerardi Comitis deſcendentes, ſcilicet:

Hen-

Henricus ejus filius, Magnus Gerardus Comes hujus Henrici filius, & frater ejus, Johannes: hujus Gerardi magni Comitis filii fuerunt, Henricus ferreus, Nicolaus & Johannes, & una ſoror clauſtralis in Elten Abbatiſſa, prius copulata Regi Swetiæ, & in mari prohibita. Et loco ejus Rex Daciæ dedit filiam ſuam, ob quam cauſam hæc virgo permanſit. Johannes domicellus non diu ſupervixit vulneratus inguibus à Danis obiit. Comes Nicolaus ſine filiis maſculis plenus dierum bonorum, & omni gloria dignus vitam in Idzehoë finiit. Comes Henricus ferreus frater ejus ante eum obiit. Hic habuit tres filios Gerardum primum Ducem Sleſwicenſem manifeſtè cum ſolennitate creatum à Dithmarſiis, & Albertum & Henricum Comites remanentes. Hi omnes in Idzehoë ſunt ſepulti. Dicitur etiam quod Hartwicus Reventlo miles, qui Comitem Adolphum in Segeberge interfecerat, pœnitentia ductus in abſolutionem peccaminum ſuorum limina Beatorum Apoſtolorum Petri & Pauli in Romana urbe viſitavit. Ubi ſibi pro pœnitentia in dicto clauſtro Idzeho pretioſam domum Refectorium interius, ſuperius dormitorium de ſuis ſumtibus conſtrui procuravit. Et extrema parte Nobilis Nicolaus Comes, qui cum inimicis ſuis Danis in Manemberge fuerat in conflictu tempore Regis Waldemari. Et ipſe Comes Nicolaus perdito uno oculo & à ſubditis Regis capto, & die ſibi ad redeundum in captivitate à capiente conſtituto, veniens ad quendam de ſuis, qui eum ulterius de terra illa in propriam terram transportaret, vovit in illo die ut Deus ipſum ab inimicis ſuis eriperet, qvod unum clauſtrum monialium in honorem beatæ virginis Mariæ in terra ſua de novo fundare vellet, quod etiam perfecit. Nam in Arendesbocken fundavit monaſterium & dotavit, & virgines moniales de Idzehoë, Poreze & aliis monaſteriis illis convocavit. Sed tamen

tamen monaſterium non ita fuit copioſè in bonis temporalibus inſtitutum & dotatum, quod illac virgines permanere potuerunt. Unde & poſt quidem venerabilis Vir Albertus Rodenborg Canonicus Lubecenſis cum adjutorio aliorum civium Lubecenſium reditus ampliavit dicti monaſterii, & de conſenſu primi Gerardi ducis Sleswicenſis immutatum fuit monaſterium prius virginum poſtquam de loco receſſerant, ut per amplius Carthuſienſes illic habitarent. Et translatio hæc facta fuit Anno Domini milleſimo quadringenteſimo ſecundo. Monaſterium autem prius in Ciſmar locatum fuit in Lubecenſi civitate & ab ipſo Lubicenſe fundatum eſt ad S. Johannem, in quo Monaſterio Monachi nigri ordinis S. Benedicti inhabitabant. Sed poſtmodum per conſules Lubecenſes & conſilio & voluntate Johannis Comitis translatum fuit in locum Cismar, in terra Oldenborg, ubi nunc degunt. Et monaſterium in Lubeck quod dimiſerunt Monachi, virginibus impleverunt. Et ideo propter ædificia infra civitatem in Monaſterio Monachorum ad ipſos ſpectantia dicti conſules integrum Monaſterium & Eccleſiam in Ciſmar conſtruxerunt, prout hodie apparet illac venienti.

CAP. XX.

PRæterea Magnus Gerardus Comes habito Caſtro Gottorpe primo in pignus pro ſumtibus ſuis expenſis ſtrenuius & diligentius agebat opera Ducis Waldemari, qui erat de Stirpe Regia Danorum natus. Nam in Regno Daciæ antiquitus fuerant Ducatus, ſcilicet terra Sanderjuciæ (Suder-Juciæ) ad cujus diſtrictum pertinet à flumine Egdora & Levengeſow, Denſcheworck usque ad flumen Slig, Gottorpe & Swaſtede, Freſia usque ad Ripen & Koldinge, Angelen, Alzen. Item fuit Ducatus in Inſula Lalande item Langelan-

lande. Et hi Ducatus propterea fuerunt in Dacia, quia Regnum Daciæ per electionem ſuperiorum totius regni acquiritur. Et quando contingebat aliquem Regem habere plures filios, & electo uno de filiis in Regem ceteris dabantur Ducatus. Et inter hos Ducatus potior & ditior fuit Ducatus Sunder-Judland. Qui à tempore Gerardi ducis nominatus eſt Ducatus Sleſwicenſis à civitate & Epiſcopatu Sleſwicenſi utpote nomine digniori. In hac Sunder-Jutzia, fuit Dux Waldemarus ex parte patris natus de ſtirpe Regia Danorum, ex parte matris fuit filius ſororis dicti Magni Gerardi Comitis. Et dicebatur *Magnus Gerardus* exinde, quia omnipotens Deus concesſerat illi multiplices varias victorias magnas, non meritis ſuis & divitiis vel potentia hæc attribuendo. Nam magna erat potentia æmulorum ſuorum patruelium, Comitum Holtzatiæ filiorum Johannis Comitis, quorum mater quondam Regina Daciæ, & ideo in elationem ſuperbiæ inſurgentium, & adeo pauper & impotens in primis ſuis annis, quod Hartwicus Reventlo miles eqvos & arma ſibi contribuerat. Quia usque dum viginti quatuor fuit annorum ſcholas viſitare, ut acqvirere poſſet Epiſcopatum, conſveverat, prout frater ejus Giſewertus, qui factus fuit Archi Epiſcopus Bremenſis conſimiliter fecit. Fueruntque hi fratres ſcilicet Gerardus, Giſewertus & Johannes Domicellus filii Henrici Comitis & habuerant matrem de Rheno exortam de Brunckorſt, Wunſtorp, Ghemele. Apud dictos avunculos ſuos Gerardus Comes juvenis aliquandiu remanſit, quorum auxiliis & factis ſui Archi-Epiſcopi Bremenſis potius cum Holtzatis de palude Wilſtriæ & aliorum intra Storam commorantibus Deo favente conſecutus eſt triumphos, ita inops fuerat quod penitus nullum caſtrum in tota terra habuit Holtzatiæ & in Rendeſborg morabatur inter oppidanos in Hakenſpicker caſella gra-

granario ſuper aquas & nil proprii habuit. Præter canes gryſeos venaticos cervorum, qui illis diebus nobiles ad venandum dicebantur, prout venatores dicere conſueverunt. Hic Gerardus habito primum triumpho & capto Adolpho de Schowenborg, recepto etiam primum caſtro Segeberg & etiam Rendesborg, qvod oppidani ſibi reddiderunt, & habito tandem triumpho contra Dithmaricos & poſtremo in Heſterberge, & tunc ſibi tradito caſtro Gottorpe cum attinentiis ſuis paulatim crevit in virum magnum & ad tantum, quod magnus Gerardus vocari poteſt ad differentiam aliorum hoc nomine dictorum. Videns autem Chriſtophorus Rex Daciæ, qvod res proſperabatur in manu Gerardi Comitis collegit magnum exercitum terreſtri itinere ponens caſtra in Dannenwerck ante Gottorp percludens viam Holtzatis ad ſubveniendum obſeſſis: vice verſa præſentiens Gerardus Comes advenientem contra ſe exercitum tam validum, quem Rex etiam non paucis diebus colligere poterat, habuit nuncios ad cognatos ſuos de Brunckhorſt Gemele & Wunſtorp etiam ad fratrem ſuum Archi Epiſcopum Bremenſem Ghiſewertum. Nec non convocari fecerat ſtipendarios de Rheno & Weſtphalia & venerunt hi omnes uno anno in auxilium Gerardo Comiti, cui etiam multi de Holtzatis ſubditi curiales Johannis Comitis adhæſerunt. Et facta eſt expeditio exercitus ex parte Gerardi Magna & convenerunt contra Regem ad bellum. Attamen ſtipendium pro expenſis & ſumtibus in hoſpitiis factis in Rendesborg remanſere, & Comes non habuit tantam fidem, qvod ei de ſumtibus credebatur, qvi tales ſtipendiarios etiam in auxilium ſibi comportaret & talis miſſus à Comite fuit Marſchalcus, cui vexillum belli fuerat tradendum, qvare eum expectare volebat & hic nominabatur Borchardus de Idzehude miles ſtrenuus & potens. Sed tamen Dani cum

ſuis

ſuis urgebant exercitum. Ita qvod Comes etiam neceſſitate compulſus niſi declinare & terga vertere voluiſſet, oportuit eum inire bellum, ubi Dominus omnipotens de cœlo dedit Comiti Gerardo & ſuis victoriam qvamvis per grande opus. Et tanta fuit ſtrages interfectorum in bello, quod campus plenus fuit cadaveribus ex Danis. De Holtzatis unus nobilis interfectus nomine Wedeke van der Oſten, quem Comes ad tantum dilexit, quod ploravit propter eum. Et alius etiam nobilis interfectus, propter quem opidani de Rendesborg ſemper tenent crucem ſuper Satesſowe. Et hoc fuit alia vice prope Rendesborg, quod Rex obſedit à parte Holtzatiæ. Nam dictus Comes ſuppreſſus, unus *ruſticus* de villâ Buttele, ex parochia Brochtorpe de palude Wilſtriæ dictum Comitem ſublevavit dicens ei: Utere priſtinis viribus tuis, ob quam cauſam dictam villam Buttele ob meritum unius villam ejusdem totam liberavit ab exactionibus communibus terræ, ſed quod ſolum eſſent peramplius inſeqvendo eum fideles, & ita habita victoria Rex Chriſtophorus fugere voluit ad Comitem Johannem in oppidum Kyl. Quia alia via ad Daciam ſibi fuerat percluſa. Et ita cum aliquibus in nocte equitare volens per Seſtede, dictus Borchardus de Idzehude audiens aliquos equitantes, & percipiens rumorem de bello peracto, neſciens quo fine concluſum, dictos equitantes cum ſuis & aliquibus ſtipendiariis inſequens & congrediens eos invenit eſſe Danos, & ibidem Regem Chriſtophorum cum ſequela ejus cepit & captivavit. Et ſtatim habito Rege eqvitavit ad Caſtrum Gottorpe, clamans magna voce ad vigiles, qvod neceſſario haberet loqui Comiti Gerardo. Comes autem Gerardus audiens hæc, quamvis graviter vulneratus ſurgit de lecto loquebatur ſibi. Et ex oppoſito dixit prædictus miles. Sum in via redeundo vulneratus & captus, vis me redimere? hoc volo ſtatim ſcire.

scire. Cui Comes respondit sine dubio, esto patiens volo te libenti animo sicut & omnes alios captos liberare. Nam gratia Deo habeo plures captivos & locupletes. Tunc Dominus miles Borchardus respondit. Bonum est tibi verbum hoc. Nam dixit, nuntio tibi bona nova. Porto mecum Regem de bello profugum, captivum ad manus tuas. Surge & fac custodiri eum. Tunc statim portis Castri apertis, adducto Rege & posito ad custodiam, novum gaudium omnibus exortum est, & hic triumphus factus est Anno Millesimo tricentesimo tricesimo primo in die S. Andreæ Apostoli. Hic autem Rex Christophorus volens se redimere à servitute Comitis Gerardi, & à vinculis oportuit eum pro certa summa pecuniæ dare pignus totam terram cum Castris & civitatibus Confiniæ quam Holtzati possederunt usque ad tempus Regis Waldemari, qui terram illam solvendo pecuniam de manibus Holtzatorum quitavit & redemit.

CAP. XXI.

Post hunc triumphum Holtzati amplius contra Danos sic afflictos insurrexerunt & quotidiè invaluerunt, ita ut Ducem supra dictum Waldemarum Comes Gerardus in Ducatum suum reduxit. Quo ducto Juthi creaverunt hunc Ducem in Regem super se, & dictus fuit Rex Waldemarus. Quo Rege creato avunculum suum Comitem Magnum Gerardum Ducem etiam creavit & instituit, & super creatione tali sibi literas concessit sigillatas sigillo Regio ac majorum de consilio regali, videlicet viginti qvatuor sigillorum appositorum. Attamen de Selandia Dani supervenientes hunc Regem in odium Holtzatorum habere noluerunt. Et alium Regem illegitime natum de genere regali creavere, & ita discordia in Danos exorta Holsati totam Daciam

ciam exceptis paucis caſtris duobus in Selandia & uno in Nort-Jutzia cœperunt poſſidere. Nam dictus Gerardus Comes Magnus plures prioribus fecit accerſiri de Rheno & Weſtphalia ſtipendarios promittens de menſe in menſem ſolvere cottidie ſtipendium. Et tales ſtipendarii venientes & intrantes terram Holtzatiæ brevibus veſtimentis fulciti & induti dicebantur Ghaushover. Hos ſtipendarios cum Holtzatis duxit in Nort-Jutziam tranſiens de caſtro ad caſtrum vincens & ſubdens omnia. Et in opido Randeshuſen poſuit caſtra ſua. Ubi quidam præpotens vir de Jutzia nomine Negels Jebſis miles & pro tempore ſubditus factus obediens dicto Comiti Gerardo, tamen quo ſpiritu interveniente facta fuit diſcordia inter Comitem & Nicolaum Jebſis. Nam dixit quod Comes injuriabatur ſibi & ſuis, ideo in nocte intravit. Et cum uno præpotente viro Dno Haſen de Jutzia Anno Domini milleſimo trecenteſimo quadrageſimo ſubbatho in quadrageſimo ante Dominicam oculi: [*Deeſt aliquid*] Tamen occiſo Comite prædicto non propterea ſibi Jutziæ dereliquerunt. Nam fuerunt ei tres filii ſuperſtites Henricus, Nicolaus & Johannes. Senior filius Henricus Comes accepta parte exercitus intravit Selandiam. Nicolaus Comes manſit in Jutzia & ob vindictam præclari viri Magni Gerardi occiſi. Eodem anno dictum Negels Jebſis in Caſtro Schaudelemborg Holtzati obſidebant. Evicto caſtro in craſtino omnium Sanctorum interfectis Danis ad duo millia & capto dicto Negels Jebſis ipſum rotantes diviſerunt, & ſuper quatuor rotas tanquam proprii Domini interfectorem poſuerunt. Utrum etiam aliqui de Holtzatis majoribus nobilibus fortunam tantam dicti Comitis Gerardi ſuſtinere non valentes procuraverunt mortem, & proditores extiterant, non eſt meum diſcutere. Nam illo tempore ut prius narratum eſt omnia Caſtra dicti Gerardi nominibus terræ impignora-

gnorata fuerunt, & ipsi majorem coquinam & comitatum ferebant, quam eorum Dominus & Princeps terræ. Dicitur etiam quod dicto magno Comiti Gerardo vivente, tam magnum & copiosum exercitum de Soldatis & stipendariis collegerat, requisitus unde stipendia de mense in mensem eis solvere posset & valeret. Ad quæ respondebat, quod voluisset si supervixisset eos induxisse ad terram Dithmarticorum, ubi si victores facti fuerint, invenirent copiosum stipendium, sin autem victi fuerint, interficientur, & sic ab eorum stipendiis liberabor. Attamen dicti stipendarii vacuis manibus mortuo Comite redierunt in terras suas. Henricus Comes dictus Ferreus intravit cum potentia Holtzatorum multorum terram Selandiæ, & in ea Domino pro tempore favente, retinuit multas victorias. Nam omnia castra Selandiæ præter duo oppugnavere habitis castris & civitatibus, prout est moris terræ Daciæ Capitanei solum locentur in castris alii vadunt, hinc inde hospitandum cum equis & servis. Et tandem ob superbiam Holtzatorum cum ipsi semper victores extiterant, Deus dedit eis repulsam. Nam unus nobilis de Danis, qui huic Henrico satis erat fidelis, Selandis etiam multum carus, per traditionem unius de Holtzatis fuit interfectus. Ob quam causam Dani nobiles in Selandia se congregantes, & Holtzatis in villis hinc inde dispersis, una nocte plus quam trecentos armigeros in ore gladii occidebant. Et sic ceteri de Holtzatis territi fugierunt in terram Selandiæ, & ita redimentes terram suam castra receperunt.

CAP. XXII.

ILlo tempore fuit in terra Meckelenborg prænominatus Vir Henricus Comes Bellicosus & sagax. Hic à Carolo quar-

quarto Romano Rege acquiſivit ſibi titulum Ducatus in terra ſua, ut per amplius Princeps & Dux, ipſi & ſui hæredes ſcriberentur & non Comites. Hic habuit filium Albertum nomine, quem voluit in regnum Sweciæ introducere, cum illis diebus Rex Sweciæ iners & puſillanimis erat. Unde à quæſito dicto Domino Comite Henrico ferreo in adjutorium ſuum iniit ſecum pactum, quod ſi filius ejus fieret Rex Sweciæ, ipſe Henricus partem Sweciæ terræ videlicet caſtrum Calmeren cum advocatia & terram Vindland pro ſua parte libere poſſidere deberet, donec & quousque ſolveret ipſe, vel hæredes ſui, unam magnam ſummam pecuniariam dicto Henrico & ſuis hæredibus, prout hanc promiſſionem in teſtimonium poſteris literas & ſigilla ſua communiret, prout hodie Princeps Holtzatiæ hanc literam habet in ſignum veritatis. Et ſic Principes prædicti ſuis ſimul collectis Sweciam intraverunt regnum obtinentes, & capto Rege puſillanimi prædicto & poſito in cuſtodia in manicis ferreis ſeptem annis. Dictus autem Henricus Comes recepit prædictum caſtrum Calmeren in poſſeſſionem & terram Vindland. Inhabitantes terram Vinland erant rebelles & dicto Henrico Comiti tributum ſolvere denegarunt. Quare collecto exercitu voluit eos ſubjugare, cum autem eſſent in itinere devenit in Wuſten Curiam prænominatæ mulieris & magnæ devotionis *Brigittæ* viduæ, quæ dicebatur Sancta. Et ſi interrogaretur poſſet ipſi Henrico Comiti futura belli prædicere, unde Henricus Comes ipſam obſecrans, ſi quid ſibi de futuro eventu tranſitus ſui prædicere poſſet, quod hoc facere dignaretur. Ipſa autem reſpondit ſibi, quod ſi dictam terram Vinland intrare vellet, absque armis hoc faceret. Henricus Comes vertens ſe ad ſuos dicebat; Hæc mulier hujus nationis eſt, ego autem alienigena, quæ cura illi, ſi interficerer à Vinlandis, cum armis me expediam in nomine Domi-

Domini. Et ita contingebat: terram Vinlandiæ cum potentia armatorum intravit, & pro libito ſuo uſus fuit, & reverſus in caſtrum ſuum apportato tributo nihil mali expertus.

Nicolaus Comes Holtzatiæ fratre Henrico abſente remanſit in patria & quædam retinuit caſtra in Füne, quæ impignoravit & præſertim Hakenſowe Benedicto de Alevelde militi viro diſerto & bellicoſo. Et in Jutzia quædam habuit caſtra jam victa alia etiam vincenda.

Nam quidam nomine Ealef (Calef) miles cum duobus caſtris Regni, ſe Comiti Nicolao tanquam homagialis ſe ſubdiderat fidelem. Cui Nicolaus unum aliud caſtrum tradidit ad fideles manus cuſtodiendum. Tunc in Dacia adolevit Rex Waldemarus, qui ſucceſſivè recuperavit omnia caſtra Regni. Nam dictus Calef miles togam vertit & Regi Waldemaro prædicta tria caſtra reſtituit. Tunc Rex deriſoriè dixit Tergaghe bonus vitulus eſt, cum duobus caſtris abibat, ut bos cum tribus rediit. Hoc nomen hujus militis Calef eſt nomen Judaicum. Nam Judæi hoc nomine vocitantur. Item Jeſſe eſt nomen Judaicum, & terra vocatur Jutzia. Et ipſi inhabitantes Juten. Et nomen regni Daniæ inhabitantes Dani à nomine Judaico Dan. Et iſtis nominibus arguitur, & veriſimiliter præſumitur, quod antiquitus Dani & præſertim Juten de Judæis ſunt orti de tribu Dan. Unde Antichriſtus dicitur naſci futuris temporibus. De iſto Dan, qui fuit unus de duodecim filiis Jacob prophetavit pater ejus dicens. Judicabit Dan populum ſuum, fiat coluber in via, mordens ungulas equi, ut cadat aſcenſor ejus retro. Hanc proprietatem hujus Prophetæ Dani, & præſertim Juti habent, quia deſiderant & anhelant magnum Dominium & judices ſint. Sint etiam Coluber vel ceraſtes abſconditus in via mordentes occultè ungulas equorum, ut retro cadant aſcenſores, hoc eſt, ſunt

falla-

fallaces in placitis ſuis, hoc qvod prætendunt, abſcondent, donec eveniat. Dicitur ſecundum chronicas, quod in veritate ſunt judæi ab antiqvo. Nam antiquo tempore ita populoſa fuerat terra Daciæ, qvod in terra propria ſuâ non poterant ſe continere & ſorte miſſa ad decimum hominem per totam terram decimum emiſerunt id eſt decimam partem hominum ſuorum, qvi egredientes de terra ſua in pluribus partibus mundi multas fecerunt ſtrages. Pariſios in Regno Franciæ navigio devenerunt, totam Angliam ſubdiderunt, & civitates in ea nominabant nominibus ſuorum civitatum. In Dacia maximam civitatem Lunden & inſulam propè Angliam nominabant Seland. Et totam terram Angliæ nominabant nomine Anglen, ſecundum nomen terræ inter Sleſwig & Flensborg. Ipſi etiam venerunt Romam per flumen Tybrim. Et extremo in Longobardiam. Interim remanentes in propria terra propter conflictus multos cum Slavis & Saxis multis deperditis hominibus, & præſertim in jutzia, cum illa pars terræ regni Daciæ ſicco pede potest iniri, tota illa terra fuerat deſerta. Ideo fuerant Judæi ab Imperatore miſſi in hanc partem terræ, qvare juti, id eſt judæi ſunt nominati in hodiernum diem. Dicitur etiam quod Regibus ſuis ſunt communiter plus aliis Danis infeſti & infideles. Nam rarò Rex eſt, qui cum ipſis eſt pacificus. Et multi Reges narrantur ab eis occiſi. Nam Reges ad facies eorum audent dicere, ob perfidiam judæi eſtis, judæi permanebitis: Quaſi dicere volentes. Infideles eſtis ſicut judæi, proprium Dominum ſuum Jeſum Chriſtum ſine cauſa interfecerunt, ita & vos Reges veſtros.

CAP. XXIII.

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 90;Leibn. Marg. 90, Stück 1, [555] - 55
PUBLIC DOMAIN

CAP. XXIII

TUnc fuit in jutzia nobilis Domina in castro Dorningh, qvæ nupsit cuidam Holtzato nomine Nicolao de Lembecke militi. Quæ Domina habuit, ut relicta, multa bona patrimonialia & dotalia, qvæ defendere non poterat, ideo hunc præpotentem Virum sumsit in maritum. Qvi Nicolaus Lembecke cum vellet visitare subditos uxoris suæ, invenit omnes rebelles, monita sua pro nihilo ducentes, ita etiam qvod nec hospitio eum recipere vellent. Reversus ad uxorem, qvaliter successerat, revelavit sibi, qvæ respondit. Ego sum mulier mensalia præparare potero, etiam satis longa videatis vos ut habeatis mensam longam & longam. Et tunc ad subditos vestros revertamini cum multâ seqvela, & tunc apparebunt qvi sunt nostri subditi. Nam vulgare est verbum quod Dani rusticos non recipiunt paucos, sed plures oportet recipere, quando per vim se ostendant. Et ita Nicolaus Lembeke adduxit de Holtzatia plures sodales in armis secum militantes, & tunc acceptum Rustici sui eum habebant. Hic Nicolaus Lembeke fuit postmodum factus præclarus & prænominatus vir in tota Jutzia. Nam plura alia castra ad sua adquisivit, propterea Rex Waldemarus Tergage ipsum odio habuit, & sæpe nisus fuit in mortem ejus sed non poterat propter potentiam & benevolentiam, qvam circa plures habere consvevit. Nam dicitur quod Rex institerat quod dictus Nicolaus debebat sibi homagium præstare, cui cum Rex juramentum fidelitatis prædixit, Nicolaus respondit. Juro quod nunqvam Vobis & Regno vestro ero fidelis. Cui Rex respondit, verum jurasti. Nunquam fuisti nec eris nobis fidelis. Altera vice Rex fecit eum ad se vocari sub salvo conductu ad castrum Wardingborg.

Ubi

Ubi dictus Nicolaus æſtimans ſalvum conductum Regis esſe firmum, venit ad ipſum navigio. Cum autem Caſtrum aſcenderet, unus Juvenis Camerarius dixit ad eum, Nicolaë eſt ſecretum qvod revelare vobis volo, niſi cito declinaveris in aqua ferventi jam poſita ad ignem comburamini. Nam ipſe Nicolaus erat beneficus in muneribus dandis famulis aliorum, propterea hic Juvenis hoc revelavit ſibi. Qvo vero audito ſtatim retrocesſit ad navem ſuam multum magnam, & fulcitam armigeris & baliſtariis. Rex poſt eum iterum miſit nuncios, ut reverteretur ad eum in pace, ſed ſpreto ejus imperio, amplius non viſitavit eum. Hic Nicolaus erat in magna amicitia cum Majoribus de Jutzia. Et uni Epiſcopo ex illis, qui Regi fuerat ſecretior ſub magna fide revelavit verbum abſconditum & ſecretum, quod nunquam etiam veniret propalandum. Scio dixit illi ſecretum verbum, quod ſunt aliqui die noctuque in hoc laborant, quod Regem poſſint intoxicare, & rogo quod hoc verbum omnino maneat ſecretum. Ille autem cui revelavit hæc verba ſtatim Regi intimavit. Propterea dictus Rex exivit Daciam, neſciens à quo forte in fici veneno poſſet. Et venit ad Imperatorem Regem Carolum quartum in Bohemiam in Civitatem Pragenſem, ubi aliquandiu penes eum manebat. Hic etiam Rex Waldemarus impignoravit caſtra in Marchia Lotow & Dalemborg in quibus moram traxit.

Comes Johannes prodigus de quo ſupra, qui fuerat frater Regis Chriſtophori ex parte matris. Hic poſt obitum ſuum reliquit filium hæredem Comitem Adolphum, qui duxit uxorem filiam dicti Henrici Ducis Megapolenſis Alberti Regis Sweciæ ſororem nomine Annam Sterilem permanentem, unde illa progenies Comitum terræ Wagrenſium ſcilicet Kyl, Oldenborg, Plone & paludis Crempe, deceſſit ſine hærede, & poſt deceſſum hujus Adolphi Comi-

Comitis tota terra Holtzatiæ devenit in unum, ſcilicet Nicolaum Comitem, prout infra plenius narratur. Hic Adolphus erat ſtrenuus vir, & civitatibus Lubecenſi & Hamburgenſi contra prædones & injuriatores in ſtratis terræ ſuæ habuit confœderationem, ita quod Holtzati prædones tempore ſuo non audebant ſe movere. Tempore hujus Adolphi Comitis contingebat, quod duo famuli Hennecken, Lembecken Nicolai Lembecken filii in opido Kylonienſi innocenter fuerant tanquam latrones capitibus truncati, propter quod fore factum factus dictorum Kylonenſium inimicus poſt feſtum Michaelis cum nundinæ ſunt in Eckerenvorde apud campum Geſebecke multos de Kylone cives interfecit & captivavit. Quare dictus Comes Adolphus una cum Nicolao Comite facti inimici ejusdem Henneken, Lembecken, & ex conſequenti etiam Ducis Henrici Jutziæ uxoris relictæ, quæ tenuit in dotem caſtrum Hadersleve & Tunderen. Dicti autem Comites in expeditione exercitus ſui collecti intrantes Jutziam, Comes Adolphus obſedit Tunderen & retinuit, Comes Nicolaus Hadersleve & etiam expulſa Duciſſa in caſtro vicit & caſtrum. Et ſic illa duo caſtra evicta venerunt in ſortem Holtzatorum.

CAP. XXIV.

COmes Henricus ferreus, qui fuerat magnanimus & glorioſus in factis dimittens gubernationem terræ Holtzatiæ Comiti Nicolao fratri ſuo pro acquirenda gloria nominis ſui, cum aliquibus de Holtzatis baliſtariis & armigeris tranſtulit ſe per mare ad Regem Angliæ nomine Edewardus in auxilium ſibi contra Regem Franciæ. Nam dictus Rex Angliæ Edewardus qui antiquitus natus de ſtirpe regia Franciæ nitebatur rehabere regnum Franciæ & reducere

cere in unum cum regno Angliæ. Et hi duo Reges veluti magnæ potentiæ ex utraque parte fecerunt ex remotis partibus terræ bellicosos viros in auxilium sibi convocari. Rex autem Angliæ navigio venit in regnum Franciæ, & obsedit munitam civitatem & castrum Caleciis apud quam civitatem fuerat, & est portus maris, quod interjacet inter Regnum Franciæ & Angliæ, habens in latitudine quatuor miliaria. Nam navigare volentes de partibus Almaniæ ad Hispaniam ad S. Jacobum, terram sanctam, Jerusalem, Romam, Venetias, Barbaros & ad gentiles oportet per istud brachium maris, quod inter Franciam & Angliam interjacet omnes navigare. Et apud hanc civitatem Caloyes est, ut dixi, optimus portus pro navium securitate hinc inde transeuntium. Ante istam civitatem Rex Angliæ in campo & ad longa tempora ad annos castra metatus erexit tentoria. Viceversa Rex Franciæ nobilissimus & ditissimus Princeps & Rex mundi habens etiam ampliſſimum Regnum, & multos Reges & Regulos, Duces Marchiones, Comites, Nobiles & cives sub se & terram fructiferam etiam collegit ultra hos subditos exercitum peregrinum & Regem Bohemiæ Johannem virum bellicosum cum Bohemis viris victoriosissimis in adjutorium suum, volens civitatem suam praedictam Caloyes ab obsidione liberare adducens exercitum suum ad supra dictam civitatem, cives autem inhabitantes civitatem & castrenses in castrocum ipsi circumdati fuerant à Rege Angliæ terra marique, sustinebant ciborum intolerabilem penuriam, & ad tantam devenerunt famem, quod mures & glires libenter comediſſent, si venales fuissent, & præfame amplius se continere non valentes castrum cum civitate ad voluntatem Regis Angliæ tradiderunt. Rex autem Angliæ & Rex Franciæ ex utraque parte pro justitia obtinenda convenerunt ad bellum. In cujus bello tam

tam multorum hominum convenientium in unum conflictum acies belli ex parte Regis Angliæ Comiti Henrico cum Holtzatis tanquam viro Juveni forti & bellicos fuerant commendata. Ex alia parte belli cuneus Regis Franciæ fuerat Regi Bohemorum etiam victorioſo viro cum Bohemis commiſſus. Aggredientibus exercitibus Deus omnipotens in acie belli Comiti Henrico dedit triumphum, & ex conſequenti toti exercitui Regis Angliæ. Et Comes Henricus Regem Bohemiæ catenatum duabus catenis aureis, duobus ſuis militibus in bello cepit. Sed à ſequentibus in bello fuit propter invidiam, ne dictus Henricus nimiam gloriam conſeqvutus fuiſſet, interfectus. Et hoc glorioſo opere, quod Deus Comiti Henrico hoc die conceſſerat, dictus fuit & cognominatus ferreus. Rex autem Angliæ ultra omnes ſuos Principes ſui regni Comitem Henricum exaltavit, & Capitaneum exercitus ſui voluit eſſe, propter quam cauſam Anglicæ ſibi tanquam advenæ & ignoto principi invidebant multum. Nam una dierum obtenta civitate Caloyes, ex ea equitantes pro pabulo equorum dictus Henricus & ſui ſubditi Anglici æmuli ſui fecerunt ſibi inſidias ſubito in via in eum irruentes tanquam inimicus contra inimicum. Ipſe autem Henricus noſcens eos eſſe Anglicos, ipſi autem vice verſa nolebant eum agnoſcere, & ſic mutuo extractis gladiis & lanceis appoſitis convenientes, Baliſtarii autem Henrici ex Holtzatis optimi præcedentes, jacientes jacula obtinuerunt campum. Et plures de Anglicis interfecti & vulnerati, querelam de Henrico Comite facientes.

Sed Rex novit ſuorum calliditatem, ac quod propter invidiam hæc fecisſent præſumptivè non curavit verba eorum, ſed eò amplius Heinricum Comitem diligebat. Attamen Zelatores in malitiis & fictitiis contra Heinricum Comitem non ceſsabant, fingentes Henricum dictum Comi-

tem

tem non eſſe Principem natum, ſed ob fortunam nomen Principis uſurpaſſet. Et ad probandam hujus dicti veritatem dixerunt Regi & Reginæ, quam attraxerant in partem ſuam. Eſt natura leonum, qvod nobiles principes non lædant, & ſi Henricus eſt talis videamus experientiam facti. Rex autem huic dicto non conſenſit, ſed in abſentia ejus regina ex inductione æmulorum volebat factum experiri. Nam dictus Henricus Comes habuit in uſu, ubicunque in caſtris eſſe conſveverat ſemper omni manè in diluculo & ante diluculum de lecto ſuo ſurgere ſolebat, & aſpicere portas & muros & audire vigilum diligentiam, etiam propter naturæ ſuæ commodum ſuperfluum rejiciendo. Propter hanc conſvetudinem una nocte leonem, qui ſtabat in medio caſtri in cancello tranſire & exire ad Caſtrum permittebant, ſtantes cum Regina volentes videre ſpectaculum, Henricus Comes ex more in diluculo de ſtrato ſuo aſſurgens, Indutus longa tunica ſuper nudo & aſſumto cultello, cum corrigia pendente in collo, init interius ad caſtrum. Statim Leo horribilis ſentiens ſe liberum uſus natura ſua feroci in Comitem Henricum inſiliit.

Comes imperterritus dato ſibi à Deo ſpiritu fortitudinis cultello evaginato dixit ad Leonem. Tu Canis qvieſce & jaceas, & ita factum fuit miro modo; ſtatim Leo audito verbo ejus obmutuit & qvievit. Nam legitur in naturis animalium, quod Leo talis eſt naturæ, quod nullius animalis adventum timet, ſed ſolum audacioris ſe natura. Et ita arguitur, quod non ſolùm divina virtute Leo pedibus ejus ſe ſubſtravit, ſed etiam naturæ inſtinctu, cum dictus Comes fuerat valdè audax â natura. Henricus Comes percipiens hoc vice verſa tranſiens ad ſtrarum & Commodum ſuum fuit male contentus & quam cito habuit Regis præſentiam narrabat ſibi factum, addens dicto ſuo: Domine Rex mul-

multas ſum perpeſſus in Curia veſtra inſidias, ſed iſtæ extremæ ſunt mihi intolerabiles, alia fuiſſet via expellendi me, qvam per canes veſtros, rogo licentiam veſtram. Et ſi placet pro ſervitiis vobis impenſis me elargi, ſtabit in arbitrio veſtro, habeo patrimonium & terram in qua vivere valeo, hic diutius manere nolo. Rex autem ſuper facto multum contriſtatus, & quod tam bono & virili Principe carere deberet, promiſit ſibi multa dare caſtra & civitates ſi apud eum manere vellet, ſed flectere eum non poterat. Quare pro meritis ejus aſſignavit ſibi multam promtam pecuniam, & ultra illam annuam dedit penſionem de Regno Angliæ ſcilicet centum nobiliones qvolibet anno ac ſuis heredibus ſolvendam & literis & ſigillo regio roboravit. Quam penſionem ipſe Comes Henricus & ſui heredes ſublevabant, præſertim ejus filius Dux Gerardus per mercatores ſibi de Regno Angliæ apportari fecit.

CAP. XXV.

COmes Henricus rediens in patriam ſuam duxit uxorem filiam ſupradicti Henrici Ducis Magnipolenſis, cujus ſororem Comes Adolphus ſibi etiam copulavit. Hæc autem filia Ducis Magnipolenſis priùs nupta fuit Marchioni Brandenburgenſi nobili viro Romano, à qvo Domina hæc largè ad tempus vitæ ſuæ fuit dotata cum Caſtris Arndesburg & opido Perleberghe. Ab iſta uxore, qvæ fuit ſpecioſiſſima mulierum genuit Henricus Comes tres filios, Gerardum Ducem Albertum & Henricum Comites, & unam filiam qvæ tradita fuit nuptui Duci Pomeraniæ, quæ ibidem genuit filios & filias à ſuo Domino. Illis diebus contingebat, quod Carolus quartus Romanorum Rex & Imperator viſitavit civitatem Lubeke, illac etiam conveniebant multi Almaniæ

Prin-

Principes, ibidem etiam Hamburgenſes Conſules aderant poſtulantes civitatis ſuæ libertatem, & inſcribi per amplius immediatè ſub imperio eſſe ſicut Lubecenſes, ad quod concludendum Henricus Comes cum adjutorio Henrici Ducis Megapolenſis qvi fuerat Imperatori multum carus, contradicebant hoc fieri non debere. Allegans quod eſsent ſui ſubditi, & in territorio ſuo ſituati. E converſo Hamburgenſes dicebant, quod dudum eſsent de manibus Principum Holtzatenſium libertati dediti, & quod ad nullum ſervitium tenerentur, vellent literis & ſigillis Comitum Holtzatorum clarè docere. Imperator autem interlocutus pro ferendà ſententia dictavit, Hamburgenſes ſub Dominio permanere Principum Holtzatiæ. Nam Hamburgenſes in ſignum libertatis imaginem Rolandi in Civitate ſuæ dudum elevabant, ſed hac ſententia reportata Rolandi imaginem projecerunt. Et in hodiernum diem dicitur in memoriam hujus facti Rolandi pons. Contingebat illis diebus, quod ſummus Pontifex Papa ceſsit ab urbe Romana in Bononiam non valens ſuſtinere Regis iram. Hic Papa audita Henrici Comitis Holtzatiæ in regno Franciæ victoria, qvia ejus nomen erat glorioſum, ob inde in diverſis mundi partibus prædicatum, fecit ipſum ad ſe ſuis literis bullatis accerſiri, ut Capitaneus ſuorum ſtipendiariorum & in campo & ſui exercitus eſset, multis donativis & beneficiis promisſis evocari. Cujus tanquam ſummi Principis literis & verbis confidens, & ut etiam peccaminum ſuorum veniam conſequi mereretur, caput eccleſiæ & ſancti Petri vicarium, eâ intentione ut patrimonium S. Petri defendere valeret, Italiam intrando viſitavit, & ad Papam Bononiæ devenit, ubi à Papa benigne fuit receptus, & ſicut prius literis ita & tunc propriis verbis Papæ multa fuerunt dicto Henrico Comiti promiſſa & ſtipendia larga eâ conditione, quod capitaneus Eccleſiæ in bonis S. Petri

tri apud urbem Romanam contra Regem Apuliæ exiſteret, & bona Eccleſiæ defenſaret. Conſenſu per Comitem Henricum adhibito, Papa Urbanus Sextus ipſum ad urbem Romanam Solemniter emiſit, & capitaneo ſuo quem ſuper exercitum in campo habuit ſcriptis ſuis præcepit, ut ab officio deſiſteret & Comiti Henrico traderet Principatus nomen, ac etiam mandavit exercitui toto, qvod in ipſum tanquam in caput Eccleſiæ attenderent & ejus mandatis obedientes eſſent ſine morâ. Cum autem Comes Henricus exiſteret aliquandiu in urbe Romana, habuit hoſpitium in ea publicum, prout moris eſt Italiæ. In cujus hoſpitio hoſpes & procurator dictus ex ſigno ante januam, Ad gladium, Theutonicus natus vir prudens intelligens mores Romanorum fraudibus & dolis plenos, exiſtens ſecum in via, qvando Comes Henricus, ſuper exercitum ſibi per Papam commiſſum volebat acceptare præeſſendi onus. Capitaneus autem cum eſſet cum ſuis in campo, præſciens adventum Comitis Henrici novi Capitanei, clam de ſuis aliquibus emiſſis armigeris per devia & extra communem viam, tanquam ſi eſſent vigiles & cuſtodes viarum, & longinqvo apparentibus in cacumine montium, ita ut remotè poſſent appareri. Hoſpes Comitis Henrici dixit, Domine mi videtis illos in montibus apparentes, aviſo vos quod iſti ſunt capitanei exercitus emiſſi famuli, & neminem qværunt niſi vos, nam per illam viam oportet nos tranſire, ingratè vult officium dimittere. Ipſe eſt Romanus plenus omni dolo, ſvadeo, ſi placet conſilium meum, quod revertamini ad urbem Romanam & prius plenius approbatis ejus voluntatem, antequam ad eum accedatis. Reſpondit Comes Henricus habeo ſummi Pontificis voluntatem & aſſenſum, qui ſibi ſcripſerat. Nihil habeo ſecum agere, ſi placet ſibi mihi præſentare officium capitaneatus ſto contentus, ſin autem noluerit revertar in viam meam

unde

unde veni. Non habeo aliquam inimicitiam, quod eum & ſuos fugere debeo. Neque mihi aſcriberetur in laudem, quod fugerem nemine terrente, neque etiam aliquando diebus vitæ meæ fugam de campo cepi, viſitemus in nomine Domini facies illorum, & videamus quid velint, dummodo ſcis me certificare quod apparentes ſint de exercitu Papæ. Reſpondit hoſpes: Domine, certifico vos quod ita. Quia nullius alterius hominis ſaltem de regno Apuliæ eſt hic aditus propter arctitudinem viarum, ſed timeo videbitis mortem veſtram, quia Romani ſunt doloſi. Attamen ſi non vultis retrocedere mutetis habitum veſtrum, ut ſi quærant vitam veſtram, quod non ita cito extinguimini. Comes autem faciens juxta conſilium hoſpitis mutavit veſtem, qua cognitus & indutus erat, & tradidit uni de ſuis famulis, & illius veſtes reinduebat, & conſimiliter de armis. Convenientibus hinc inde ſimul, apparitores ſubito in Comitem Henricum & in ſuos tanquam in hoſtes irruebant, è converſo Comite & ſuis clamantibus, Amici ſumus, nihil profecerunt. Sed interfecto in conflictu, qui erat ut Comes veſtitus, ceſſaverunt à plagis, audientes clamores & verba qui eſſent, ipſi autem reſpondebant: De urbe Romana venirent & miſſi eſſent à Papâ, & quod ille interfectus eſſet, quem Papa Capitaneum conſtituiſet ſupra exercitum ad quem tranſire volebant. Audito hoc verbo quod talis Princeps fuiſſet interfectus, apparenter multum dolebant, dicentes quod neſcientes hoc fecerant, & de hoc multum triſtarentur. Attamen dixerunt, miſſi ſumus à Capitaneo, & quoscunque invenientes, ſibi debemus præſentare, oportet vos ire nobiscum. Illis euntibus ad Principem exercitus, & audito verbo quod factum fuerat, Capitaneus ut videbatur, triſtis fuit dicens: O utinam viveret Princeps veſter! eſſem multum gaviſus, quale diffortunium quod ipſe præſens

ſens in congreſſu eſt occiſus, ſi viveret benignè eum reciperem. Alii ê converſo dicebant, mortuus eſt Dominus noſter, nihil habemus agere, niſi reverti per viam noſtram, non audentes confidere verbis capitanei. Tandem Capitaneus per juramentum confirmavit, ſi viveret Dominus illorum, quod ſecurè revelarent, nollet eum offendere. Tandem inito conſilio, quia captivi fuerant, eligerunt rei veritatem manifeſtare ſibi. Et ita fecerunt & dixerunt, Dominum Comitem vivere, oſtendentes perſonam ejus. Quem Capitaneus ut Principem decuit, cum honore magno acceptavit. Et inter multa verba dixerat Comiti, quod Papa defraudaſſet eum. Quia officium capitaneatus erat ſibi ad certum tempus commiſſum irrevocabiliter. Et quare ipſum de remotioribus partibus advocaſſet ad officium tale, antequam tempus ſuum exſpiraſſet, & ſi tempus reſiduum expectare vellet, ipſum ad hujusmodi officium admittere non curaret. Unde Comes Henricus liber dimiſſus & honoratus à Capitaneo Bononiam ad loqvendum ſuper hoc facto cum Urbano Papa reverſus eſt. Ubi per aliquot dies fuerat, & Papæ præſentiam ad loquendum ſibi omni die expectaret, videns ſe deluſum, & in ſumtibus deficere, & à Papa nullum habere ſolatium, etiam vix ſibi loquendi ſemel annuit aditum, præmiſit nuncium ad Comitem Aureolanum, nunc Ducem dictum Mediolanenſem, quia Carolus quartus eum prius Comitem creavit Ducem. Ad hunc Ducem miſit, cujus notitiam habuit, quia ſolebat illi de Holtzatia aliquando mittere Slaviones & venit ad eum Mediolanum, ubi honorificè acceptus dictus Dux ulterius miſit eum in Coloniam. Ubi Mercatores ſibi usque in Lubeck pecuniam ſub fide præſtiterunt, tali conditione quod Lubeck antequam propriam terram intraret, maneret, quousque pecuniam mutuatam ſolveret in toto & ita fecit.

CAP. XXVI.

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 90;Leibn. Marg. 90, Stück 1, [566] - 66
PUBLIC DOMAIN

CAP. XXVI.

HIc Henricus Comes dictus, ob magnifica opera ejus ferreus nuncupatus eſt, obiit Anno Domini, milleſimo trecenteſimo octugeſimo primo ſepultus in ſepulchro patrum ſuorum in Itzehoë honorificè, ut decuit Principem, præſente fratre ejus Comite Nicolao & Nobilibus terræ cum largis muneribus & oblationibus terræ commendatus. Comes Nicolaus Princeps benignus & humilis erga ſuos ſubditos & fideles, hic fratre Henrico exiſtente in remotioribus partibus ſupermanſit in patria, defendens eam clypeo & gladio contra Danos, Dithmarticos, & alios invaſores, quapropter multum collaudandus. Nam ut ſupra narratur, Rex Woldemarus extra terram pro tempore exiſtens, tamen regnum ſuum anhelavit gubernare. Et dicunt aliqui, quod una cauſa fuit, quare extra regnum eſſe voluit, ut magnam colligeret pecuniam ad redimendum Caſtra in Fune & Gottorpe cum attinentiis ſuis, quamvis ſine pecuniis ea libentius ſuſcepiſſet, prout ſæpius probavit. Nam caſtrum Hackenſchow, quod Benedictus de Alvelde tenuit, cum magno exercitu oppugnando circumdedit. Ante quod Caſtrum Rex in propria perſona fuit, & una die belli tempeſtatem prope Stormen attemptavit, primo cum ſcutiferis ſervitoribus, loricis Dominorum ſuorum indutis, quibus occiſis cum ruſticis idem fecit. Tandem nobiles curiales ejus dixerunt, quare gratis ſuos exponere vellet, quia dixerunt, non videtis, qvod non poterunt illis reſiſtere in caſtro, nec eos expugnare cum ruſticis, reſpondit eis, video vos nolle adire, ideo hos quos potero, volo anteferre. Nam mater ſcutiferorum & ruſticorum non eſt mortua, plures ſunt tales. Tamen coram caſtro prædicto, pluribus interfectis

fectis de ſuis fruſtratus voluntate ſua receſſit ab eo. Item in eadem Inſula Fune ante Vobarch, ubi Nicolaus Comes caſtrum ſtruxit in monte Manbarghe Rex Woldemarus Comitem Nicolaum adjuvit. Ubi Nicolaus Comes cum ſuis econtra expectavit Regem omni die. Et una die cum uxor prædicti Benedicti mortua eſt, & ſepulturæ traderetur, quaſi omnes Holtzatici ad exequias properabant, Rex percipiens hæc venit cum exercitu ad Nicolaum Comitem & bellum ſibi movit in monte prædicto Manberghe, vincens campum multis occiſis & captis de Holtzatis. Comes Nicolaus extincto in bello ſibi uno oculo, etiam per quendam militarem de parte Daciæ captivatus eſt. Extracta lorica & aſſumpta promiſſione ad redeundum capiens & victor Comitem Nicolaum licentavit ire quo vellet. Qvi reperiens notum ſibi, ſic vulneratus de campo receſſit ad ſua. De veſpere vel altera die cum Rex facta & obtenta victoria vellet ſcire qvaliter res in bello ſe habuit, & quid captum eſt, & qui captivi eſſent, venit unus cum armis, clipeo & lorica Comitis Nicolai. Rex autem videns hæc inter ſigna inquiſivit ubi manſiſſet ille, cujus hæc fuerat lorica, & qualiter ſe nominaſſet. Reſpondit Ledis, Nicolaum Holtzatum de Rendesborg ſe nominavit. Ad quod Rex reſpondit, verum nomen ſuum impoſuit ſibi, ſed ſi retinuiſſes eundem, ſecurior de ipſo fuiſſes. Nam dicitur *eſſe conſvetudinis*, quod Principes cum in bellis capiantur, niſi diligenter cuſtodiantur, redire non tenentur, etiamſi promiſerint reiterare. Idem etiam Rex Woldemarus obſedit civitatem Flensborch multis vicibus. Et ſemel una dierum ipſam incendio combuſſit. Prope hanc civitatem eſt mons altus & longus extendens ſe ſuper totam Civitatem. Hunc montem Nicolaus ad defendendam Civitatem Flensborch propter Regis inſultum fecit ſæpius cuſtodiri. Nam ruſtici

de

de Parochiis, Struevelde, Hademerſch, Weſtede, Nortorpe, Bornehovede, Bramſtede Koldenkerken de Kellinghuſen cum inhabitantibus paludem Wilſtriæ, hi dicuntur veri Holtzati. Et horum auxilio ſeniores Comites Holtzatiæ obtinuêre triumphos. Ex his elegit certos viros de magnis villis unum villanum, de parvis duabus villis unum. Hos qvando indiguit, habuit ſecum in armis. Nam dictus Comes Nicolaus ſic ordinavit, quod dicti ruſtici non offendebantur ab advocatis, & quod eqvos valentes tenerent, & arma haberent, præſertim pileum ferreum, ſcutum & trogam ſive diploidem ferrea brachialia & chirothecas ferreas circum amicti baltheis latis & amplis. Ruſtici autem remanentes domi ſtabant, expenſasque illorum qui fuerant cum Domino terræ in campis uſque ad reditum ipſorum in domos ſuas. Illis diebus hæc civitas non fuit murata, & qui civitatem voluerit retinere, oportebat quod montem cuſtodiret. Hic Comes Nicolaus concesſit civibus dictæ civitatis, ut eam muro cingerent pro tutela. Hic etiam Comes ad retinendam civitatem prope eam Caſtrum fecit novam domum, Nigehus conſtrui, ut rege veniente per terram poſſet prope eſſe. Hic Rex Woldemarus Caſtrum Dorninghe, ſuper quo Henneke Lembecke vi patrimonii poſſeſſor, duobus exercitibus circumdedit. Cum autem diu ante Caſtrum jacuiſſent, & Dominus caſtri in victualibus defeciſſet, ad ſubveniendum ſibi emiſit clam de caſtro aliquos de ſuis ad amicos ſuos Holtzaticos, ut intrarent ad eum clam in tempore noctis & ita factum eſt. Habuit etiam famulum Raſpe nomine, quem omni nocte de caſtro ad exercitus intromiſit perſcrutando quæ in illis agerentur, & quam haberent diligentiam in vigiliis & cuſtodiis ſuis. Et cum cibaria penitùs defeciſſent, & diutiùs obſervare non poſſet, nocte cum trecentis armigeris electis ex omni Holtzatia, committens claves

claves cuſtodi portæ dicens illi. Qui prior reverſus fuerit ad caſtrum, hunc intromittas. Exercitum majorem cum clamore magno Holſtenland Frowe von Hemmelticken introivit cum impetu, & ſubito cadens ſuper improviſos relinqvens aliquos pro cuſtodia exitus de exercitu, interficiens & captivans totum exercitum ex una parte ſituatum, cui alter exercitus ex alia parte Caſtri ſubvenire non poterat, retinens omnem ſupellectilem, omnia Clenodia arma & cibaria, avenam, ſiliginem, molitam, cereviſiam & medonem, baliſtas & breviter quicquid habuerunt. Et captivavit ultra ducentos validos & divites captivos. Alter autem exercitus his auditis fugam cito recepit, & non reſpiciens qvaliter abiret. Fertur etiam qvod hic Nicolaus Comes cum ultimus de progenie Weſtenſee obiiſſet, rogatus ab aliqvibus fuerat, qvod uni de tali progenie illegitimo is vellet arma reconcedere, & non ſinere ita eum ſepeliendo in ſepulchrum. Quibus reſpondebat, miſericors Deus (hoc erat commune verbum ſuum,) aſpriolus amplius non aſcendit arborem. Arma horum defunctorum fuerunt nobis valdè dura, amplius non reviviſcant. Nam rubeum aſpriolum deferebant in armis. Illi de Weſtenſee fuerunt militares valdè præpotentes & ſuperbi, & unus de tali progenie, cum qvodam Ludero Crummedick habuit caſtrum Rendesborg impignoratum per magnum Gerardi Comitem, quod filii ejus Henricus & Nicolaus volentes rehabere non potuerunt. Tunc opidani Henricum Comitem fractis ferris valvarum opidi intromiſerunt Dominum ſuum Comitem, & obinde dicti opidani fuerunt ab eodem Henrico & fratre ſuo Nicolao libertati dediti, quod exactionari non deberent. Et habito opido unus ſagittarius Comitis Henrici capitaneum in Caſtro ſagitta interfecit, & ita caſtrum reſtitutum fuit Dominis ſuis.

CAP. XXVII.

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 90;Leibn. Marg. 90, Stück 1, [570] - 70
PUBLIC DOMAIN

CAP. XXVII.

Dictus Nicolaus Comes habuit uxorem matrem Alberti Ducis Saxoniæ, qui machina ante Rekeling erat in uno crure percuſſus & obiit, ob cujus amorem eam ipſe fuit [etiam ipſe affuit cum] Dux Saxoniæ, Marſchalcus Elector Imperii, & Dominus Lunæburgenſis cum Lunæburgenſibus, Caſtrum *Luneburg* fregerunt, Et Magnum Ducem Brunſvicenſem tanquam Dominum abjecerunt, iſtum Ducem Albertum revocaverunt in Dominum ſuum. Attamen Magnus Dux retinuit caſtrum *Harborch*, unde Luneburgenſes multum vexabantur. Qvare ad petitionem illorum Dux Albertus dictum caſtrum obſedit. Et Comitem Nicolaum in auxilium poſtulavit. Cujus petitioni annuens, venit cum multis Holtzatis, & præſertim cum Villanis de palude Welſtriæ, quos cum rogaſſet ut ſecum in Hamborg tranſirent, ita proni & fervidi fuerunt ſibi ad famulandum. Cum Comes non plures quam ducentos in expeditionem poſtulaſſet ipſi reſponderunt, quod non tam paucis ſed cum pluribus ſcilicet mille ſibi ſuccurrere non formidarent, & ita mediantibus illis de Wilſtriâ cum pro illo tempore hæc palus fuerat plena hominibus & divitiis, caſtrum Harborg cum machinis vicit. Et aliquandiu pro expenſis proinde factis in pignus retinuit ad cuſtodiendum. Hic Nicolaus Comes poſt obitum Regis Waldemari in terra ſua ad tempus ante finem vitæ ſuæ pacis reſpiramen habebat, & Deum cœli glorificabat, qui eum à tam potente Rege & inimico ſuo liberabat. Hujus etiam tempore contingebat, quod Comes Adolphus ab hac vita ſine herede deceſſit. Nam dictus Comes Adolphus majorem partem Holtzatiæ terræ hereditatio jure poſſidebat ab antiquo. Nam pro-

avus

avus hujus Adolphi, etiam Adolphus vocatus, qui exinde ut terram Holtzatiæ, qvæ fuit quaſi tota ſub poteſtate Regis Canuti Daciæ poſſet eripere de manibus ejus, quod ſibi impoſsibile humano modo fuerat, voto ſe aſtrinxit recurſum habens ad Deum omnipotentem, ut ſi triumphator exiſteret, ordinem Franciſci Sancti fratrum minorum intrare vellet, prout etiam prius narratum eſt, Deo cooperante ad implevit. Hic Adolphus Comes erat de domo Schowenburgenſi natus, prout etiam plures ante eum de tali domo nati, etiam nominati Adolphus rexerant terram Holtzatiæ in magna virtute ab inirio Chriſtianitatis. Qvando intravit ordinem habuit duos filios, unum dictum Johannem, alium Gerardum. Ab his fuit terra Holtzatiæ diviſa. Senior Johannes majorem & pingviorem partem retinuit ſcilicet terram Wagriæ, Kyl, Plone, Lutkenborg, Oldenborg, Oldeslo, Segeberge, & partem paludis ab una parte fluminis Store à Bredemberge usque ad Albeam & Hamborg. Alter autem frater junior Gerardus reliquam partem, qvanquam invitus recepit Idzeho, paludem Wilſtriæ, Hanrow & Rendesborg. Iſte Johannes Comes, qui majorem partem terræ retinuit, fuit avus hujus Comitis Adolphi ſine heredibus defuncti. Comes Nicolaus ſuperſtes, qvi erat pronepos primi Gerardi & poſſeſſor terræ Holtzatiæ de conſenſu ſeniorum Conſiliatorum terræ, totam terræ Holtzatiæ reduxit in unum Dominum datis pecuniis, & certa parte terræ in palude Crempis ipſis Comitibus Adolpho & Bernardo fratribus Dominis Schowenburgenſibus, qui in uno gradu proximiores fuerant pro parte hereditatis ſuæ.

CAP. XXVIII.

CAP. XXVIII

POst mortem vero Waldemari Regis Daciæ filia ejus Margaretha habens filium unum ex Rege Norweyhaken, cujus uxor, erat nomine Oleff, adolescentem in Regno Daciæ assumto diademate & sceptro regni valde astutè cepit regnare, & regnum Daciæ, Sweciæ & Norwegiæ duxit in unum. Nam Albertum Regem Sweciæ in lites movit ex eo, quod regnum per vim occupaverat, adducto exercitu in bello vicit, & septem annis eum in vinculis tenuit, & totum regnum revocavit. Regnum autem Norwegæ jure hereditario ad regnum Daciæ cum aliis regnis cumulavit. Isto tempore dicta Regina astutissima mulier plures ignes simul eodem tempore accendere nolebat, advocans Nicolaum Comitem Holtzatiæ & cum eo perpetuæ pacis fœdera stabilivit, & ipsum in patrem elegit, & supernominavit. Ac Comitis Henrici ferrei fratris sui filio Gerardo de consensu Consiliariorum totius regni cum solemnitate debita, cum banderiis in castro & oppido Nuborch in terra Fumia totum ducatum Jutziæ sive Sleswicensem sibi & hæredibus suis ipsa Regina, cum prædicto suo Rege Olavo tunc adulto in throno majestatis sedentes coram multis astantibus Episcopis, Prælatis & nobilibus regni Daciæ ac terræ Holtzatiæ concessit in feudum perpetuo possidendum. Dictus Gerardus tunc Dux Sleswicensis creatus & intitularus, flexis genibus coram Rege Olavo, investitura ducatus accepta dicto Regi Olavo & Regni successoribus fecit homagium pro se & hæredibus suis, & fidelitatis præstitit juramentum: Consimiliter senior Comes Nicolaus & Albertus dicti Gerardi Ducis fratres juramentum fidelitatis præ-

ſtiterunt. Dux vero Gerardus illuſtris pro ſe & ſuis veris hæredibus armis ſubſequentibus demum fuit inſignitus &c.

Comes Nicolaus ſtrenuus in armis cum Dithmarticis ſæpius habuit conflictum, quia Dithmartici ſunt in conſvetudine, quod ſua omnino volunt illæſa retinere. Et quando injuriantur à ſuis vicinis in modico damno, per vim duplum rapiunt viceverſa. Et cum ipſi damnum inferunt terris adjacentibus pro nihilo reputant, & dicunt quod non ipſi ſed eorum fatui hoc fecerunt. Si ex eis aliquis ab extraneis interficitur, hunc pro centum marcis antiqvis ſolvi volunt, & idem jus obſervant in occiſis ab eis, ſed cum difficultate jus ab eis haberi poteſt. Hi Dithmartici ſine Principe & capite viventes faciunt, quæ volunt. Et una dierum exierunt aliquando de eis rapinam in terra Holtzatiæ faciendo. Et Comes Nicolaus cum pro illa vice propter ibidem adeſſet, & audito hoc cum paucis ſuis curialibus de menſa ſua triginta, & Collectis Holtzatis de parochiis, Stenevelde, Hademerſchen inſecutos eos propè terram ſuam in loco, qvi dicitur Tipperslo, rapinam ducentes. Qvi Nicolaus unum de ſuis præmiſit ad videndum potentiam, & multitudinem ipſorum. Qvi reverſus dixit, tot ſunt qvod impoſſibile eſt nobis, illos vincere poſſe. Cui reſpondit: Miſericors Deus, cur incutis nobis timorem, volumus approximare illis, & videre eos qui rapinam ſubditorum noſtrorum ſecum ducunt. Dolemus enim & eſt crimen noſtrum, ſi ſic nobis præſentibus evadant, & ita cum ſuis acceſſit propius. Et ipſi Dithmarci ex adverſo ſtabant, lanceis ſuis ante ſe fixis in terra, acies lanceorum ſolum oſtendentes. Ubi dictus Nicolaus Comes dixit. Hic ſunt juvenculæ choreas ducentes, qui per amplius voluerint honorari intret mecum nomine Domini hanc choream. Ordinata acie & diſpoſitis aliqvi-

liqvibus eqveſtribus, qvi à retro Dithmaricos invaderent, in Dei nomine bellum intravit. In qvo bello unus ex Dithmarticis forte indutus dyploide Comitem Nicolaum præ aliis pugilem diu ſecum pugnando elegit, quem non propria vi, ſed divina reverſa manu cum gladio à ſummo usque ad ſellam eqvi uno ictu per medium diviſit. Et tandem victis & occiſis multis de Dithmarciis in bello ipſe Comes Nicolaus victor permanſit. Et tot de Dithmarcis majoribus fuerant percuſſi, quod eo vivente non amplius exire ſuam terram præſumebant. Et ex poſt ipſi Dithmartici cupiebant pacem cum Holtzatis. Literæ treugarum inter ipſum Comitem Nicolaum & ipſos Dithmarticos in hunc modum fuerunt confectæ. Qvod ipſi Dithmartici debent eſſe liberi in terra Holtzatiæ ab omni novo telonio & exactione & eorum navigia in Egdora & Trejia, & qvod nullum damnum per terram Holtzatiæ ipſis debebat inferri, qvod ſi contingeret Holtzatii hoc reſtituere debent. Et quando Holtzati ipſis damna ingerunt infra menſem debent compenſare. Et ita viceverſa. Omnes articulos ipſi Dithmartici literis & ſigillis ſuis Comiti Nicolao ſigillarunt. Iſtis ſervatis debuit pax eſſe inter ipſos ſemper. Et qvi alterius voluerit fieri inimicus, debet ad ſex hebdomadas ante parti adverſæ notificare diffidationis diem. Et ita ad tempora Gerardi Ducis, obſervatum fuit. Idem Nicolaus Comes clemens & humilis fuit erga ſubditos ſuos, qvando ruſtici offenſi ab advocatis ſuis fuerunt, ipſum Comitem in propria perſona viſitabant, proponentes coram eo verbum ſuum. Et pro conſvetudine habuit ex clementia libenter eos audire. Et qvando ruſtici leniter ad eum acceſſum habere non poterant, ipſe declinavit ad eos inqvirens, ſi aliqvid eis obeſſet. Et qvicqvid ei dicere habebant, ipſe audiebat, & ſæpius ſententiam pro eis contra advocatos ſuos tulit. Nam

antiqvam libertatem voluit eis omnino ſervari. In officiis divinis cum ſenuerat erat ſedulus, & perſonis Eccleſiaſticis & Monaſticis erat benevolus. Nam in Monaſteriis Comes Adolphus ſuos venatores cum canibus tenere ſolebat. Deqvibus tam venatoribus quam canibus Monaſteria gravabantur nimium. Hunc abuſum delevit, & Monaſteria à tali onere liberavit, qvare Monaſticæ perſonæ pro eo ad Deum intercedere ex debito ſemper tenerentur. Hiſtrionibus & adulatoribus non attendebat. Nam ſemul unus magnus Hiſtrio & adulator de regno Daciæ venit ad eum in Idzehoë portans ſecum plures veſtes pretioſas & ornamenta aurea ſignorum armorum Danorum nobilium quem introeuntem ſuam curiam ad infimam menſam fiſtulatorum juſſit ſedere. Poſtmodum prandio facto miſit quatuor ſolidos ad bibendum pro quo facto unus de conſiliariis ſuis dixit. Domine non decet vos tam magnam perſonam quam omnes ita clenodiis ornaverunt & honoraverunt, tam exiguo munere ſalariare. Ipſe enim veniens ad alios Principes redarguet parcitatem veſtram, & vos infamat. Cui reſpondit, miſericors Deus, qvid ille Ribaldus qværit à me, cum ipſe prætioſiores veſtes me portat? Et in qvo vilis neqvam me poſſet infamare? Nihil à me amplius habebit. Comes iſte Nicolaus obiit in Curia Oſterhoff prope Idzeho, Anno Domini milleſimo, qvadringenteſimo, plenus dierum bonorum & bonæ famæ. Et ibidem in ſepulchro patrum ſuorum terræ commendatus. Hujus ſolemnes exeqviæ factæ non fuerant, ſed remiſſio modo, qvi Domino Jeſu feliciter nunc, & in ævum reqvieſcat in perpetua pace Amen.

CAP. XXIX.

CAP. XXIX.

GErardus Dux Sleſwicenſis & Holtzatiæ Comes duxit uxorem de ſtirpe regia & imperiali *de Domo Brunſvicenſi*, ſororem Ducum Bernardi, Henrici, & Friderici nomine Eliſabeth, de qua tres filios generavit, Henricum, Adolphum, & Gerardum. Et duas filias. Una copulata fuit Balthazero Domino Slavorum, de quo non generavit. Sed demum poſt Viri obitum, ſecundo fuit tradita Comiti Theodorico de Oldenborg robuſto, â qvo genuit filios tres, Chriſtianum, Mauritium & Gerardum, & filiam unam nomine Alheydis traditam nobili Comiti Erneſto de Arnſten & in brevi obiit in Domino. Secunda filia fuit per Margaretham Reginam Daciæ tradita Chriſto in matrimonium, in clauſtro Waſten in Swetia ordinis S. Brigittæ virgo conſecrata. Hæc virgo Jugeborch nomine, tranſactis aliquibus annis electa fuit in matrem dictæ domus Waſten cum majori reverentia qua decuit, & tam in ſpiritualibus quam in temporalibus domui & perſonis monaſterii præfuit glorioſe. Gerardus Dux Sleſwicenſis habuit fratres duos Albertum & Henricum. Iſte HENRICUS init ad Studium Erfordenſe, & electus fuit Epiſcopus Oſnabrugenſis, facta ſecum diſpenſatione à ſede Apoſtolica manſit ſine ordine ſacro. Albertus Comes duxit uxorem de Domo Ducum Saxoniæ, ſed non diu ſupervixit, ideo heredem non reliquit. Nam Ericus Dux Saxoniæ gener ejus Dithmarticorum inimicus intrans per terram HOLTZATIÆ ſpoliavit Dithmarticos & receſſit per terram Comitis Alberti in domum ſuam, ducens Dithmarticos captivos nemine prohibente, ea de cauſa Dithmartici conquerentes Duci Gerardo Archi Epiſcopo Bremenſi, & conſulibus civitatum Lubicenſis & Hamburgenſis, atque aliorum, quod contra Deum

um & juſtitiam & contra eorum privilegia à Duce prædicto per terram Comitis Alberti forefacti conſcii erant, ſubſide prædati, rogantes prædam reſtitui, damna reſarciri atque talia emendari. Qvapropter Dux Gerardus fratre ſuo Alberto ad ſe vocato, coram conſiliariis utriusque quod ſic ducem cum rapina permiſiſſet quiete per terram tranſiſſe, ipſo non conſcio & ſine culpa ſua non eſſe potuiſſe, publicè fratrem ſuum inculpavit, allegans honorem parentum fuiſſe, ſemper ſervaſſe fidem. Et quod jam à Dithmarticis fidei fractores dici deberent, eſſe conturbatus. Ad quæ Comes Albertus reſpondebat, & juramento affirmabat, quod neſcius fuiſſet facto & conſilio Ducem Ericum Dithmarticos velle ſpoliare, & hæc per terram ſuam duxiſſe eo etiam neſciente. Qvo audito Dux multum fuit gaviſus, & ſtatim uterque tam Dux quam Comes reſcripſerunt talia per Dithmarticos querelata fuiſſe, & eſſe non vera, & Dithmarticos propter figmenta prædicta ſtatim diffidabant. Dithmarti-ci audita Comitis Alberti innocentia pœnitentia tacti per conſules Civitatum Lubecenſis & Hamburgenſis & cœterorum ut dicitur pacem requirebant. Addentes ſi in aliquo per ſcripta ſua peccaverunt, vellent emendare arbitrio bonorum virorum. Iſto non obſtante Dux & Comes non confiſi verbis adulatoriis Dithmarticorum ſolam vindictam conſequi prætendebant. Et in hoc iſtorum Principum apparebat, ut timetur, Zelus vindictæ, non humilitas neque clementia. Iſti Principes fuerunt Juvenes, & inexperti: Eorum conſiliarii, potentes, divites elati, ambitioſi, & dictos Principes ſe ad vindicandum multum induxerunt, ut dicebatur. Conſules dictarum civitatum pro concordia erga Principes prædictos ſæpius niſi ſunt. Ponentes dies placitos inter eos, ſed nihil proficere potuerunt. Tandem Principes prædicti Dux & Comes cum magna potentia terram

Dith-

Dithmarticorum intraverunt, caſtrum ante Meldorpe in Delsbrugge ſtruxerunt ſatis forte. Ad quod poſtmodum deponendum, Dithmartici ſe congregantes, multos ante caſtrum iſtud interfectos, plures vulneratos reportabant. Altera vice iterum cum potentia venerunt in Meldorpe Dux & Comes, ubi milites percuſſerunt plures ob victoriam oppidi talis. Sed eadem die nullus ex Holtzatis in eo audebant pernoctare. Caſtrum Hanrowe ante terram Dithmarciæ Dux & Comes munierunt palis longis & ligneis & novis domibus atque foſſatis. In quo caſtro Henricus de Alefelde miles capitaneus, & quaſi totius exercitus exiſtebat caput. In quo caſtro erat præſidium contra Dithmarticos pugnantium. Inſuper de caſtris Svaveſtede & Tilimburg Dithmartici vexabantur, & vice verſa Dithmartici quotqvot comprehendebant crudeliter ſine miſericordia necabant. Pluries & ſæpiſſimè Holtzati cum Dithmarticis habebant conflictum, aliquando iſti, ſæpè illi perdiderunt. Inſuper Dux cum Comite intravit terram Dithmarciæ in Northamme. In qva expeditione Comes Albertus præ nimia commotione iracundiæ, eò quod majores de exercitu noluerunt eum audire, datis calcaribus eqvus curſum fecit, & improvidè cadens cum equo læſit ſe multum poſtmodum in breve obiit videlicet Anno Domini milleſimo, quadringenteſimo tertio in profeſto Michaelis & ſepultus in Idzeho. Attamen Deus illa vice reſpexit Holtzatos in laqveo poſitos & concluſos per ventum validum flantem aquas maris ad Egdoram ita ut agger Ulendam inter Dithmarticos de Heide, & illos de Northamme à vi & inundantia aquarum rumpebatur. Alias illo tempore in Northamme omnes occiſi fuiſſent. Et eſt illa pars terræ circumamicta palude ceſpido molli ab una parte, reliqua parte Egdora, & parva ſemita, & aditus ejus per quam oportuit omnes intrare, & exi-

& exire. Et ita Deo dante exibant cum rapina magna vice illa.

CAP. XXX.

NAm dicta terra Dithmarciæ à parte Albeæ est flumen magnum, intrans mare Occidentale & invincibile navigio accedendo eam. Et bis in die naturali, h. e. ab ortu solis usque ad ortum talis habens fluxum & refluxum, proprie Ebbe und Floth. Terra Dithmarciæ extendit se in longitudinem penes ripas Albiæ, & in fluxum crescit usque ad aggerem, in refluxu diminuitur, & decrescit in recedendo quasi ad medium milliare converso ab aggere, ita quod tunc terra illa est sine aquis. Et illa terra per quam bis in die ista aqua pertransit manet humida, mollis, ut lutum lubricum, ita quod nec pedester neque eqvester est illac transitus. Etiam navigio non potest fieri accessus, & recedente aqua manebant in humo naves. Et non possunt applicari naves magnæ etiam in pleno refluxu. Qvare à parte Albiæ non est accessus ad eam saltem cum multis contra velle ipsorum à parte meridiana, ab occidente est flumen Egdora, etiam habens fluxum & refluxum, fluens inter Frisones & Dithmarciam, & ab Albea munit terram illam, usque in Tilemborg, à Tilemborg usque Alverstorpe sunt desertæ paludes immeabiles. Et ab inde à parte aquilonari à terra Holtzatiæ est acsensus satis largus sicco pede in terram illorum. Et ex consequenti ab oriente est palus Wilstriæ, etiam satis strictus accessus ad eam. Hæc eadem terra Dithmarciæ inter se ipsam hinc inde, in diversis suis angulis est multum firma & paludibus custodita, multis nominibus nuncupata, Suderherstede Bocklemburg, Norderherstede/ Alverstorpe, Tellingstede. Leviter hæ parochiæ sunt

ſunt deſtruendæ in ſicco ſine munitione poſitæ. Aliæ autem parochiæ in Suderſtrandte/Eiderlande Brunsbuttel & Merue difficulter, parochia major totius terræ Meldorp minus difficulter deſtrui poteſt. Sicut parochiæ infra Hammen conſtitutæ, Honningſtede, Lunden & Weddingſtede veluti in Northamme, ſed tam cum magna potentia oporteret has partes aggredi. Sed quid hæc? Nam tota potentia & cor terræ totius eſt in Nortſtrande in parte parochiæ Meldorpe, Oldenwurden, Weslingburen, Buſen, Nigenkerke & Hemmel. In his parochiis majores honorabiliores & ditiores morantur, & acceſſus valde difficilis eſt ad eos. Inſuper Dithmartici ſunt fortes viribus audaces & agiles, communiter longæ ſtaturæ ſine multis carnibus complexionati, & hoc ſemper præſupponentes terram & patriam ſuam liberam ſine exactione ſemper retinere, aut mori in continenti pro libertate patriæ. Etiam cum inimicitias in terram habuerint, omnis diſcordia inter eos ſemper & tamdiu manebit ſopita, quo usque finem ab extra habent litis ſuæ, ſunt infideles ſi capiantur, fidem non ſervant, pecuniam pro redemptione corporis ſui ſi captivi deportantur, etiamſi divites ſunt, dare non habent poteſtatem. Immitiſſimi homines quotquot reperiunt necant crudeliter, occiſa corpora non tradunt ſepulturæ neque ab amicis occiſorum permittunt tradi. Frußtra contendunt dicti Dithmartici, & minantur in propria in invicem verbis contumelioſis, ſpicula ** & non auſi ſunt gladium evaginare. Immorigerati, cætera proprias ades, alimenta vorant, ut canes, illudantur etiam corporibus exanimatis, nudant illa. Et mulieres Dithmarticorum ſunt ut feræ, & lupæ rapaces, pro majori parte capita oblongata, ut ſues habentes, audentes interficere, illudere. Et etiam ſtomachos ex corporibus defunctorum extrahere & ſuper altos baculos ponere *divinantes* in illis. Etiamſi terram illorum

lorum qvisqvam devicerit, fides non eſſet eis adhibenda. Et ſicut priores ſuos Dominos interfecerunt, ex conſequenti foret timendum & ſeqvaces. Dicitur commune verbum in propria terra illorum deriſorie, oſtende manum, creſcunt crines in ea, eſt tibi credendum. Unde qvidam Carminator dixit de eis. Eis tu credideris, crines ſi non inveneris in ſuis manibus? Æſtimatur qvod Dithmartici citius per cautelam & attractionem aliquorum majorum de ipſis datis muneribus & exaltatis illis contra alios, qvam per potentiam ſubjici poterint. Sunt avidiſſimi homines, & libentiſſimè capiunt munera, & ita forte perpetrarent inaudita. Unum etiam attendendum qvod terra ipſorum eſt multum populoſa, & ad ſex millia virorum electorum, ad bella valentium, & ad minus cum tot electis armigeris exercitatis, absqve vulgo foret eis occurrendum, qvod potius mori cupiunt liberi, qvam in ſervitute vivere.

CAP. XXXI.

Iſta diſcordia inter hos de Holtzatia & de Dithmarcia aliqvamdiu ſtante. Ac etiam Conſules de civitatibus Lubecenſi & Hamburgenſi interponentes ſe libenter vidiſſent pacem inter eos. Dux autem Gerardus præmortuo fratre ſuo Alberto noluit pacem cum Dithmarticis, niſi ipſi ſubjectis & factis tributariis, qvod Dithmartici annuere noluerunt. Neqve Conſules civitatum hoc conſulere voluerunt. Et ſic ſuſpicabatur contra prædictos Conſules per Dominum Ducem non immerito. Interim Dithmartici convenerunt ad demoliendum caſtrum in eorum terra noviter in Delffbrugge conſtructum. Ubi pluribus ex ipſis interfectis & Capitaneo Baleff Boykenſſorem *pixide* eliſo & capite ejus ſuper

per palo poſito confuſi receſſerunt. Vice verſa Holtzatici totam terram Dithmartiæ in ſicco poſitam igne combuſſerunt. Vaccas, eqvos, oves & boves, capras & porcos, & multos homines captivos reducentes. Reliqvi autem de ſicco inpaludem hinc inde fugiebant ibidem ſervientes. Demum Dithmartici Domino Duci per prædictos Conſules de Lubek & Hamborg, ut pacem habere poſſent magnam ſummam pecuniarum ut dicitur ſolvere & dare una vice præbuerunt. Dux autem ratione motus noluit ita, ſed quod ſemper annuatim tributum ſolverent, & eſſent ſubditi ſui poſtulabat. Habuit enim à progenitoribus ſuis privilegium antiqvum forte & magnum ſigillatum per univerſitatem dictæ terræ Dithmarciæ. In quo proteſtantur fide præſtita corporali, perpetuo ſe obligaſſe nobili viro Domino Gerardo Comiti Holtzatiæ & ſuis juſtis hæredibus ipſis aſtare, eosdemque manu juvare in diſtrictu Dominii ſui & extra, contra qvemlibet hominem ipſos infeſtantem, ac pacis eorum tramitem modo aliquo perturbantem. Audi hic novum mirum illud privilegium eſt, de datis milleſimo, quadringenteſimo quadrageſimo octavo, inter alia privilegia Principum terræ ſanum & illæſum. Hoc faciendum Dithmartici renuerunt, ſed propter pacem ultra ſummam promiſſam ipſi Duci & ſuis hæredibus diſſimulabant velle ut apparuit contra inimicos terræ Holtzatiæ in aliquibus perſonis de terra ſua ſubſidium deferre, ut & ipſi vice verſa eſſent defenſi, ſed non expreſſè ut tenebantur juxta tenorem privilegii, de quo, ut ſupra. Super iſtis placitis partibus deliberantibus Dux Gerardus magnum interim collegit exercitum, & quod placitis verbis habere non poterat, per vim jure ſuo medio conſequi anhelabat. Et in die Oſwaldi Regis & matris, anno Domini milleſimo quadringenteſimo quarto in manu forti in Suderhamme bello ordinato cum

cum pluribus intravit. Hæc Suderhamme habet munimen foſſata duo vel tria in palude & ſylva condenſa poſita, & tali ſylva eſt ſtricta via lapidea ad baliſtæ jactum poſita, ubi dictus Dux Gerardus cum ſuis intravit, & vexillum Sagittariorum cuidam Henrico de Alvelde militi commiſit. Alterum vexillum Nicolao de Alvelde ſuo fratri præſentavit ad habendam tutelam ſuper ſagittarios. Dictus autem Henricus de Alvelde pompoſè ſe habens collecto ſpolio vaccarum & incendio facto aliquarum domorum de Parochia Lunden & Weddingſtede, etiam unum molendinum ad ventum ſeu *flemulam* deſtruere aliquandiu nitebatur. Ita ut Dithmartici interim colligere ſe valebant, & hi duo fratres Henricus & Nicolaus de Alvelde milites nullus alteri deferre volebat, neqve præire, quamvis Henricus præire debuiſſet, ſed ut virilis & intimidus appareret, diutius expectavit. Duce autem Gerardo in dicto loco Hamme manente cum ſuis & expectante, ſpolio ante emiſſo, cum ruſticis terræ Holtzatiæ verſus Hamrow. Et illis fratribus de Alvelde advenientibus ſcutiferos ante ſe exire coëgit. Ex quibus ſcutiferis à Dithmarticis ſuper foſſatum advenientibus aliquibus interfectis, & rumore facto inter juvenes, Dux æſtimans quod ſcutiferi ut ſolent inter ſe diſtrigarent ac volens eos compeſcere, veniens ad locum rixarum, ut ſibi videbatur, deferens baculum, propriè einen Blochſtöcker in manu, Dithmartici ipſum videntes vulnerando in caput, ſuper quod pileum ferreum non habebat, ſtatim occidebant, nemine de ſuis armigeris ſecum exiſtente. Quo occiſo ſtatim horribilis inter juvenes clamor & rumor inopinatus factus eſt omnibus per prædictam ſylvam Hamme ad terram Dithmarciæ retrocedentibus, unus contra alium, ſe invicem prementibus, & ad terram de equis cadentibus præ anguſtia & timore ſpes ſalutis eſt adempta. Aliquibus con-

conſulentibus & dicentibus equos abjiciendos & pedeſtre abeundum, aliis vero renitentibus & in ſuos eqvis manentibus priores & ante ſe proprios ſuos commilitones multos ſupprimebant. Et qvotqvot de equis deſcendebant in dicto loco interfecti manebant. Et quilibet de Holtzatis & exercitu Ducis elegit, qvomodo extra dictam Hammen exire valebat. Aliqui dimiſſis equis ad paludem immeabilem ex utraque parte Hamme tranſeuntes æſtimando ſe poſſe pertranſire, aliqui etiam equitantes ad Heidam, & ſic evadere poſſe arbitrati qui omnes interfecti ſunt, alii & quam plures per viam Hamme qua intrabant ubi à dextris & ſiniſtris ſuper foſſatum ſtabant, Dithmartici lanceas in manibus habentes pertranſientes vulnerabant, plures de equis dejiciebant ad terram occidentes. Et in hac via plures equi vulnerati jacentes & calcitrantes, ita quod inæſtimaliter à manibus Dithmarticorum divina favente gratia evaſerunt. Et dicebatur quod pauci ſcilicet duodecim nudi de Dithmarticis à principio ſcilicet Ducem & juvenes ſcutiferos invaſerunt, & quod Deus cœli dedit illis triumphum tali die. Et omnes electi de Ducatu Sleſwicenſi & terræ Holtzatiæ, tam in Nobilibus quam in civibus & Colonis remanſerunt. Nam gemma & lucerna Holtzatiæ in præclariſſimis viris fuit proſtrata, illuſtris Princeps primus Dux Gerardus Sleſwicenſis devotus & pius non demeritis ſuis ſed Conſiliariorum ſuorum irrecuperabile damnum illis remanſit. Hennecke Lembecke bellicoſus & victorioſus contra Regem Daciæ. Hic ut agnus occiſus fuit. Wolff Poggewishe miles bonus dictus ab omnibus. Ambo illi prædivites fratres Henricus de Siggem, miles Marſchalcus, & ove de Siggem, & quamplures milites in numero ultra duodecimum de Holtzatis, de extraneis Gerardus Schulte miles, ita quod in numero ultra trecentos nobiles illo

illo die in hoc loco fuerunt trucidati. Qvorum & omnium interfectorum animæ requieſcant in pace. Hac ſtrage facta inventi fuerunt duo ſcilicet Wolff Poggewiſche junior & unus Ranzow inter interfectos viventes, quos pro victoria in vita reſervabant, per quorum redemptionem caſtrum in Delffbrugge conſtitutum viceverſa demolitum. Corpora vero interfectorum, præter corpus Domini Ducis, quod magnis precibus fuit redemptum, & forte aliorum trium vel quatuor, quaſi canibus ad devorandum data inſepulta remanſerunt. Corpus Domini Ducis in Idzeho traditum fuit ſepulturæ: vexillum unum Ducis in Meldorpe in Eccleſia aliud in cor terræ, hoc eſt in Oldenworden in Eccleſia pro memorabili facto alte in baculo ad videndum collocabant. Multa Spolia in electis equis armis veſtibus & armamentis de margaritis congregabant. Qvia nunquam ante neque etiam poſtea ad longa tempora recordabantur, ita Holtzatos cum clenodiis margaritis, aureis & argenteis veſtibus ad bellum proceſſuros.

CAP. XXXII.

HOc bello peracto iterũ fuerunt treugæ Dithmarticos in terra Holtzatiæ in Egdora & Treya ſine telonio liberos eſſe, atque nullum damnum per terram Holtzatiæ ipſis ingeri à quocunq; & ſi factũ fuerit ſtatim reſarciendum fore, & ita vice verſa Holtzatos in terra Dithmarciæ ſine telonio eſſe, atque nullum damnum ipſis per eorum terram Holtzatis fieri aliquo modo. Et iſtis ſervatis debeat inter Holtzatos & Dithmorticos firma pax eſſe. Ita videlicet quod cui non placuerit ſexta hebdomada ante parti inimicitias nunciabit & diffidabit. Et ſi alicui ex utraque parte aliquid nocitum fuerit, de-

debeant majores terrarum Holtzatiæ & Dithmarciæ ſuper hoc in termino in loco placito convenire & damnum planare ſine mora. Relicta Domini Ducis Gerardi Eliſabeth flebilis & mœſta hæc placita treugarum ſub brevi ſtilo Dithmarticis ſigillo ſuo roboravit neceſſitate urgente. Ac Dithmartici vice verſa ſigillo terræ ſuæ conſimiliter fieri decreverunt. Patria Holtzatorum iſto tempore ſub triſtitia remanente. &c. Dictus Dux Gerardus reliquit poſt ſe tres filios heredes, Henricum ſeniorem ſeptem annorum, Adolphum quaſi trium annorum, & Gerardum adhuc in utero matris exiſtentem, ac duas filias unam per Reginam Daciæ in Monaſterio Waſten in Swecia, ubi S. Brigitta dicitur eſſe ſepulta, ibidem perpetuo ad ſerviendum Domino Deo fuit religioſa facta. Altera autem fuit Domino Balthazaro de Wenden & eo mortuo Comiti de Oldenborg nuptui tradita, à quo filios generavit, prout ſuperius totum narratum eſt. Horum trium filiorum mater aſsumpſit tutelam, & totius terræ dominatum tam Ducatus quam Cometiæ Holtzatiæ una cum aliquibus tutoribus, quos Dux ante obitum ſuum conſtituerat, videlicet Ericum de Krummedick militem, Siefridum, Laurentium Heeſten etiam milites cum ſociis ſuis. Henricus Comes Epiſcopus electus Oſnabrugenſis diœceſis dicti Gerardi Ducis Frater germanus in ſacris non exiſtens, percipiens necem fratris ſui relicto Epiſcopatu ſe ad terram Holtzatiæ ut heres tranſtulit abſque mora. Quo terram intrante aliqvibus ſibi faventibus primo opidani terræ ſibi portam aperiebant, & caſtrum etiam Segeberge reſtitutum fuit, & demum Rendesborg quamvis renitentibus Duciſſa matre patruelium ſuorum & tutoribus eorum, tamen terram in parte gubernavit. Et unum de capitaneis Hartwicum Heſten in Barmſtede manu forti proſtravit. Qvo victo reliqui Capitanei ipſum regere permiſerunt; Et ſic fuerunt

runt bella intestina in terra Holtzatiæ & etiam Ducatus. Qvia mulier & multi tutores simul regere non valebant. Neque etiam Comitem Henricum ad regendum in tota terra admiserunt, quamvis in se bonus ex toto fuerit, itaque dissensiones regentium, prædones viarum, exactiones subditorum, & talis error in terra & in vicem malorum futurorum.

CAP. XXXIII.

NAm Margaretha Regina Daciæ, quæ trium regnorum sceptrum gerebat, post obitum filii sui Regis Olavi, non habens in regno suo successorem de domo & stirpe Ducum Pomeraniæ, qvi ejus cognati fuerant, unum in Regem Daciæ, Sweciæ & Norwegiæ, qvem Ericum in coronatione nominavit, solemniter assumsit, cum quo dictorum regnorum jura possidebat. Hæc Regina ultra modum fuit astuta, videns & sentiens post obitum Ducis Holtzatorum regentium multitudinem & discordiam æstimans Ducatum Jutziæ Sleswicensem recuperare posse, & successive ilload Regnum Daciæ rehabito cum castris etiam habere viam ad Holtzatos terra marique Civitates de Hensa Lubek, Hamborg fore subjugandas: cum consiliariis regnorum suorum tale subiit Consilium, inter duo quid eligendum. An propter necem dicti Ducis Gerardi in Dithmarticos filios Ducis orphanos vindicaret, & terram Dithmarticorum subjugaret? An successive per bonam fidem castra Ducatus per pecuniam in pignus acquireret? & majores terræ datis muneribus attraheret sibi, & tandem habita voluntate sua in terra Holtzatiæ etiam civitates suppeditaret? & concluſum fuit hoc ultimum sanius esse. Ex post dicta Regina Dominum

DU-

Duciſſam cum tutoribus ad ſe vocari fecit, & datis aliquibus de muneribus majoribus & promiſſis multis facta fuit tutrix & protectrix totius Ducatus. Et caſtrum Luketundern pro pecuniis in pignus accepit, iſta ſub conditione, quod quandocunque rehabere vellent reſtitui deberent ſine damno. Attamen de Friſonibus ejusdem caſtri ſubditis contributum tantum eodem tempore recepit, quantum pro pignore expoſuerat. Dicebantur inſuper Dominam Eliſabeth filiam Comitis Nicolai, qvæ caſtrum Oppenra habuerat, Domino Duci Erico de Lovenborg in matrimonium collocavit. Et pro caſtro Oppenra & aliis reditibus de ducatu eidem Duci Erico pecuniam copioſam numeravit, caſtrum Grodersbui pro pecuniis redemptum Canonicis Eccleſiæ Sleſwicenſis pro memoria ſua & Regum, & præſertim Erici tunc moderni caſtro deſtructo reditus aſſignavit, quæ miſſa hodierna die in matricula Eccleſiæ Sleſwicenſis infra ſummam miſſam per unum de Canonicis celebratur, & vocitatur Miſſa Reginæ. Seniorem Henricum filium Ducis Gerardi miſit ad regnum Daciæ, adhibitis tribus ad ſerviendum ſibi.

CAP. XXXIV.

DOmina Ducisſa & ſui conſiliarii interim in Ducatu regnabant. Et Conſules oppidi Flensborg ſub fide vocatos ad ſe capiebant, quæ perfidia operabantur, cives Flensburgenſes timoroſos ac etiam majores nobiles Nicolaus Lembeke Dominus caſtri Dorninghe & certi alii & Ericus Krummedicke inter ſe diſcordantes fecerunt occaſionem mali. Regina autem longe ſe in regnis abſentabat. Et filius ejus adoptivus Rex Ericus ut rector regni propter prædam, qvæ facta fuerat ab Holtzatis ipſis Danis Dominum Henri-

Henricum Comitem, & omnes majores terræ ad diem placiti ante ſe Koldingæ vocari fecit, & damnum undecim millium marcarum per rapinam irrogatum reſtitui poſtulavit.

Henricus Comes cum ſuis reſpondebat plura immiſſa à Danis ipſis Holtzatis damna, quæ nondum reſtituta fuerant. Unde dictus Rex ad Comitem Henricum dixit: Domine avuncule, vultis tamen in jure ad prædicta reſpondere Ad quæ Comes aſſeruit ſe ſemper paratum, qvo verbo prolato, quod paratus eſſet in jure reſpondere, ſibi: Rex dixit ſibi paratus ſum propter cauſas me urgentes navigare in Funiam, ubi Domine Comes me ſequimini, ſi verbum veſtrum verax eſt & firmum. Rege navigante Comes propter verbum prolatum Regis aſtutiam non intelligens cum paucis de ſuis Conſiliariis ſecutus eſt Regem ad caſtrum quoddam in Funia Hinſegagel, ubi Rex comparente Comite aſcendit tribunal judiciale, & judicialiter conqueri fecit contra Comitem Henricum, ita etiam ut apparuit vitam ejus adimendo. Quare inter Regem & Comitem aliqui ſe interponentes conſuluerunt Comiti ſe dare ad Regis gratiam. Et obinde Rex poſtulabat civitatem Flensborg cum caſtro Nigehus in pignus pro dictis undecim millibus marcis per rapinam à ſuis per Holtzatos ablatis ad unum annum impignorandum. Et anno elapſo vel pecuniam prædictam ſolvendam, vel civitatem cum caſtro pro pignore remanendam. Et hæc oportuit Comitem promittere ſub bona fide, ſi vitam volebat retinere. Ac etiam Rex viceverſa promiſit ſi aliqui de Holtzatenſibus per Danos fuerant damnificati retro actis annis, quod tale damnum elapſo anno deberet compenſari. Et ita factum fuit. Nam dictus Henricus Comes fidei fractor fieri nolens, quamvis liber de manibus Regis fuit, & ſibi aliquoties prædictum fuerat, in Rege & Danis

nis non eſſe fidem, & quod civitatem & caſtrum nunqvam ſponte reſtituerent Dani, ſi ad eorum manus devenirent, Hæc non curans voluit credere Regi, qui ſibi promiſerat civitatem cum caſtro reſtituendam. Et perpetuam pacem exinde conſecuturam, quia Rex cum magna potentia appropinquabat civitati Flensborg. Et niſi tradita ſibi fuiſſet civitas videbatur aliquibus poſſe per vim civitatem accepiſſe. Comes Henricus fidelis in promiſſo civitatem Regi ut prædictum eſt tradidit, cum caſtro Nigehus quod ad medium milliare prope civitatem per Comitem Nicolaum ob defenſionem ejus primo fuit conſtructum. Et civitas Regi iſta vice tradebatur, Conſules & commune civitatis bene trina vice prædixerunt Comiti & ſuis, quod non traderent ſic leviter civitatem Regi, & ſi ſemel jurarent Regi fidelitatem non faciliter revenirent ad manus Holtzatorum. Rex autem habitis civitate & caſtro ſtatim fecit civitatem foſſato profundiſſimo ſicut hodie apparet, & altiori muro circumduci & muniri. Ac etiam montem qui eſt ſuper civitatem conſimiliter circumfodi foſſatis, & palis & aggere invincibiliter præcludi. Anno autem elapſo Comes & tutores prænominatam ſummam pecuniarum undecim millium marcarum volentes exſolvere ſicut promiſerunt, & civitatem cum caſtro retinuit, neque illata Holtzatis damna conſcripta reſarcivit, ſed ſemper de die in diem novas diſcordias & diſſenſiones adinvenit.

CAP. XXXV.

INterim Regina quaſi hæc ignorans appropinquavit & ad Duciſſam venit in Sleſwigk & omnia componere volens multa bona promiſit, & ſe dolere de facto Regis ſimulavit, & ſi ſibi fides totalis attribueretur, Duciſſa cum filiis & omnes

mnes sui benè stare deberent. Et postulavit sibi sub fide præsentate castrum Gottorpe nisi ad unam horam ea de causa quod Dani audientes talem esse inter eos concordiam fierent per amplius pacati cum Holtzatis. Ducissa confidens verbis & promissis Reginæ, eam ad castrum venire permittebat cum aliquibus Consiliariis majoribus Regni Daciæ, & cum multa sequela, quamvis hoc interdictum fuit. Regina castrum intrans turrim facta cruce osculabatur & claves postulabat, quibus traditis Regina cum Ducissa ad mensam simul manducabant. Regina autem cum uno de suis Consiliariis nomine Henning Scharpenberg milite habuit verbum absconditum. Qvi Henningus Scharpenberg respexit ad turrim & vidit ibi aliquos bibentes & ludentes. Nam Advocatus castri eo quod commodum haberet propter nimiam multitudinem populi Reginæ, unam lagenam cerevisiæ duci fecit ad turrim ex casa, at dictus Scharpenberg æstimavit turrim plenam esse armigeris & balistariis ex providentia factum, ad Reginam intravit, & Regina ad eum dixit, est? ipso respondente, non, eum ad se vocavit secrete, qvi retulit vidisse turrim plenam hominibus. Qvo audito, cor Reginæ expavit & flere amare incepit, exsurgens dixit ad Ducissam, non invenio fidem, male stabis tu & tui, & nisi visi fuissent tales in turri, castrum per dolum retinuisset semper, sed gratias Deo sic recessit inanis. Demum Ducissa intelligens dolum Reginæ amplius de ea non fidebat, & mittens nuncios repostulavit filium suum ducem Henricum de Dacia, qvo remisso factæ apertæ per amplius inimicitiæ inter Reginam, Regem & Holtzatos. Regina iterum longe se in regno Sweciæ collocabat, & interim Rex congregavit exercitum ante castrum Sunderborg. Ubi qvidam præpotens miles Abraham Broderson de Swecia, etiam cum suis ante castrum prædictum posuerat. Rex appositis machinis & bom-

bombardis ante caſtrum in aggeribus nihil proficere poterat, hæc videns ad extremum dolum, quem in corde gerebat, contra dictum Abraham militem ipſum de ſtupro accuſari fecit, & obinde decapitari. Qvia hic miles plures habuit in Swecia famulos qvam Rex, & Regina interim caſtra qvæ tenuerat dictus miles, reaccepit ſibi. Et ita Rex de caſtro prædicto Sonderborg confuſus recesſit. Ex poſt Dani de Jutzia, Scharpenberg, Magnus Muncke, præpotentes milites cum multis aliis complicibus ſuis in Flensborg magnum collegerunt exercitum ante caſtrum Swaffſtede, qvod Epiſcopus Johannes Regi tradiderat, Freſiam intrabant & exinde ſpolia afferebant: Illo autem tempore Comes Adolphus de Schowenborg ſuis patruelibus impuberibus adjutor exiſtens in Gottorpe, audito hoc cum Holtzatis nec non Bremenſibus ad campum obviam Danis prorupit, & conſtantes unanimes voluntate in plano campo prope villam Eggebecke in Danos irruerunt, & multos ex eis occiderunt. Reliquos vero captivantes & tot qvot captivi ad redimendam vitam ſuam ſexaginta millia marcarum ſolvebant. Et unus omnibus dictior Magnus Munckocciſus, Scharpenberg captus, qui pro ſe ſolum decem millia marcarum exponebat. Ibi in ſpolio ſortiendo fuerunt eqvi Danorum præelecti in numero qvaſi mille & octingenti, & arma multa & tot fuerunt eorum, quod dictus Johannes Epiſcopus Sleſwicenſis, qui partem Regis tenuit & in Flensborg fuit, qvando eos ad ſpoliandum exire vidit, quod dixerat ad Conſtantes ſibi, Deus benedicat hos euntes ad ſpoliandum. Nam tot ſunt & ita armati & bellicoſi quod in vincendo Rhenum viſitare poſſent. Hos Deus altera die remiſit inermes, inequeſtres manu ad manum ſe tenentes. Et hic triumphus dedit poſtmodum ſemper cor magnanime contra Danos Holtzatis ad pugnandum. Nam unus Holtzatenſis fuit in bello

bello bene contra Danos qvinque. Etiam Holtzati videntes civitatem *Flensborg* eſſe propugnaculum Danorum, &qvod Dani eam reſtituere nolebant, Ericus Krummedick cum aliquibus Holtzatis clam in nocte prope aqvas intravit eandem & accepto monaſterio & ſucceſſive civitatem obtinebant: viceverſa Rex obtento monte prope civitatem & caſtro deſuper navigio ante civitatem cum magna potentia ſuorum ſe congregavit ad expugnandam civitatem. Ducisſa autem vocans fratres ſuos Bernardum & Henricum Duces *Brunſvicenſes* cum magno exercitu ultra mille & quadringentos eqvos, venerunt in ſubſidium ſororis ſuæ & filiorum ejus. Ubi Regina & Rex percipientes adventum tantorum de remotis partibus terræ, placita cum Domino Henrico Duce Brunſwicenſi ſtatuerunt, & montem Flensborg reſtituere promiſerunt, ſed abeunte exercitu peregrino, Rex montem retinuit poſt ut ante. Attamen Holtzati civitatem non deſerentes cuſtodiebant eam, & iterum vocatus dictus Henricus Dux Brunſwicenſis cum aliquibus ſed non tantis revenit in Flensborg. Qvo in tempore facta fuit peſtis in civitate fluxus ſanguinis, quod oportuit eos recedere ſine fine. Tunc Rex reaſſumta civitate, aliqvos de conſulibus fecit propter perfidiam, qvam præſumebat de eis in rotis truncari & civitatem cum caſtro ſupra montem fortius communiri atque cuſtodiri.

CAP. XXXVI

ERicus Krummedick miles prædictus qui fuerat potior Capitaneus inter tutores & major conſiliarius forte quod non erat à Ducisſa ita gratus reputatus, ut aliquis alter, & quia etiam plura expoſuerat pro ea quæ ſibi reſtitui poſtulans, forte etiam æſtimans, terram Holtzatiæ contra potentiam

tentiam Regis non posse subsistere; cum aliquibus terræ Holtzatiæ Ottone de Knop, Timmone & Elero Ronnouwen militibus & etiam aliis armigeris, Marquardo & Nicolao de Wisch & uno Sestede facti fuerunt subditi & homagiales Regi, & á Rege castra & munitiones cœperunt contra Holtzatos. Illis diebus Rex fecit construi castra plura, unum prope Sligesmunde dictum Koningesborg in Swantze, item Wildrspange. Item prope flumen Treya castrum â parte Ducatus. Quibus castris munitis collegit iterum magnum exercitum tam terra qvam navigio ante civitatem Sleswicensem & in Insulam Jurgensborg tentoria sua stravit. Dominus cœli dedit Holtzatis ire super aqvas cum equis, & ad naves applicuerunt, & ad Insulam Jurgensborgh sine navibus & omnes spoliabant & necabant. Ex quorum danorum una navis Archi-Episcopi Lundensis à piratis Kylonensibus fuit deducta, in qua navi fuerunt multæ cistæ cum vestibus pretiosissimis & ornamenta Archi-Episcopalia scilicet mitra, baculus, missalia, balsamum, lapides pretiosi, biblia & libri & multi ludi Schacki nec non multæ parvæ banderiæ Regis. Et præsumebatur in ea fuisse etiam aurum & argentum multum. Cum hac navi Archi-Episcopus voluisset fuisse in Sleswigk & in ea exercuisse officium pontificatus Archi Episcopalis Eodem tempore fuit demolitum castrum Wildtspange. Et postmodum castrum Fresenberg & castrum Koningesborg vacuum remiserunt, & etiam castrum Lidketundern à Danis fuit recuperatum. Pro qvo facto Ericus Krümmedick tunc vertitoga multum doluit. Nam Regina & Rex illi hoc castrum commiserunt. Etipse ulterius cuidam Nicolao de Tynen, à quo Holtzati hoc capiebant. Qvapropter ex jussu Regis dictus Ericus cum Timmone Ronnowen magnum exercitum collegit, & ante castrum prædictum ad expugnandum illud bellum movebant.

Et

Et cum accesserunt ad castrum dictus Timmo Ronnowe miles vertitoga in fossato sagitta percussus expiravit, quo defuncto reliqvi recesserunt. Sed postmodum Holtzati dictum castrum fortius munierunt, etiam Rex alium alio tempore collegit exercitum magnum navigio contra illos de ymbria, quorum terram primo aggressu vincens, & illi de terra sibi omagium fidelitatis præstiterunt. Et castrum in quo Henneke Ratlow advocatus fuit, cum exercitu aggrediens vi expugnavit, & dictum Henneken desuper captivavit. Qvo castro in possessionem adepto fortius per aggerem circum amictans fieri fecit. Illis diebus cum Consules Lubecenses à Communitate sua fuerant expulsi, & querelam contra communitatem apud Imperatorem deponentes, & per sententiam ejus restituendos eos demandaret, nemo sententiam imperatoris executioni mandando paruit. Sed solum Rex Danorum Ericus una dierum omnes cives de Lubeck in Schania insimul captivavit, & eorum bona rapuit violenter, qva de causa si cives Lubecenses à captivitate liberari deberent, oportuit Communitatem suos Consules reaccipere sine velle suo. Ideoque dicti consules inierunt cum Rege *Confœderationem*, & ligam contra qvoscunque. Istomodo: qvod Cives de Lubecke, Hamborg, Luneborg, Wismar, Rostock, Sundis, Gripeswald & Anklen deberent & possent omnes perpetuo tempore visitare terra & mari regna Daciæ Sweciæ, Norwegiæ sub antiqua libertate, & *si Regi incumberet gverra à quocunque, & ipse Rex paratus esset in jure respondere*, tunc ipsi Consules civitatum prædictarum ipsi Regi mille armigeros suo damno & sumtibus Regis quando ad eum applicarent, deberent Regi procurare. Eodem modo si civitatibus prædictis emergeret bellum, Rex ipsis cum mille armatis succurrere deberet. Et qvod quolibet anno in Schanœr Consiliarii Regis & consules prædictarum civita-

civitatum deberent in unum convenire, & ſi cuiquam damnum illatum ab altero fuerat, ipſum hinc inde deberent amovere & planare, & iſtud pactum ſive conventionem Rex ſuo juramento, Conſules ſimiliter nec non literis & ſigillis ſibi in vicem confirmabant, & indictam ligam Rex Dithmarticos etiam ipſis ad ſe vocatis attrahere ſatagebat, ſed Dithmartici prudentiores in hoc conſulibus civitatum nolebant conſentire, quamvis Rex eos ſæpius ad ſe accerſiri fecit, & muneribus datis ipſos honoravit, & ſemper ad hunc finem ut ſimul ſecum contra Principes terræ Holtzatiæ conſpirarent. Et ita fieri promiſerunt, iſta ſub conditione, qvando ipſe Rex terram Holtzatiæ cum potentia intraret, tunc ipſi Dithmartici ante caſtrum Hanrowe ſe ponere vellent, & illud expugnare.

CAP. XXXVII.

ITerum dictus Rex collegit exercitum majus omni videlicet centum millia hominum & ante Sleſwik & Gottorp caſtra mecatus fuit. Quid factum eſt. Divina diſpoſitio, quæ ſemper Holtzatis favebat, etiam tunc inſpirabat Comiti Henrico ut intraret civitatem Hamburgenſem ad petendum ab eis ſubſidium trecentarum marcarum vel circa & quod patrueli Duci ſuo Henrico totidem in victualibus proretinendo caſtrum Gottorp contribuebat. Et cum intrabat civitatem habuit paucos penes ſe conſiliarios. Cum tota expeditio terræ Holtzatiæ ad defendendum Gottorpe & Schleſwick fuerat ibidem. Cum quo qvidam Henricus Brocktorp præſens fuit. Qui Henricus Brocktorp conſuluit. Domine non ſvadeo modicum & exiguum ab ipſis petere, ſed petatis ut cum omni potentia ſua, armis, baliſtis, machinis, cum expenſis & omnibus civibus ſuis perſonaliter contra tam poten-

potentem Regem procedentem ad deſtructionem totius terræ, nos & patrueles veſtros impuberes adjuvare velint. Et melius hoc fore in Gottorpe qvam ante proprias portas ſuas, & niſi fecerint, vos peramplius nos defendere non valetis, & ſvadeo quod perſonaliter loqvimini ad eos hæc verba. Hoc conſilium bene placuit, quamvis finaliter pecuniam niſi adoptabat. Comes vero de mane cum curru ſuo cum claudus & contractus in membris fuerat, magnanimus tamen animo ante palatium Conſulum ſe duci fecit ubi in ponte Treſtebrugge capitanei ſexaginta illo tempore electi ſtabant cum civibus, & ante palatium ſtabant conſules, & in eorum medio Comes Henricus de curru loquebatur & petivit, ſe & patrueles ſuos tota potentia contra Regem adjuvari, Conſules improvide dixerunt, magna eſt hæc petitio. Cives ex oppoſito dixerunt, Grandia poſſe peti & poſſibilia & neceſſaria ex audiri. Et longe utilius fore ante Gottorpe caſtrum Regem expugnare, quam ante civitatem Hamburgenſem. Et ita Conſules ſeorſum, & cives inter ſe conſilium inierunt. Revertentes Conſules in pecuniarum ſumma ſubvenire deſponderunt. Comes autem recepta fiducia verborum, civium, propoſito primo mutato, reſpondit, ſolum eſſe neceſſe cum potentia tota ſuccurrendum, viceverſa Conſules allegabant libertates, quod non tenerentur ſeqvi ex debito, neque ſubvenire & receperunt cives ad ſe proponentes eis, faciliter poſſe perdere privilegia quibus tuti erant principibus terræ, quo ad hoc in nullo teneri, & incipiendo cum Rege Daciæ gverras, & ſe facere principales poſſet civitatis eſſe perditio. Tandem qvicqvid Conſules allegabant, cives ſemper dixerunt, non eſſe curandum, ſed eſſent omnes proni ſuis Dominis etiam cum tota potentia ſubvenire finaliter concluſum fuit, Regem velle diffidare, & usque ad finem litis adjutores perſeverare. Itaque qvod Holtzati ab

eis

eis viceverſa nunquam declinarent, & literis ſuper confœderationem hinc ſcriptis & ſigillatis vix eisdem partibus præſentatis, venit nuncius, quod Rex civitatem Sleſwick expugnasſet, & in ſua eandem haberet poſſeſſione. Et quod Dominus Albertus Dux Magnopolenſis cum ſuis, ac Holtzati nobiles multi, qui in civitate eadem fuerant, videntes tam ingentem Regis potentiam, ſe cum rebus ſuis liberabant, & Regi ad nutum ſuum civitatem tradiderunt. Qvos tamen Rex antequam eos abire promiſit, ſtrinxit promiſſo, qvod pro illo tempore contra eum nihil facere deberent. Comes vero Henricus hæc audiens adhuc in Civitate Hamburgenſi exiſtens, currum præparare fecit, Hamburgenſem literam diffidationis una cum portatore literarum earundem ſecum aſſumſit, atque in auxilium patruelium ſuorum ad caſtrum Gottorpe properavit. Veniens in Rendesborg Domina Duciſſa cum filio Duce Henrico in hoſpitio exiſtens & caſtrum Gottorp, eo quod civitas Sleſwick victa eſſet, pro derelicto habentes, Dux Henricus triſtis exiſtens, aſſurrexit Seniori Domino Henrico Comiti eum ſalutando. Vice verſa Comes Ducem de triſtitia redarguit dicens Patruelis cur triſtaris, recipe fiduciam, quamvis Rex civitatem Sleſwick expugnavit, tamen caſtrum Gottorpe nunquam habebit. Qvo retento & habito totus Ducatus Sleſwick recuperari poteſt, nuncio tibi bona nova. Ecce hic mecum porto Hamburgenſium contra Regem diffidationis & inimicitiæ literam. Ideo gaude, & eſto lætus. Qvo verbo audito, cum pro illa vice alia non erat ſpes retinendi Gottorp caſtrum, juvenis Dux gaviſus eſt valde, & omnes, qvi audierant hæc nova, lætati ſunt. Altera die Dux aſſumtis ſecum omnibus ibidem in Rendesborg exiſtentibus in Gottorpe equitando, nuncium Hamburgenſem cum litera aſſumens miſit per exercitum ad Regem ſibi voluntatem

tem Hamburgenſium intimando. Hic nuncius fuit cautelosus cum venit ad Regis exercitum maximum ad centum millia hominum literam unam ſigillatam in alto baculo affixit, dicens ad ſe venientes, Date mihi viam, & reducite me ad Regem, porto literam pacis. Et ſic per exercitum tranſiens, eqveſter venit ad Regem & præſentata ſibi litera & perlecta, cor Regis expavit, & nuncium diligenter cuſtodiri fecit. Statim congregatis Conſiliariis regni, conſuluit, qvid faciendum. Nam fama volavit, qvod Hamburgenſes una cum Dithmarticis & aliis multis ſtipendiariis, cum tota potentia jam fuiſſent in via proximantes. Qvare viſa etiam litera diffidationis Hamburgenſium, æſtimabat famam eſſe veram. Illa nocte ſua caſtra & tentoria fregit, & ante caſtrum Gottorpe per Dennewerck, dimiſſa civitate Sleſwicenſi conſulibus cuſtodienda ad opidum Ekernferde expugnandum ſe tranſtulit ſine mora, & opido capto & combuſto per flumen Slyg multis de ſuis ſubmerſis fugam cœpit, & reverſus ad ſua. Et illa vice Deus omnipotens caſtrum Gottorpe cuſtodivit. Hoc caſtrum Reges Danorum quamvis ſæpe conabantur habere, tamen Deus Holtzatis in præſidium terræ ſuæ incolume cuſtodivit.

CAP. XXXIX.

HEnricus *Dux Braunſvicenſis*, de quo ſupra cujus ſoror Duciſſa Sleſwicenſis erat, pro expenſis & damnis ſuis, eo qvod ſororem adjuvabat habuit caſtrum Gottorpe, Plone, Haſeldorpe & Hanrowe pro pignore ſuo. Et hic Dux computabat damnum ſuum ad ſexaginta millia marcarum Lubecenſium. Qui pro his ſolvendis pecuniis multas exactiones & collectas in terra Holtzatiæ fieri fecit. Qvibus non ſufficientibus caſtrum Gottorpe Regi Daciæ pro narrata

rata ſumma pecuniarum impignorare deliberavit. Ita videlicet quod Ericus Dux Saxoniæ de Lovenborg ad Regis imperium & ad fideles manus juvenum ducum donec pecuniam ſolveret, obſervare deberet. Qvod Rex fieri decrevit faciendum. Sed Ericus Krummedick miles, æſtimans dictum caſtrum ad manus Regis alia vice ſcilicet per potentiam venire poſſe, conſuluit Duci Erico non tradendum caſtrum, ſed per ſe ipſum capiendum. Margareta Regina Daciæ prædicta inventrix horum omnium, trium regnorum Domina cum in fine vitæ ſuæ, * ſicut Deo placuit, cum ex hac vita exire deberet.

CAP. XXXX.

Circa idem tempus dictus Ericus Dux Saxoniæ multa metuenda machinabatur, mediis deprædationibus & incendio contra Holtzatos, & corruptus pecuniis Regis Erici Oldesloo combuſſit. Attamen Deus non permiſit hoc nefas Ducis de Lovenborg inultum, cum ipſe ſolitus fuit colligere raptores & ſtratilegos, ſicut ex communi verbo dicitur: Similis ſimilem ſibi qværit: Lubecenſes & Hamburgenſes per vim receperunt ab eo duo caſtra. Et ſicut iſte Dux Saxoniæ, ita & alii principes de Stettin, Wolgaſt, *wenden* & Mecklenborg ſæpe fecerunt. Nam illi duo Johannes & Albertus non habentes legitimam cauſam diffidandi Holtzatos, occaſionem qværebant repoſtulantes dotem dominæ Annæ relictæ Comitis Adolphi, qvæ dictorum Principum fuit matertera ſex millia marcarum, qvæ tamen dudum præmortua fuit. Et niſi ſolveretur eis dicta pecunia in certo die nominato, & niſi ſuper his Henricus Comes & Henricus Dux ad diem placiti in Prigwalch prope Travemundus reſponderent, vellent exinde eſſe eorum inimici Anno Domini

mini milleſimo quadringenteſimo decimo qvarto, feria qvarta proxima ante feſtum beati Jacobi Apoſtoli:

CAP. XXXVIII.

DIthmarci fidei ſponſionem ratam iterum non tenentes, pacis fœdera qvæ ſub Treugarum certo tempore juraverant inviolabiliter cum Illuſtribus tribus Ducibus Germanis Dominii Sleſwicenſis obſervare, temere diſſolverunt. Nam interim quod Rex Ericus ex copioſa multitudine armorum de tribus regnis ſuis collecta dirigeret varios exercitus per mare ſimul & per aridam, ſive terram ad devaſtandum ſive ſubjugandum ſibi ducatum Schleſwicenſem pariter & Comitatum Holtzatiæ; prædicti Dithmartici navigio potenter cum armis & inſtrumentis bellicis intraverunt Egdoram animo ſeu intentione vindicandi mortem quatuor virorum Dithmarticorum, qvi ratione furti dudum ante *ſecundum leges Friſonum* judicialiter ſententiati ſuſpendio interierant. Applicatis itaque navibus ſuis ad ripam fluminis juxta villam Tunningen memorati Dithmartici rejecto juris tramite, qvo requirere debuiſſent juſtitiam pro injuria, ſi qva fuiſſet eis ab incolis terræ illata, dirè ſæviebant in eos, terram ipſam totam cum incolis ſuis depopulando deſtruere molientes. Sed Friſones Dithmarticorum impetum repellere ſatagentes, ſeſe fortiter ad invicem hortabantur, ut pro defenſione patriæ ſuæque propriæ ſalutis obtentu, vim vi repellendo audacter concurrerent ſeu reſiſterent inimicis. Atque ita ad pugnam congreſſi belli commiſere conflictum. In qvo ex utraque parte plurimi corruerunt. Friſonibus tamen ceſſit victorioſe triumphus, Dithmarticis ipſis qvi vivi ſuperfuerunt in fugam converſis, & in Egdora timore deſperationis ſe ipſos ſubmergentibus. Naves qvibus illuc advenerant Friſonibus, ſunt relictæ. Poſtqvam vero perceperunt in

in Dithmarciâ ſuorum ſtragem & interitum, ſicut præmittitur factam recenter in bello contra Friſones commiſſo, convenerunt Dithmartici qvaſi Vir unus ad deliberandum qvid facto opus eſſet. Et habito communi conſilio ſuper novo bello ſine pugna contra Friſones celeriter expediendo mox cum eorum tota potentia ad Egdoram prope terminos Borthſand navigio pervenerunt. Qvos ut Friſones viderunt in armis bellicis jam paratos & potenter compoſitos in campo ad inſtruendum contra eos bellum fugere cœperunt, terga vertentes. Dithmarcici vero ſine mora Friſones inſeqvuntur fugientes & captivantes & inhumaniter trucidantes, qvos apprehendere potuerunt, igne ac ferro totam pene patriam graſſando devaſtare cœperunt, in tantum quod incendio ſeu per incendium deſtruxerunt domicilia Freſonum ſcilicet Vollerwick, Welte, Loten, Katter, Menkerſpel Cotſerbul, Tunning, cum villa Tunningen, demta ſola Tunning-burbach Parochia vero Adenſwerd, & viceverſa terra Everſchop & Utholm perſecutionis rabiem evadere volentes Dithmarticorum præveniendo ſe prece & precio redemerunt, dictis Dithmarcicis dare vulgariter Dingthal paciſcentes. Incolæ ſiqvidem in Everſchop communi voto dare promiſerunt qvingentas marcas. Illi vero in Utholm ſeptingentas marcas. Et parochia Uluesbul ſexcentas marcas. Quibus peractis Dithmartici celeriter ad propria ſunt reverſi. Ceterum proximo & & ſequenti tertio anno Ditmartici promiſſam ſibi pecuniam à præfatis Friſonibus per vim expetere properantes nocte devaſtarunt parochiam Widdeswurdt. Et in ſequenti die Parochias Aldenswurdt, Uluesbul, Grote, Aluerſel igni combuſſerunt. Quod illi qvi Tonningen inhabitabant proſpicientes, ſe iterum magnis pecuniis & precibus redemerunt. Similiter Parochia Coten, Cotſebul & Vullerwick pro ſui redemptione

one pecuniæ ſumma promiſerunt, Parochia cum Catharinen Karſpel de tota fuit combuſta, & Tetenbul in parte. Qvibus itaque peractis ſæpe dicti Ditmartici cum ſuo crudeli exercitu iterato circa terminos Parochiæ Gardingen hoſtiliter apparuerunt, ubi majori ferocitate qvam in aliis terminis prius fecerant debacchantes nemini parcere voluerunt unde ſacerdotes Domini ſperantes eorum furiam mitigare, cum adorando corpore Chriſti obviam eis procedentes, ipſorum Friſonum copioſa multitudine de Everſchup contra Dithmarticos congregata prope cœmiterium retro ſacerdotes remanente miteſcit mirabiliter Dei virtute rabies & furor hinc & inde. Sed Friſones imbecilles ac impotentes ad reſiſtendum & bona patriæ defendendum ſe videntes, tractatum concordiæ ſive pacis inire coacti ſunt. Cujus rei gratia obligarunt ſe juxta Ditmarticorum verbum ſolvere magnam & numeroſam pecuniæ ſummam videlicet triginta millia marcarum pro qvingentis, ſive qvindecim vigenis Ditmarticorum in priori conflictu circa Egdoram, & in eo alto necatorum. Ad perſolvendam autem hujusmodi promiſſam pecuniæ ſummam, ſupradicti Friſones, pro duobus necatis unum obſidem vivum de Friſia libere poſuerunt, pro Friſonibus vero, qvi bellicoſe circa Egdoram qvaſi in proprio foco perierant numero quaſi ſeptimo vigenario nulla pecunia à Ditmarticis ſolvebatur, verum tamen Parochia Simensberge & Lundenberge per Dithmarticos fuerunt ſpecialiter exactionatæ, utpote ad nonaginta qvatuor marcas. Ad hæc tamen præmiſſis non obſtantibus aſtringebantur Friſones in Eiderſtede, ſcilicet igne & ferro ſicut præmittitur devaſtati fuiſſent, ad ſolvendum per triennium, qvolibet anno ſpeciale tributum pro ſuis propriis ædibus juxta.

De

Deeſt hic folium unum.

CAP. XLI.

COmes vero Henricus in cujus ſorte erat terra Fimbria, quam Rex vi poſſidebat, eodem anno Domini milleſimo, qvadringenteſimo decimo ſexto doluit de perditione illius, & congregari fecit populum ſuum valde ſecrete, fama volante quod caſtrum Plone, quod tunc Fridericus Schulte ex parte dicti Domini Henrici Ducis Brunſwicenſis poſſidebat & retinebat expugnare vellet. Et congregato exercitu Henricus Dux Sleſwicenſis etiam cum ſuis advenit, & in villa Grotenbord ante paſſagium maris ad terram Fimbriæ cum exercitu pernoctabant, prope teſtum Simonis & Judæ poſt medium noctis Comes & Dux cum conſiliariis ſuis convenerunt, tractando qvaliter terram capere poſſent absque pœna. Ubi aderat quidam Vir gnarus & prudens conſiliarius Domini Ducis nomine Schacko Rantzow miles prædives & dixit: Domine Comes, veſtra eſt hæc congregatio nobis neſcientibus habetis aliqvos ſcientes qualiter terra hæc ſit vincenda. Tunc unus presbyter nomine Johannes Keding, qvi dixerat omnia eſſe ad eorum nutum diſpoſita, & qvod nullus vigil prope paſſagium maneret, neque aliqva campana dabat vocem nocte iſta. Iterum dictus miles Schacko dixit, Domini mei, magna res eſt ad unius presbyteri vocem Principes noſtros & duas terras perdere poſſe. Nam incolæ in terra Fimbriæ ſunt Regis Daciæ ſub præſtito juramento ſubditi, & noſtri inimici. Dictus autem presbyter reſpondit: Qui timet ſe, hic manet. Aſſignentur mihi baliſtarii pyratæ & ego cum illis terram ingredi auſus ſum.

Ad qvod verbum multi Holtzati dixerunt. Qvando hoc opus fuerit, non indigerent eo, neque eum antecedere debere. Interim qvidam miles Paulus Breide, Capitaneus in Oldenborg cum quodam nauta de Wismaria, nomine Tydeke Reeper advenit. Qvi nauta verbum dicti presbyteri confirmavit, addens qvod in eadem hora fuisset in terra, & vigiles receſſerunt à cuſtodia. Et de ipſorum adventu in terra Fimbriæ nondum erat rumor, & qvod navis ſua adeſſet prope eos, de qva lumen vellet tranſeuntibus revelare. Et ita ante ortum diei major pars exercitus venit ad ſiccum Fimbriæ ipſis in terra neſcientibus. Mane autem facto & reperto qvod Holtzati adeſſent, omnes campanæ fuerunt in terra compulſatæ, & apparebant habitatores terræ in campo omnes eqveſtres. Sagittarii Holtzatiæ adverſus eos procedebant. Tandem nuncii inter mittebantur, inter qvos Dominus Hermannus Burenkcorn Eccleſiæ Parochialis Borch, conſiliarius d.cti Comitis Henrici, & qvæ pacis fuerant poſtulabant, & ſe ſubdiderunt, & cum hoc ſex millia marcarum exſolvere promiſerunt. Capitaneus in caſtro Iwen Bruscke miles qvi priore die Barcam de Travemundis in ciſtis, in quibus fuerant pixides & ſpecies pro eis, ac baliſtæ & arma pro defenſione ſua habuit ut dicebatur à proconſule Henrico Rapeſulner & aliis Lubecenſibus miſſam cum litera cuſtodiæ. Hic per totam noctem fecit duci ad caſtrum cereviſiam, braſium, farinam avenam & hordeum. Ante quod caſtrum Comes Henricus Dux Henricus tentoria figebant, & per octo hebdomadas ante caſtrum illud omne die impugnando cum machinis & bombardis jacuerunt. Lubecenſes ante caſtrum habuerunt magnam navim Holk nomine vel Rogge, in qvam navim dictus Iwen Bruſeke una nocte clam receptus fuit, & ad terram Daciæ miſſus pro velle ſuo. Qvi poſtmodum cum multis navibus reverſus caſtrum volens

volens redimere, sed non poterat, ad ultimum qvando non amplius habebant in victualibus se & castrum tradiderunt.

CAP. XLII.

SEptimo anno Rex iterum collegit magnum exercitum navigio ad recipiendam dictam terram expeditionem fecit, & qvasi totam terram navibus circumdedit, & prope insulam Vlugge majores naves collocavit, in qvibus armati multi apparebant, & ibidem aliqvandiu dimicavit. Et subinde dimissis magnis navibus cum apparentibus armigeris in parvis navibus Pincken ad commune passagium properabant, & illico anteqvam omnes de terra congregari possent naves, exeundo, pluribus hinc inde interfectis, Dani siccam terram receperunt. Et postmodum eqvis adductis, qvotqvot invenerant masculini sexus in ore gladii crudeliter occiderunt, aliquibus fugam capientibus ad Ecclesias, præsertim in opidum Borch, extractis inde vestibus qvoq; exutis in Cœmiterio lacrimabiliter ducendo nudos ferociter necaverunt, sacra loca, Ecclesias & cœmiteria una cum Sacramentis & sacro sancto corpore Dominico heu, heu exsecrando enormiter inaudita faciendo, violabant omnem terram, omnes domos spoliando. Et demum omnes domos & Casalia totius terræ comburendo, & neminem in ea permiserunt remanere. Sed captivos ducentes omnes viros remanentes mulieres, virgines & infantes. Ex quibus, prohdolor propter inopiam pejores effecti, viri facti piratæ, virgines meretrices & adulteræ, tanta inhumanitas à paganis & barbaris nullibi legitur, qvanta in hac terra facta ab his qui Christiani dici debent. Hic Henricus Holtzatiæ Comes ultimus qvamvis debilis in membris suis fuerat, videlicet podagricus & artriticus, tamen utilis terræ fuit. Dilexit cultum Dei, & etiam pa-

trueles suos, quamvis consiliarii utriusque partis aliquando aliter sentiebant. Hic etiam fecit revocare patruelem suum Ducem Adolphum, qvi missus fuerat ad Burchgravium Nürembergensem & ei in vita sua Castra Segeberg & Rendesborg tradi fecit. Qvem etiam plus aliis Fratribus dilexit æstimans & considerans per hunc salutem patriæ procurari. Nam de dicto Adolpho Duce, dum adhuc puer erat, dicebatur, qvod supra dicta Margareta Regina Daciæ una dierum fecit Ducis Gerardi filios impuberes ante se duci, & seniori Duci Henrico dedit clenodium ad pileum suum, etiam duci Alphonso dedit consimile ad pileum. Qvo viso juvenis pileum ad caput habere noluit, fecit idem clenodium ad manicam alligari, qvod cum manibus fricando ibidem sustinere noluit. Tandem retro fuit illud affixum vestibus ipsius, tunc puer sedit dorsum ad scamnum sæpius reprimendo. Quod supra dicta Regina videns dixit & forte prophetavit. Tu eris inimicus magnus regni mei. Comes Henricus una dierum existens in monasterio Bordesholm fuerat sibi relatum de quadam *voce angelica*, qvæ ibidem inter psallentes in choro sæpius ab aliqvibus multum dulciter audiebatur, qvam vocem ut etiam audire posset multum desiderando se ad Ecclesiam duci fecit. Et tunc vovit si Deus sibi hanc vocem audire permiserit, vellet dona sua monasterio pro sui & parentum suorum memoria elargiri. Et cum vocem hanc audiverat, reddidit vota sua & judicium viliæ in Looppio perpetua memoria sua & parentum suorum omni anno singulariter cum vigiliis & missis solemniter peragenda memorato monasterio tradidit ad usum, dictusque Henricus post plurima sua bona opera non solum patriæ & lucri temporalis, sed spiritualium personarum athleta fortis circa annum Domini 1421. obiit in pace & sepultus est in Itzehœ sepulchro parentum suorum.

XLIII. Ericus

CAP. XLIII.

ERicus Rex Daciæ, qvi ad longa tempora fuit inimicus Holtzatiæ, circa prædictum tempus colligi fecit exercitum ad deſtruendum terram Altzen, ſicut Fimbriam, & capitaneum conſtituit, dictum Iwen Bruſeken magnum tyrannum & quando applicare volebant terræ, dictus Iwen ſubito expiravit & ventus validus naves hinc inde diſperſit. Et ſæpius Dani congregati fuerant ad hanc terram deſolandam, ſed ſemper Dominus Deus pugnavit pro eis. Nam inhabitantes terram Altzen voverunt omni anno ad *ſanctum cruorem in* Wilsmarcke munera ſua mittere, & ſemel miſerunt ibidem calicem unum penſantem ſexaginta marcas, & ipſi in terra ſua erexerunt unam capellam, in honorem ſacro ſancti corporis Chriſti & ſanguinis Chriſti; Ad cujus cultum peragendum qvilibet in terra illa omni anno dat dona ſua. Rex Ericus percipiens Hamburgenſes eſſe contra ſe, aliam viam vincendi terram Holtzatiæ quam propria vi excogitavit, qva Hamburgenſes excluderet, & civitates & Principes ſibi in auxilium convocaret, & propoſni querelis fecit. Quomodo Comites Holtzatiæ contra juſtitiam terram Ducatus Sleſwicenſis ad regnum Daciæ pertinentem poſſiderent, hanc querelam proponi fecit in curia Romana & Papa ſignavit & cauſam commiſit & reportabatur de curia Romana reſcribenda conqueſti illius. Inſuper in curia Regis Romanorum, & coram Principibus & Civitatibus & etiam Dithmarticis multas querelas proponi fecit. Conſules civitatum de Henſa, Lubeke, Luneborg, Wiſmar & Roſtock cum Sundenſibus fuerunt adjutores Regis, in tantum quod Luneburgenſes una dierum publice interdicebant, neminem de civibus ſuis ſub pœna inhabitationis

eorum Holtzatis contra Regem adjuvare. Proconsul Lubecensis Jordanus Pleskow qui prius à Civibus expulsus & noviter per Regem restitutus in præsentia Danorum Henrici Comitis & Henrici Ducis adolescentis, & aliorum consiliariorum videlicet Schackone de Rantzow qvi fuerat pro parte Ducis in Ecclesia Utinensi primo, ut moris est, inter Consiliarios secrete postmodum manifeste coram omnibus in Ecclesia existentibus proposuit. Rex Daciæ Dominus meus glorioſus scripsit & supplicavit nobis Consulibus civitatis Lubecensis vestris Dominis terræ Holtzatiæ intimare pro parte sua, quod velint sibi restituere Ducatum Sleswicensem, Civitates & castra in eo existentia, qvam vi olim Principes Holtzatiæ à Regno Daciæ rapuerunt, & injuste possederunt, & vestri Domini hodie possident minus juste: Et qvod super hoc in judicio coram Imperatore velint respondere. Et dico vobis pro parte Civitatum de Hensa, ex quo Rex nihil aliud petit nisi justitiam, & si vestri Domini sibi noluerint in judicio de justitia respondere neque restituere ablata, nos Consules Civitatum erimus justitiam postulantis adjutores. Nolumus, enim has gverras terra mariq; diutius sustinere. Ad qvæ dictus Dominus Schacke miles respondit: Scio quod nostri Domini Ducatum Sleswicensem habent & possident juste, & quod pater eorum hereditrio jure Ducatum eis reliquit, & super bonis paternis in possessione habitis æstimo Dominos nostros cogi in judicio respondere non posse. Isto modo qvod Rex Daciæ solum petiit justitiam & Holtzatiæ Principes injustos possessores Ducatus fuisse & esse, attraxit multos Principes, Civitates & terras in partem suam Nam ipse confœderavit se cum Dithmarticis, quos ad se vocavit. Et majoribus terræ larga numera dedit, Scyphos, vasa, clenodia, cochlearia aurea & argentea, nec non aliquibus dedit vestes tunicas & togas vario subductas, & uni de capitaneis

pitaneis Hibbeken Hanſe dedit unam navim perpulcram proprie Sniken cum omnibus correqviſitis. Qui ſcripſerunt Henrico Duci Adoleſcenti & fratribus ſuis, qui ſupplicium pro parte Regis, qvod ducatum & caſtrum Gottorpe qvod injuſte retineret, reſtitueret, & niſi ſic faceret, oporteret eos Regis fieri adjutores. Tunc Dux Henricus una cum fratribus unum ſpecialem ſuorum conſiliariorum ad ſe accerſiri fecit, rogans ut terram Dithmarciæ intrare vellet, & qvæ pacis eſſent, tractare inter eos. Qvi intrans Dithmarticorum terram, illis ſe adjunxit, qvos ſciunt tenere partem aliqualiter Holtzatorum, & qvi Regis munera nondum receperunt, quibus ad libitum habitis, manifeſte coram omnibus majoribus de terra negotium ſibi injunctum expedivit. Ex quibus aliqui ita ſimplices erant, qvod huic legato in manifeſto audebant replicare dicentes Dominum Regem jus habere. Et ſi ducatus aliqvando fuiſſet conceſſus uni ex dominis Holtzatiæ imo deberet reſtitui, adducentes exemplum. Si vobis concesſimus eqvum, nunqvid vobis dedimus eum, nonne reportare deberetis? Qvi quidem legatus expoſuit eis, rem aliter ſe habere, & non eſſe ſimile de equo commodato, & de Ducatu conceſſo in feudum. Tandem ipſi finaliter reſponderunt, qvod Rex omne jus ſuum an reſtitui deberet ducatus ultra non depoſuit apud eos, & fuit eis replicatum quod Domini Duces etiam jus ſuum penes eos ſtatuere deberent. Ideo Legatus reverſus ad Dominos Duces & procurans literam ipſorum, quod omnes Principes vicini, civitates terræ & ſpecialiter ipſi Dithmartici cum ipſis deberent eſſe judices Danorum & Ducum prædictorum & copiam hujus literæ Dithmartici Regi deſtinabant, addentes ſuo ſcripto, ex quo Domini duces eſſent proni in judicio reſpondere, ipſi Dithmartici eis inimicari ſalvo honore non poſſent, & ſic Domino dante ceſſavit illa tempeſtas

peſtas quam Rex ſperavit movere Holtzatis per Dithmarticos. &c.

CAP. XLV.

REx Ericus à concepto ſuo propoſito non recedens conqveſtus fuit per Ambaſiatores ſuos Domino Sigismundo Regi Romanorum ac Ungariæ, contra Principes Sleſwicenſes & Holtzatiæ Comites, non nominando eos aliquando in literis Duces ſed Comites, qvomodo aliquandiu poſſiderent partem regni ſui Ducatum Sleſwicenſem. Rex Romanorum vero remiſit cum plena poteſtate quendam Ducem de Sleſia dictum Romphœt ad tractandum inter Regem Daciæ & Dominos Duces Sleſwicenſes. Qvi DUX miſſus ab Imperatore ad tantum practicavit verbis doloſis, qvod Domini DUCES ſuper jure DUCATUS Sleſwicenſis arbitrabantur in Imperatorem, videlicet quod ipſe cum Principibus imperii deberet eſſe Judex in cauſa prænarrata. DUCES & eorum Conſiliarii æſtimabant per Principes Imperii intelligi debere *Principes Electores* Imperii, de quibus ipſi bene confidebant. Sed res aliter geſta fuit, prout poſtea dicitur. Fuit in hoc arbitrio tempus præfixum & locus. Tempore adveniente DUX Henricus aggreſſus fuit locum in terra Bohemiæ, ubi tum cum magno periculo fuit eundum, & qvod Bohemiæ hæretici erant, & Chriſtianorum inimici. Ipſe vero DUX veniens ad locum in præfixo ſibi termino, neminem neque judicem, neque partem adverſam invenit proteſtatus de hoc rediit ad patriam ſuam. Ex poſt Rex Ungariæ miſit qvendam Doctorem in jure Canonico ad DUCES Schleſwicenſes habentem in mandato, ſi aliqva haberent documenta ſuper DUCATUM, qvod illa producerent in Flensborg ad videndum & tranſumendum ea. DUCES reſponderunt tali legato, quod

quod eorum privilegia in Sleſwig libenter vellent exhibere & facere tranſſumi ſed propter pericula ad civitatem Flensborg, quam Rex eorum inimicus poſſidebat ferre vel portare non poſſent. Doctor autem iſte & legatus Imperatoris receptis atteſtationibus Regis reverſus eſt viam ſuam. Exinde Rex Vugariæ, qvi fuerat imperator, fecit Dominos Duces citari coram ſe ad videndam ſententiam in certo termino, & ad locum multo remote ad Ungariam in civitatem Oben. Duces vero congregantes Conſiliarios ſuos in fyrt Bornehovede conſulere volentes, quid in tam arduo negotio faciendum. Ubi Johannes Schele Epiſcopus Lubicenſis aderat, qui prius perſonaliter Imperatorem ſuper hoc negotio viſitaverat cujus verba Dominis Ducibus referens, videlicet quod ipſe Imperator nollet eſſe pronus ad exheredandum juvenes Principes Duces, ſed potius congrueret ſibi laborare pro unione pacis & ad placandum Dominum Regem Daciæ, & intercedendum pro eis. Quibus verbis Imperatoris Duces Schleſwicenſes confidentes ad comparendum coram ipſo erant proniores. Quidam vero notabilis Conſiliarius quaſi non vocatus etiam ad illud conſilium apud Bornehövede congregatum acceſſit. Et ipſis Dominis Ducibus ſtantibus cum tribus ſummis conſiliariis militibus, Schackone Ranzowen, Johanne Stacken, & Laurentio Heeſten aggreſſus ad eos dixit, Domini audivi vos eſſe de novo citatos in Ungariam coram Imperatore reſpondere in arbitrio per Regem Daciæ & vos ſuper Ducatu facto, rogo audiri verba mea. Domini mei, vos arbitrati fuiſtis ad certum locum, in certo loco reſpondere, ubi vos Domine Dux Henrice comparuiſtis, & Judex & pars adverſa illac non aderant, ſufficit vobis videre meo, ſatis feciſtis arbitrio, niſi etiam latius arbitrati eſtis, ad locum quem nunc citati eſtis ire & comparere non tenemini, neque in Regem Ungariæ vel Imperatorem ut in judicem confidere propter cauſas.

Primo ad hunc locum non habetis tutum acceſſum propter Bohemos Chriſtianorum inimicos, apud qvorum terram oportet prope tranſire. Item audivi veridice qvod Principes Almaniæ habent privilegium. Si aliquando eis cauſa movebitur, qvod extra Almaniam coram Imperatore vel ejus delegato non tenentur reſpondere. Et hujus privilegii conſervator eſt *Comes de Schwartzenborg*. Inſuper Rex Ungariæ & Rex Daciæ ſunt ſimul in ſecundo gradu conſangvineitatis alligati, qvia mater Regis Ungariæ & pater Regis Daciæ fuerunt ſoror & frater, & hæc eſt legitima cauſa declinare Judicem. Unde ſi placeret dictum meum, vobis conſulerem, qvod ad Papam appellaretis, qvia æſtimo cauſam hujusmodi Papam acceptare. Quibus verbis ſuis propoſitis nullus ſibi ſuper hoc unum verbum reſpondebat. Dictus autem Henricus Dux Senior proſe & fratribus ſuis cum Domino Johanne Schelen Lubicenſi Epiſcopo, ac Nicolao Sachow tunc Canonico poſtmodum autem dictæ Eccleſiæ etiam electo & confirmato Epiſcopo, ad Regem Romanorum in civitate Owen in regno Ungariæ ſitam ſe tranſtulit, reſponſurus, veriſimiliter æſtimans bono Zelo clementiam dicti Regis Romanorum intervenire, & non ferri contra ſe aliqvam ſententiam, ſecundum promiſſa dicti Regis formidavit. Erico Regi Daciæ etiam ibidem exiſtente, prohdolor reſpectus munerum & conſangvinitatis inter eosdem Reges attinentia excœcabat, ſi fas dici eſt, dicti Sigismundi Regis Romanorum & Ungariæ Juſtitiæ & æquitatis obtutum, & ſine aliqvali audientia legitima, non aſſumptis Principibus Imperii ſicut in arbitrio cautum fuit, ſed aliqvibus Baronibus regni Ungariæ ſedens pro tribunali contra Duces Sleſwicenſes ſententiam tulit injuſtam & iniquam, videlicet quod Henricus, Adolphus & Gerardus dicti Comites Holtzatiæ Ducatum Sleſwicenſem minus juſte poſſiderent, & ad reſtituendum Regi Daciæ condemnavit.

XLVI. Poſt

CAP. XLVI.

POſt latam ſententiam Rex Romanorum ſe interponere volens pro parte Regis Daciæ in vim concordiæ & amicitiæ dicto Henrico Duci & ſuis fratribus magnam ſummam pecuniarum, videlicet tricentena millia florenorum ac terram unam videlicet Lalande pro evacuatione poſſeſſionis præbuit ſibi ſolvi. Quæ omnia dictus Henricus Dux renuens ab iniqua injuſta & de jure nulla ſententia ad Curiam Romanam & ad Papæ Martini qvinti ſedem Apoſtolicam appellavit. Qva dicta Regi inſinuata & in Curia Romana per ante dictum Dominum venerabilem Nicolaum Sachow procuratorem conſtitutum generalem, imo Dominorum Ducum Schleswicenſium orphanorum, & totius Holtzatiæ patriæ adamatorem realiter proſecuta Dominus Papa Martinus quintus in vim dictæ appellationis dictos Henricum, Adolphum & Gerardum Duces Schleſwicenſes duxit reponendos. Et hac repoſitione ad partes Holtzatiæ reproducta, & hinc inde apud Principes, Civitates & etiam Dithmarticos inſinuata, cauſa de novo Colonienſi Archi-Epiſcopo Domino Theoderico de Morrze audienda & terminanda à dicta ſede Apoſtolica fuit recommiſſa, & ſine ulteriori proceſſu manſit, ita & Civitates de Henſa Lubecke, Luneborg, Wiſmaria, Sundis, Roſtock. &c. percepta fraude Regum & Dominorum prædictorum contra Regem Daciæ ſe cum dictis Ducibus colligabant, & Regi Daciæ facti inimici ex parte omnium civitatum de Henſa, literas diffidationis emiſerunt. Nam ſæpe dictus Rex Ericus caſtrum Gottorpe cum magna potentia ſui exercitus ante portas ejus aliud caſtrum in monte Heſteberch cum foſſatis profundis & palis longis circum amictum pro muro collocavit, in qvo caſtro poſuit quaſi totius Regni Daciæ potentum Virorum copiam, ad cuſtodiendum dictum novum

vum caſtrum atque ad impugnandum caſtrum Gottorp & civitatem Sleſwicenſem etiam palis ſtrictisſime conjunctis Dux Henricus hanc civitatem pro muro munivit & etiam profundiſſimis foſſis, accurata aliquali parte de civitate firmisſimè circumdedit, ita quod Rex eam vincere ſicut prius fecerat non potuerat aliquo modo etiam in Civitate poſitis armigeris multis, & etiam baliſtariis à civitate Hamburgenſi illac miſſis pro tutela. Et hoc caſtrum Regis novum firmisſimum fuit & invincibile. Sed Deus qvi ſemper Holtzatos protegebat, quando nulla ſpes aderat, etiam pro iſta vice eos adjuvit. Nam civitates de Henſa prout ſuperius narratum eſt, qui prius confœderati cum Rege contra Duces fuerant, nunc pro Ducibus partem illorum tenentes Regi & ſuorum facti inimici & literis diffidationis illorum viſis Dani dimiſſo caſtro & omnibus & ante caſtro habitis, etiam pyxide, bombardo machinisque à civitate Sleſwicenſi & caſtro Gottorpe fugientes in civitatem Flensborg revenerunt, & exinde caſtrum & civitatem ſemper fortius munierunt. Tunc vero conſules Civitatum Regis inimici facti & ſuorum adjuvare volentes Dominum Henricum Ducem Sleſwicenſem civitatem Flensborg eam impugnando obſidebant, ubi aliquandiu obſidentes, tandem in vigilia Aſcenſionis Domini in nocte diabolo inſpirante Stipendiarii civitatum rumorem facientes, Dux Henricus ad caſtrum improviſè acceſſit ſuos defendere & adjuvare volens, neſciens quid factum fuerat à Danis in foſſato, ſæpius vulneratus ſicut Deo placuit alter Machabeus, fortis & virilis Spiritum emiſit. Hic Henricus Dux adoleſcens adhuc vir triginta annorum in obitu multa commendabilia peregit. Nam caſtus verecundus ſuper modum fuit ſobrius, etiam ad tantum quod ad plenos hauſtus non bibebat, neque à ſubditis fieri ſinebat. In dandis muneribus ac in menſa ſua erga hoſpites largus fuit valde ſupra

modum

modum, magnus juſtitiarius adeo quod conſiliarios ſuos rogabat, nihil ſibi contra honorem & juſtitiam conſuli debere & quicquid promiſerat vel progenitores ſui ſigillabant, omnino ſervare volebat. Virginem de domo *Brunſwicenſi* in matrimonium ſibi fecit copulari. Quæ audita morte ejus noluit amplius alicui deſponſari ſed vidua manens ob amorem tam nobilis Principis usque ad obitum ſuum in virginitate permanſit. Multa alia bona Sibi à Deo omnipotenti collata erant, quibus in cumulo brevi tempore uſus fuit & anno Domini 1427. laude dignus migravit à ſeculo, & in ſepulcro patrum ſuorum in Idzeho eſt ſepultus.

CAP. XLVII.

ISto Duce Henrico mortuo, omnes de civitatibus ibidem exiſtentes navigio receſſerunt. Ac ſuper omnia volentes mercatores & navigantes per mare Balthicum ſecuros ſervare, ſimul convenerunt cum navibus multis magnis valde. Et in portum maris ante caſtrum Kopenhauen & ibi prope cum manu forti convenerunt. Ac Rex Daciæ & ſui tunc habentes naves etiam magnas de caſtro Heyslingborch & Kopenhaven exeuntes, & pro Principe exercitus habentes Ducem de Wolgaſt exercitui civitatum obviando. Tunc pro parte Conſulum Civitatum Capitanei fuerunt Henricus Höyer proconſul Hamburgenſis, ac Tideman Sten proconſul Lubicenſis, qvi duo Proconſules videntes Danorum exercitum appropinquare, concluſerunt inter ſe Danos expugnare velle. Tunc Henricus Höyer proconſul Hamburgenſis animoſior ad prælium exercitum Danorum acceſſit cum navibus ſuis & cum Danis diu pugnando, ac Proconſule Lubicenſi & aliarum Civitatum nullum habens ſubſidium, ipſe Henricus cum ſuis victus fuit & captus. Et cæteri

ri Capitanei videntes Danos victores terga verterunt, & cum magna verecundia redierunt ad ſua. Propter quam fugam civitatum & Danorum victoriam Dani navigando mare ubique locorum poſſederunt. Et mercatores de Livonia, Prutzia & alios quoscunque cum mercimoniis copioſis & triginta magnis navibus advenientes de Flandria & Bayen una die ſpoliantes captivabant. Quapropter commune Civitatum prædictarum æſtimans ſuos Conſules Regis Danorum fautores, proconſulem Lubicenſem Tideman Sten, & quod proconſulem Hamburgenſem in bello contra Danos non juvabat incarcerari procurabant. At eundem tanquam fore factorem ad judicium vinctum duci, & ſententiam ad mortem poſtulabat, & ſic propter appellationem interpoſitam reductus ad carcerem conſules de hoc maturius deliberare volentes aliquandiu incarceratus remanſit. Tamen poſtmodum gratia ſibi facta propter Domini Johannis Schelen Epiſcopi Lubicenſis & Bartholdi Ricken ejusdem Eccleſiæ præpoſiti rogatum à carcere reductus in propriam domum redire, & ab ea non exire ad tempus vitæ ſuæ manſit incluſus. Commune Hamburgenſe Johannem Cletzen conſulem qui tempore obitus Henrici Ducis Sleſwicenſis ante Flensborch capitaneus erat, eo quod cum aliis ab obſidione civitatis diſceſſerat, & mandatum ſibi injunctum ſcilicet omnino manere apud Principes Holtzatiæ minime cuſtodivit, reverſum in Hamborgh & incarcerari & decapitari procurabat. Commune Wiſmarienſe etiam unum proconſulem Banskow & alium Conſulem eò quod confœderaſſent ſe cum Rege Daciæ ipſis neſcientibus capite truncari mandabant. His peractis iterum Conſules prædictarum Civitatum de juſſu Comitatis ad mare navigio ſequenti anno aſſumpto Gerardo Duce Sleſwicenſi cum aliquibus Holtzatis in Capitaneum ante portum Kopenhaven ipſum portum

tum obſtruendo devenerunt & in eo multas naves onuſtas calce & lapidibus ſubmerſerunt, ſed tamen portus non poterat toraliter obſtrui & ita pro illa vice abinde reverſi ſunt ad ſua multis laboribus & expenſis inutiliter factis, nihil lucri reportantes ſpe ſua fruſtrati veriſimiliter præſumentes portum nautarum ante caſtrum Kopenhaven poſſe obſtrui & conſimiliter novum caſtrum Helſinghör per Regem conſtructum ad extorquendum telonium inſolitum à nautis per pasſagium maris Baltici ad Oceanum deſtrui totis viribus inhiantes, & hæc dicitur fuiſſe cauſa principalis quare conſules civitatum ex inductione civium ſuorum cum Principibus Holtzatiæ inſurrexerunt contra Regem Daciæ nimis præpotentem & privilegia eorum auferentem. Et hæc cauſa non ſolum pro iſta vice civitatenſes prænominatos cum Principibus Holtzatiæ colligabat, ſed etiam ante longa tempora idem fecerat & ad huc faciet ſine fallo. Nam optimè ſciunt Lubecenſes, ſi porta Holtzatiæ eis fuerat tam in mari quam in terra clauſa, quod male ſtarent, & quod terram prædictam habent ſicut proprium allodium ſuum, quo deſtructo & Civitas illorum procul dubio non diu ſtare poſſet.

Explicit.



GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK

Signatur: Leibn. Marg. 90;Leibn. Marg. 90, Stück 1, [620] - 120

PUBLIC DOMAIN

Niedersächsische
Landesbibliothek
Hannover

XIII 537 a Leibnitiana

4°

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK

Signatur: Leibn. Marg. 90;Leibn. Marg. 90, Stück 1, [621] - 121

PUBLIC DOMAIN



GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK

Signatur: Leibn. Marg. 90;Leibn. Marg. 90, Stück 1, [622] - 122

PUBLIC DOMAIN



GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK

Signatur: Leibn. Marg. 90:Leibn. Marg. 90, Stück 1, [623] - -